






1
6
533































LITURGIA MENTIS

SEU

DISCEPTATIO MEDICA, PHILOSOPHICA & OPTICA

De natura Epilepsiæ illius ortu & causis; deque Symptomatis quæ circa Imaginationem & motum eveniunt.

In qua multa scitu digna, difficilia & recondita deteguntur.

OPUS POSTHUMUM.

Cui accessit

TRACTATUS MEDICUS DE NATURA URINÆ

&

CONSILIA TRIA MEDICA

AUTHORE

PERILLUSTRI, GENEROSO, & EXCELL.

DOMINO


JOANNE MARCO MARCI

â Kronland, Boemo Landscronensi,

Philosoph. & Medicinæ Doctore, ejusdemq; in Cæsarea Regiaq; Universitate Carolo-Ferdinandæa Pragensi Professore Primario & Seniore, Sacr. Cæsar. Majest. Consiliario & Medico Cubiculario, Comite Palatino, nec non Regni Boemiæ Physico jurato Philosopho Mathematico & Medico hujus seculi eximio

---

RATISBONÆ, Sumptibus JOH. CONR. EMMRICH Bibliopolæ, Typis AUGUSTI Hanckwitz / M DC LXXVIII.





AUGUSTISSIMO,
&
INVICTISSIMO
ROMANORUM
IMPERATORI
LEOPOLDO
UNGARIÆ
ET
BOHEMIÆ
REGI
ARCHIDUCI AUSTRIÆ
&c.
DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO.



AUGUSTISSIME CÆSAR.

AD ſinum Majeſtatis Veſtræ Sacratiſsimæ confugit Pupillus iſte. Partus eſt poſthumus Joannis Marci, Viri ab ingenio & omnium humanarum ſcientiarum Encyclopædiâ per Univerſam Europam ætate ſuâ longè celeberrimi; & ab Auguſtiſsimis Auſtriacis Imperatorib9 munificè honorati. Patrizat nempe genuinus iſte Filius; homagium debitæ obſervantiæ, quod pater ſuus Marcus habuit ſolenne, Sac. Veſt. Mti. humillimè præſtando. Nec venit omninò peregrinus, quia in fratribus ſuis jam domeſticus. Videt enim quinq; illorum in Cæſareâ Bibliothecâ municipio gaudere. Quatuor quidem Libros: Jdeas Operatrices; Regulam Sphygmicam; Tetragoniſmum ex motu; Thaumantiadem; Auguſtiſsimo Patri S. M. Veſt. FERDI-

DINANDO III. inſcriptos: quintum verò Ipſi S. M. Veſt. anno ab hinc decimo ſexto, dicatum: Philoſophiam Veterem Reſtitutā. Ad iſtum ergo ampliſsimum gratiæ ſinum, quo Cæſares Auſtriaci literatos, cùm aliorum, tùm Marciani ingenij partus, liberaliſsimè excipere, fovereque̋ dignamini; poſthumum hunc Orphanum deducere debui, ſi quidem illi bene vellem proviſum. At providere tenebar, adſtrictus gratitudine, quâ Joanni Marci, meo in Medicis Magiſtro, poſt fata etiam Diſcipulus ſum obligatus.

VESTRA igitur S. M. Opuſculum CÆSAREO dignetur favore. Parvum quidem eſt mole; ſed quia Marci, magnum ingenio, magnum ſcientiâ: & non eſſet; magnum tamen erit, ubi ſub Oculos, ubi in Magni Cæſaris venerit Manum. Quam ego reverentiſsimè exoſculatus, eiq; longævam apprecatus devotiſsimè felicitatem; maneo

Veſtræ S. C. M.

Æternùm demiſsiſsimus Vaſallus.

Jacobus Joannes Wenceslaus Dobrzensky de Nigro Ponte Philoſophiæ & Med. Doctor.



Præfatio ad Lectorem,

DE POSTHUMIS

Excell. Dn. JOAN. MARCI Operibus.

CUriose Lector: Opuſcula, quæ præſento, compoſuit Autor, anno abhinc ferè quadrageſimo, ac in *Ideis Operatricibus*, multò ante luci publicæ promiſit. Ut ſolveret promiſſum, ego ex Italia redux, & complures amici hortabamur. Occinebam identidem illud Martialis ad Fauſtinum:

Ede tuos tandem populo, mi Marce, libellos:
Et cultum, docto pectore, profer opus!

At morbida ſenectus retardavit primùm; poſt, ipſa Libitina præcîdit ſpes omnium, paræneſes noſtras, conatus Marci! Tum ego gratitudine, quam tanto Magiſtro Diſcipulus debeo, ac etiam ſtudio Philoſophiæ augendæ; nec non Zelo honoris Patriæ & Univerſitatis noſtræ exſtimulatus: petii à ſuperſtite Domino Filio; traderet mihi, quæ hæreditârat, manuſcripta ſui Patris, allaboraturum me in eorum evulgationem. Fecit ille, cùm, quod ipſe Religioſus, (*Canonicus Reg. S. Aug. Sagani*) medica hæc, & profana tractare nollet; tùm, quòd hac ratione vitam Parentis dilecti, in Eruditorum animis ab aliqua mortis parte vendicaturus ſibi videretur.

Accepi ergo Opuſcula duo Medica *primum* Liturgiam Mentis. *Secundum* Tractatum de Natura Urinæ, cum adjunctis tribus *Conſiliis Medicis*, quæ hîc edita vides, etſi quæpiam careant concluſione, faciendâ à felici quopiam ingenio. Et *tertium* de *Natura Impulſus*: quod jam etiam ad typum feſtinat, ſed lentiùs paulo: quia non perveniet prius quàm liceat mihi tam eſſe otio-

ſo,

ſo, ut Mathematica ſchemata, quæ ſola & multa deſunt, concinnare poſſim. Hæc autem, quæ jam prodeunt, ipſius Autoris manu exarata apud me manent: exarata inquam, vel potius ex illo Divino Marci ingenio effuſa fluxu cōntinuo ſinè ulla materiarum ac diſcurſuum diviſione. Iſta igitur, quæ nunc habet τύηματα & τήυατα ſeu titulos; ego interjeci, Tuo, mi Lector, commodo: non tamen contra mentem Autoris, quia, nè unum quidem unguem ab ejus diſcurſu deviavi.

Palàm hic facio compertum me omnino habere, nullum præter hos ſupra citatos noſtri Marci Libros, hactenus non editos ſupereſſe. Fateor: promittebat ſæpius *partem ſecundam Idearum*; ſed ſcio non abſolviſſe. Unicum *Caput ſeptimum, de Vita & Morte* inſtar longioris tractatus, elucubravit; quod etiam deliteſcit apud me, proditurum in manus Curioſorum, ubi minus habuero curarum, quæ me nunc à relectione diſtrahunt. Proderit hoc noſſe, Lectori Erudito: ut, ſi oppoſitum aliquando cogitavit, errorem deponat; & nè aliquis audacior, ſuarum, ſub nomine Marci, lucubrationum evulgatione fucum auſit, noſcentibus minùs Marcum facere. Doctiores enim, ut aurum à ſtramine, ità Marcum à non Marco diſcernent.

Atque ecce, ſi placet, *Elenchus omnium omnino Marci Operum. Edita quidem ſunt iſta:*

1. *Anno Domini 1635.* Idearum Operatriciuni Idea. ſive Hypotypoſis & detectio illius occultæ virtutis, quæ ſemina fæcundat, & ex iiſdem corpora organica producit.

2. *Anno Domini 1639.* De Proportione Motûs, ſeu Regula Sphygmicâ, ad celeritatem & tarditatem pulſuum ex illius motu, ponderibus geometricis librato, absque errore, metiendam.

3. *Anno Domini 1648.* De Proportione Motus Figurarum rectilinearum, & *Circuli quadratura ex motu.*

4. *Anno*

4. *Anno Domini 1648.* Thaumantias Liber de Arcu Cœlesti, deque Colorum apparentium natura, ortu, & causis; in quo pellucidi Opticæ fontes à sua scaturigine; his verò colorigeni rivi derivantur, Ducibus Geometriâ & Physicâ HermetoPeripatetica.


5. *Anno Domini 1650.* De Longitudine, seu differentiâ inter duos Meridianos; unà cum Motu vero Lunæ inveniendo, ad tempus datæ observationis.

6. *Anno Domini 1654.* Labyrinthus, in quo Via ad Circuli Quadraturam pluribus modis exhibetur.

7. *Anno Domini 1662.* Philosophia Vetus Restituta. Sequentia deinceps, *nõ edita*, ut dixi: Liturgia hæc mentis. Tractatus de Natura Urinæ, cum adjunctis Consiliis tribus modo lucem vident. De Natura Impulsûs Tractatus Physico Mathematicus curiosus & Caput 7. Idearum. edentur & illa si Deo placuerit. Hæc habui, quæ præfarer. Vale: ex nostro Marco profice, & meam boni opellam consule.

Dabam Pragæ 24. Junij Anno Domini 1678.

Jacobus Joannes Wenceslaus Dobrzensky de Nigro Ponte. Philosophiæ & Medicinæ Doctor; & in Alma Cæsarea Regiaque Universitate Carolo Ferdinandæa Pragensi Professor Extraord.



Dilecto



Dilecto Magistro meo,
Excellentissimo Domino Doctori
JOANNI MARCO MARCI,
Sic parento; vitam ejus Ἐπιτομικῶς complexus.
JACOBUS DOBRZENSKY
de Nigro Ponte. Philosoph. & Med.
Doctor.

BEne Lachrymæ vestræ,
Divinæ Trium-Viragines;
Mathematica, Philosophica, Medica!
Quam πολυμαθὲς Theatrum perdidistis!
Christianum Euclidem!
Boëmum Platonem!
Pragensem Hypocratem!
JOANNEM MARCUM MARCI;
Quem Natura eum sibi est molita,
ut non erubesceret,
Seu intima sua illum docere,
seu ab illo discere.
Cujus Natales, si requiris;
Præsagia invenis;
Adeò nec dum natus, jam *coronatus*,
in Patriam sortitus est *Lands-Cronam*
Novo iterum omine:
Dum in hujus *Coronæ ambitu*,
Quem olim, Patriæ *firmitati, quadraret*,
Genethliacus illi *Circulum* præsentavit.
Quid egistis Progenitores?
Sic non *totus* propè *caput* credebatur

Natus Lands-cronæ Boëmorũ. A. 1595.

Joannes, b Nisi

Nisi in Cunas abiret ei *Corona*,
Quas illi tunc Patriæ tumultus
intempestivè agitaret?
Marcus à Patre *Marco* nascitur.
in Sacramento *Marcus* renascitur.
Bis Marcus!
Insigni Patri,
Unum Marcum, insignior addit Filius!
Mirere hominis præsagium:
Marcus appellatur,
Ut Marcus Medicus, à Cœlo Austriaco,
Ut Marcus Evangelista à Cœlo Empyrio,
Suo uterque in Insigne Leone illustratur!
Nemo indignetur Nomenclatorum parcitati,
Qui tantis gestis uno tantùm nomine prælusissent;
Futurus Boëmiæ delicium,
bis gemino Marci nomine,
bis gemino Boëmorum Leoni destinatur.
Sensit tantam Animam Corpus,
Sub onere illius à puero flaccescebat,
Nam in phtisin lapso;
Singula propè respiria, dabant doloris suspiria!
sed
magnis passibus ad mortem procedens,
nè properaret,
urbana morbi gravitas effecit;
Dum paucis exactis passibus, sistendum illi fuit,
ut respiraret.
Est hæc antiqua magnarum animarum Philosophia.
Fugiunt magnifica sæpe corporum palatia:
Dominæ in tuguriis,
Grandes in minutis.

In insigne accipit leonem, quod etiã habet Boëmia.

Infirmũ corpus nactus. Primũ ex φθίσει laborat, in prima juventa.

Snbin-

Subinde ſibi reſtitutus,
Novâ - domo Olomucium
å mitioribus ad ſeveriores Muſas, evocatur:
á profectu, ab ætate,
meſſurus ubique laureas,
nè coronatior naſceretur, quàm viveret.
In infantia adhuc, non infantili contractu,
ob continuas ægritudines,
Marci oculi,
Vegetiorem ſui viſûs partem,
incenſus
Intellectui ceſſerunt.
Exin Marcus,
tàm firmus mente, quàm infirmus fronte,
prævidebat animo, quæ non videbat oculo,
Philoſophus ex auditu!
Aude aliquid Mater Philoſophia!
Occulta tu oculis,
Sub ſolo aurium arcu triumphali,
Marci caput ingreſſa
nihil lacrymabile in via habuiſti!
Ita Marcus,
Memoriam accipiens pro papyro,
Quem in Magiſtri voce intingeret,
pro calamo habuit auditum!
I jam:
Dic aliquem genuinas magìs Marco habuiſſe Muſas,
ſi habes, quem oſtendas,
magìs habuiſſe, *Mnemoſynes* * filias.
Ut
quam diu ob invaletudinem, fruſtra petiit,
impetraret Societatem JESU,
à Philoſophia abijt ad Theologiam.

Curatur à phtiſi radicibus Enulæ.

Laborat ex oculis, ità, ut ſcribere non poſsit Lection. Solo tam auditu proficit plurimũ.

** h.e. memoriæ.*

Petit Soc. JESU ingredi. Theolog. ſtudet.

Exilem vocē habet.

Sed nè voce qua laboravit, egeret;
pulchro remedio,
Inde, ubi quod *ſcis dicitur*,
eò abjit ubi, quod *vis præſcribitur*:

Tranſit ad Medicinæ ſtudium.

Abſceſſit ad Medicinam!
Magnam ſcientiæ hujus habuit Magiſtram,
Patientiam:

Multis morbis affligitur

cum tot propè morbis conflictatus,
ut in nullo dein ferè laboraret Medicus,
ex quo non laboràſſet aliquando infirmus.

Profectꝯ ejus in Medicinæ ſtudio.

Hic verò te attentum cupio Lector!
Annum unum tantùm Diſcipulus Marcus;
& alterum jam Doctor,
Profeſſor,
Regni Phyſicus
Celeber Medicus!
Didicit, quæ nemo ſcivit docere.
Docere potuit, quæ nemo quivit diſcere,
Adeò ſupra Naturam
ut quam illa vix per luſtra,
Hanc ille per annum Lauream maturaret.
nec ingenioſa mors
Per quater mille annos tanta mala invenit,
quot ille remedia didicit,
annuus Machaon!
Inde protinus

Scientiá linguarũ, præter noſtrates vernaculas, Boëmicam, et Germanicam: & exteras, Italicam Gal. Hiſp.

Peregrinas linguas prope omnes ſibi fecit domeſticas.
Cæleſte aliquid in eo nactus,
ut non plures prope *Cæli* fulgurantis characteres,
Tonantis ſonum,
quàm Marci ſcribentis, aut loquentis intelligerent.
Totum orbem literarum in linguæ ſuæ figuram redegit,
Chorographus:

Ita

Ita ibi: *Latinos, Græcos, Hebræos, Chaldæos, Arabes, Syros;*
Omnes,
Ubi Musæ habitâssent Regiones numerares;
nè ullâ linguâ locutæ sciantur literæ
quam ille ignoraret.
Ut faciliùs ab Aristotele grandiora arcana impetraret;
Humanissimo illicio usus,
Nativâ ipsius linguâ, cum illo loquebatur.
quin, cæcutiente etiam senectâ
Minutissimo charactere Græco,
Aristotelem lectitare deprehensus:
quod fortè *minùs de litera*, quam *sensu*
Aristotelis laboraret.
Sacras linguas,
Tres Linguarum Gratias,
cum Cabalæ ancillatu,
Emptâ ad id, primi, versutissimiq; Rabbini
operâ,
magno studio,
majori (more suo) profectu,
comparavit.
Arabicam, Svasore Kirchero, ita aggressus,
Ut pauculas intra Hebdomadas, Româ redux,
Epistolam jam Arabicam scriberet
Monitori.
Geometriæ addictior, quòd castissima,
Astronomiæ, quòd cœlestissima,
Utraque adamavit illius ingenium, utraque mores.
Suam sibi supra tectum extruxit speculam;
Se ipso altior, dum Astronomus.
Inde plerumque pernox
Quid stellæ concentu suo ostenderent,

Græcâ lectitatiõe Aristot. multum delectatur.

Cabalam operosè perdiscit ex prim. Rabbino.

Geomet. & Astronom. studium, & exinde apud summa mundi capita, & ingen. æstim.

Quid aſpectu clamarent;
Audiebat oculis videbat auribus.
Nulli *errori* unquam addictus,
Errores amavit planetarum,
Defectus coluit cœli Luminarium;
Sed tam *integrè*,
Ut ad tanta etiam *exempla*,
Suos errores nunquam admiſceret.
Inde
Non tantùm Cæſarum & Principum
Sed ſummorum etiam Aſtronomorum
ad illum refugium.
Qui, ſi quando ipſi *Errores* fierent;
Errorum ſuorum admiſere *Hypotheſin* ab illo
non inviti.

Extraordinaria in morbis curandis peritia, & ſucceſſ.

Sed non ita ſuas è Marco ſibi rapuere partes,
Scientiarum reliquæ,
Ut non totus Medicinæ ſupereſſet.
Alibi ille ſibi par: Hic etiam Major:
Et Philoſophus, Mathematicuſque Marcus, nulli inferior,
Niſi Marco Medico.
Intractabiles Morborum Bucephali
Ingenium Marci agnovêre pro Alexandro;
Pro Fabio Hannibales.
Feſtinabat ille lentè:
Etiam dum properaret cunctator,
Properans, dum cunctaretur.
Naturæ Dominus, quia ſervus:
Miniſter, non Magiſter,
Eruendam Naturam, non obruendam docuit,
Manuducendam, non raptandam.
In curandis morbis felix maluit eſſe, quàm fortunatus,

Expectando maluit negligere,
Quam properando occidere.
Quin & infensus ijs,
Qui domesticos morbos, exteris tantùm remedijs curaturi,
Medicinarum virtutem æstimant ex pretio.
Tanquam illæ per tanta itinera,
Magnum virtutis suæ tributum
Non penderent tempori, magis fraudi.
Medicum volebat esse virginem:
Quæ tantùm ante se positam terram intueretur,
Nec nisi ad magnum tumultum aliò aspiceret.
Ad sui quisq; horizontis rotam, hebetatam acueret sanitatem!
Solâ terrâ sigillatâ, grandia Marcus fecit miracula!
Cuius hic uno milliari etiam ad currus copia.
Grassante Pragæ peste,
Huius unius pauxillo, venenum omne fugit & fugavit.
Adeò à vita ipsa *sigillatam* hanc terram *diceres*,
Ægrorum vix immissa ori,
Sensit vitæ sigillum mors,
Nil ægrius ferens, quàm tam vili remedio exturbari.
Medicus etiam tunc est Medicus, dum Consiliarius:
Non tantum præscribens, sed & proscribens.
Ipsam etiam quandoque Medicinam
Joannes Marcus Marci,
Medicorum Sapientissimus Sapientissimorum Medicus,
Supremis vitæ XXX. annis
In vivum Corporis sui Nosodochium,
(Audite novam Medicinam!)
Nullam omnino admisit medicinam.
Eiusdem autor Ferdinando III.
Diuturnæ vitæ pollicitus medium, nullum remedium.
Luge orbate orbis Marciani consilij neglectum!

Inimicus exterarũ medicinarum: patrias cõmendat: Terrâ sigillatâ Boemicâ, pestem, & omne genus morborũ curat.

Commendat, suo etiam exemplo rarissimum medicinarum usum quod specialit. Ferdinãdo III suadet.

Adeò

Axioma in firmorum & Medicor.

Alia medicina ſpecialis et καθολική.

Adeò per frequentatam medicinarum acrimoniam,
In membranulas tenuata Ferdinandi viſcera,
In papyrum Marco obtulit Anatomia,
Cui ſuam ille inſcriberet maximam:
Medica modicè!
Media tantum in extremis non extremè.
Mira tamen Medicinæ Marcus habuit,
Etiamnum arcana:
Inter reliqua, Sphærulas conficiebat,
Quas, dum hæc Intelligentia movit, omnia comovit
Amabæum diceres ceciniſſe Archimedi.
Ut non magis ille in ſphærulam contraheret Cœlum,
Quàm terraquam Iſte.
Adeò nil boni Medicinalis habuerit terra,
quo non hic polleret globus;
Quia nil habuit tabifici mali,
quod non ille pelleret.

Sterilit. vetulæ curat.

Lib. ab eo ſcripti, qui expreſsius narrant. in Præf. ad Lect.

Ipſi adeo ſterili vetulæ,
Ut mirabilior eſſet,
Non juventutem reddidit, ſed in ſenio fæcunditatem,
Magno poſteritatis emolumento,
Quia grandi magnæ proſapiæ ſubſidio.
Sed Marcũ im̃ortalem non fecerint, quæ præſcripſit,
Fecerunt quæ ſcripſit.
Liber illius de Ideis,
De arcu Cœleſti,
De motûs Figurarum Rectilinearum proportione,
De Veteri Philoſophia,
Js ſemper eſt,
Ut ſi natura non agit, ut Marcus docet,
Optet egiſſe.
ArcumCœleſtem ingenium illius, ſibi vertit in arcum
triumphalem;

Nec

Nec magis hæc Thaumantias *uno passu* Orientem junxit
Occidenti,
Quàm MARCUS gloriâ.
Ideas illius natura sibi sumpsit pro Ideâ;
Philosophiam pro MAGISTRÂ.
Magnus Kircherus semper Athanasius,
Quo volumen hoc reponeret,
Exquisitissimam elegit Bibliothecam,
Propriam memoriam.
Ita testatus familiari ad Marcum epistolâ,
*Se librum illius manibus non dimittere, memoriâ
jam totum propè tenere.*
MAGNUM hoc arcanum,
Quod ut addisceret *mundus* tantâ opus fuit ætate,
MARCO MAGISTRO!
Quid illius Labyrinthus!
Habes ibi plurimas ad quadraturam circuli vias:
Vt, si alter tantum illas triverit MARCUS,
Futurus sit Theseus.
Quin & per motus Rectilineorum proportionem,
Per omnia ingenia *currentis*, huius quæstionis quæsijt *quietem*.
Est certè *Circulus* gloriosa Ixionis *rota*.
Ad quam elevata Deus condemnat ingenia, ut commendet.
MIRABILI paradoxo:
Vt magna quidem quæ quærunt, non inveniant;
Reperiant tamen majora, quæ non quærunt:
Ita imbecillitas humana
Capit sæpe etiam, quæ non cupit,
Dum quæ capit, non nimium cupit.
At at erige te jam penna,
Altum vides culmen, ad quod evoles,
MARCI animam;

Virtutes Marci.

Virtutem Christianam!
Intanto Intellectus regno, non servivit voluntas:
Inter tanta scientiarum impendia, nulla virtutis dispendia;
Nam *Marcus* scientijs commodatus non donatus,
Fænus pro virtute exigebat.
Inde rarissimum scientiarum ex studijs tulit fructum:
Pietatem.

Pietas erga Deũ, studium Orationis Quolibet feriali die Sacrificio Missæ domesticor. aliquis interfuit Marco sic jubente. Fiducia in Deum, quâ incẽdium extinguit. Sacro Numismate curat se continuò à febri

Semper DEO affixus.
Interdum etiam ita infixus,
Ut sensu ante Divinitatis atrium præstolante,
Per horas altissimâ mente DEO inhæreret.
Inde domestica in Deum pietas, ex pietate fiducia,
Ex fiduciâ, etiam prodigia.
Villam illius, quam *Marcellinum* dixit,
Igneus Pyrata incidens Vulcanus,
Ut *Marci* opes occuparet plures, etiam charos involvit.
Jamque nulla via, qua evaderent, omnis, qua invaderentur.
Hic collecto Marcus spiritu,
Sta, exclamat, *Creatura DEI!*
Tria verba tres Oceani!
Adeò omni trabium, straminisque ante os, relicto pabulo,
Jejunium ignis addidit obedientiæ.
Has calentissimas febres dum dispellit Medicus;
J jam,
Et conjice: quid erit illius eloquentia,
Cuius tres voces jam flumen sunt!
Aliàs sacro, à Mutio Vitellesco Soc. JESU Generali,
accepto *Numismate*,
Româ redux,
A delirante jam propè febri, ita se protinus *exolvit*,
ut socios comitaretur.
Aspectam aliquando fortuitò domum

Nul-

Nullo indicio, ruituram momento prædicit:
&ecce!
Simul omnia fiebant:
*Ma*rcus prædixit, & recefsit; domus intremuit, & ruit.
Præclarus Phyſiognomus
Qui aſpectu, ædium mortes prævidet,
providet ſuæ.
Tantâ victus parſimoniâ,
Vt annos aliquot omni carne abſtineret,
Tenui legumine contentus.
Ingenti ciborum ante ſe viſâ catervâ,
Num idolum ſe crederent, interrogabat,
Cui tantâ volucrum ſtrage litaretur?
Fuit Marcus tantâ Chymicæ artis famâ,
Vt auri conficiendi modum inveniſſe ſpargeretur.
Interrogatus de eo in *Cardinalis ab Harrach* menſâ,
Artem ſimulavit, diſſimulando.
Jamque à Procerum Curioſiore,
Ecquonam proventu? interrogatus;
ſtupente coronâ,
Centuplô omnino, reponit.
Gaudentibusque arcanum aperit:
Pauperi, ait, amore Chriſti nummum aureum largior,
Et ex Alchymiæ Chriſtianæ legibus,
Centuplum lucror.
Placeat Marci ingenium, ſi pietas non placet.
Sed enim in portu ſumus Marce!
Liganda navis, ſolvendum Corpuſculum,
Enavigatum eſt!
Et en ad extrema delapſus Marcus
Aegrotare non cœpit, ſed deſijt;

Prævidet & evadit ædiũ ruinam.

Temper. aliquot annis carnibus abſtinet.

Ciborum multitudinem irridet.

Quam Chymiã calluerit.

Moritur ex apoplexiâ.

In morbo supremo suscipitur in Societatē JESU.

Quid maximè tunc defleverit.

Protest. de suis libris.

Nam catarrho apoplectico tactus
Cessit immortalitati :
Quæ Testamenti more, non valet, nisi à *Morte*;
Sed enim,
Videte infirmi Marci firmitatem ;
Quæ tantis conatibus nequiit valens, perfecit ægrotus,
Dum à pueritia petitam, ferventiùs in senio expetitam,
Impetrat sibi Societatem JESU.
Quo eodem fletu, velut ex lacryma coryli,
Conficiebat eorum coecitati collyrium;
qui
cum possent, non inirent
vel cùm inijssent, egrederentur
hanc Societatem.
Cuius in nigro candorem habitu
tam charum habuit;
Ut authentico; sponte suâ, caveret χειρογράφω,
nè à suis Libris aliquâ maculâ aspergeretur :
testatus :
hos à se Autore prodijsse,
Dum ipse nec dum Societatem intravisset
In qua,
Dum sibi optat vitam longam,
non invitus incipit,
Omni longâ longiorem,
æternam !
Inde enim novello Jesuitæ,
pro Tirocinio,
Agon mortualis :
ubi
Militanti Compagniæ JESU
Consueto Sacramento ritè inauguratus;

Tri-

Triumphantique (ut ſperare licet) mox adlectus,
Vix cæptâ pugnâ,
Obtinet victoriam,
& in brevi Religioſam vitam conſumit,
fulminis more;
Agentis grandia, tempore non grandi,
In veſte Religioſa,
funus elatus eſt,
in ſepulchrum Religioſorum.
Credite jam illud:
Qualis vita, mors eſt ita.
Vixit Marcus
Studijs & virtute *Jeſuita*,
Mortuus eſt *Jeſuita*,
Sepultus eſt *Jeſuita!*
Eo nempe funebris pompæ habitu,
Marcus in ſepulchrum deducendus erat,
Quo habitu virtutum duxit vitam.
Bene jam illi precare Lector!
Et tanti admiratione facinoris attonitus,
quære:
In terra grande hoc opus fecerit,
an jam in Cœlo?

Moritur in veſte & cõditur ſepultura Societ. Prag. JESU ad S. Clem.



Floruit

FLoruit porrò Marcus amicitiis omnium propè in Europa Doctorum hominum, præcipuè ex Societate JESU ut Epistolæ ultro citroque datæ testantur Athanasii Kircheri, Theodori Moreti, Georgij Behm &c. Ex eadem Societate R. P. Bohuslaus Balbinus à Marco nostro efflictim amatus, vicissim Marcum dilexit ut Patrem. extant hujus amoris mutui documenta maxima, atque inter alia Carmen geminum, quod ex Libris Melissarum prædicti R.P. Bohuslai (quondam in Humanioribus Professoris mei charissimi) descriptum, hoc loco recitabo; quod paucis versibus multas & veras Marci continet laudes:

Ad Excellentissimum Regni Bohemiæ Medicum

MARCUM MARCI

dum Augustissimi Cæsaris Medicus Cubicularius crearetur Anno 1658.

Lib. 4. Melissarum Epigr. 40.

B*artole!* cui Patrium donavit ferre *Leonem* (a)
Et Regni, *Cæsar Carolus*, arma sui.
Qui leges patrias, & *Jura Bohemica* condis,
Et Patriâ dignum te facis esse novâ,
Bartole! non unum te *Czechias* admiratur,
Non unus Patrii signa leonis habes!
Czechiacum medicâ *Marcus* fovet arte Leonem,
Hic magni labor est circus, arena Viri!
Hic Vir hic est, toto cui se *sapientia* fudit
Pectore, cuique suas *Vita* ministrat opes;
Hic Vir hic est, raras quem *Cynthius* edocet artes,
(Assurge Hippocrati terra Bohema tuo)
Hic Vir hic est, meritos cui defert *pulvis* honores,
Quique *Syracosias* finiit arte vias.
Omnis in Egregium migravit *Græcia* pectus:
Cecropij, Æolij, Dores, & Jonij. (b)
Quin Arabes pictis stupuerunt vultibus illum,
Audiit & linguas *Memnonis* ora suas.

Hic

Hic vir hic est totam cui se *Natura* videndam,
Cui tulit exposito pignora parva sinu.
Astronomus, Sophus, & Medicus, Geometra, Vates,
Quæ divisa alii, *Marce*, jugata tenes
Quid memorem, *Chemia*, tuæ documenta *Palæstræ*,
Quæque *ruber* fulvo parturit ore *Leo*?
Circulus & *motus*, medium *maris æquor*, *Ideæ* (c)
Iris & *umbra* tuum *Marce*, loquentur opus.
Quod nunc pro meritis munus, tibi *Patria*, *Marce*?
Quæ dabit Ingenio proemia digna tuo?
Officium Patriæ *Cæsar* ter *Maximus* explet,
Et lateri comitem te jubet esse suo.
Jam valeant *picti*, tua *Bartole*, signa *Leonis*,
Munera spirantis, *Marce*, Leonis habes.
Cæsareum, tibi *Marce*, datur servare Leonem,
Et medicâ *venam* Principis arte tenes.
Hic sua Romuleum repetat præconia vulgus:
En Leo amans hominis spesque Leonis homo est.
Ecce Leo hospes hominis, & homo medicus Leonis
de Androdo & Leone apud Agellium.

(a) *Bartolus J. C Leonem pro insigni accepit à Carolo IV. Bohemiæ Rege. Jovius in vita Bartoli.* (b) *Græcè & Arabicè perfectissimè loquitur.* (c) *Libri ab eo plurimi editi.*

Ad eundem Excellentissimum Medicum, cùm ejus maximâ diligentiâ in Petechiis curatus esset Poeta Anno 1655.

Quæ te digna satis scribentur carmina *Marce*?
Hercynius *Marcum* servat amatque *Leo*.
Sed mea res agitur, communia scribere parco;
Carminibus par est ut celebrêre meis:
Jam mihi durarum tenuari fila *Sororum*,
Venaque lethali cæperat ire modo.

Ex L. 5. Melis. Epigr. 41.

Ignea

Ignea *Feſtilitas* noſtris erat orta medullis,
    De Pantherinis conſpicienda notis.
In flammas abiturus eram; lugetis Amici,
    Quisque parat juſtum funeris officium:
Præcipuè noſtro commiſſa Juventa labori
    Impendunt, lacrumas, ſeraque vota ferunt;
Tunc ego, cum paullùm morientia lumina tollo,
    Te video ad noſtrum, *Magne Vir*, eſſe latus.
Et flebas, (memini) lacrymas medicina ſecuta eſt,
    Quam mihi *tu* tremulâ fundis in ora manu.
Æſtuo! clamabam; madidis (quo neſcio) ſucco
    Panniculis venas, & caput ipſe ligas,
Dum ſic materno me tractas pectore, ſenſi
    In me lacrymulas ter cecidiſſe tuas.
Tum medicorum alij venam ſtatuêre ſecandum,
    Tu prohibes; ſtetit hoc ſanguine noſtra ſalus.
Cor ſervemus; ais. quod adhuc vis nulla veneni
    Contigit, hoc latum, fortè, valensq; ſcio.
Et fuit. hinc placidis peragis ſolatia verbis,
    Spes quamvis aberat, ſpes nova nata fuit.
Tum flammam aggrederis flammis, ardentior omni
    Igne fuit, dederat quem tua dextra bolus.
Hic noſtri (ſenſi) ſtetit ad præcordia Cordis,
    Nullum ut *Peſtilitas* ad cor haberet iter.
Tu procul haud aberas, ſtratoque interritus, horas
    Sæpe duas (quamvis ſit metus inde) ſedes.
Nil aliud totis poteras meminiſſe diebus,
    Somnia dicebas te monuiſſe mei.
Alter & alter agit menſis; conſtantia manſit;
    Quâlibet inviſis terque, quaterque die.
Ergo quod vivo, & ſpiro, *Vir Maxime*, gratum eſt,
    Cor mihi ſervâſti, Cor tibi reddo meum!
Si noſtrum nullo laudetur acumine carmen,
    Hæc *Tibi* ſunt *Cordis* cuſpide ſcripta mei.



CAPUT I.

NOMEN EPILEPSIÆ EXPENDITUR.

DE natura Epilepſiæ, illius ortu, & cauſis, deque ſymptomatis, potiſsimum verò læſa imaginatione, & eô motu, quô membra præter voluntatem moventur, diſſerere nobis volentibus, ſupervacaneum videtur de variis nominibus, quibus vel nunc, vel olim dicebatur, hîc agere, (ſunt enim nomina velut umbræ rerum, quæ ſequi, non præcedere ipſas debent: itaque nomina rebus adaptare, non verò res nominibus adſtringere enitendum. Nam multæ voces ab ignorantia ortæ graves errores in artibus atque ſcientiis pepererunt iis, qui nimium vocibus tribuebant. Quod hîc non propterea dico, tanquam exiſtimans non rectè impoſita fuiſſe, ſivè ab antiquis, ſivè modernis ſcriptoribus, nomina Epilepſiæ: ſed ut conſultò feciſſe. videre, ſi non à principio, quemadmodum more eſt receptum, verùm poſterius patefactâ jam morbi naturâ de nominibus, quibus vel dicitur, vel dici debeat, agerem. Neque etiam rectè facere videntur, qui, poſtquam in nominibus explicandis, tanquam primâ velitatione ſe exercuerunt; protinus ad differentias & ſpecies numero definiendas ſe recipiunt. Oportet enim ſubjectæ rei naturam cognitam & exploratam habere, priuſquam differentiæ, dicuntur: quomodo enim ſpeciem metalli aut animalis ſciam, niſi, quid animal ſit, aut, quid metallum, norim: Cum verò docet Ariſtoteles, in omni quæſtione prænoſcendum quid nominis, & quod res eſt, per prius non intelligit perfectam notitiam vocis, quæ non habetur niſi cum re perfectè cognita; ſed talem quæ audita conceptum rei ſignificatæ poteſt ingenerare: quemadmodum auditâ voce, EPI-

LEPSIA, confeſtim mens fertur ad conceptum illius morbi, de quo præſens quæſtio inſtituitur. Non tamen eſt neceſſe illum conceptum rei quidditatem continere niſi confuſam tantùm; ſatis eſt enim ſi unum, aut plura adjuncta morbo inſeparabiliter connexa diſtinctè repræſentet. Ut verò conſtet quis ſit ille morbus, quem nomine Epilepſiæ inſignimus, adverte nos paulò latiùs extendere hoc nomen ad omnem corporis affectum, quô correpti animô turbantur, membra verò ſivè omnia ſivè aliqua, ſivè unum tantum præter voluntatem moventur. Quod idcircò facimus, ut omnes illius ſpecies comprehendamus. Itaque cùm dicitur Epilepſia talis affectus, à quo principalis cerebri functio aboletur, cum deperditione memoriæ atque ſenſus, totiusque corporis convulſione, non eſt hæc materia ſubjecta noſtri operis, ſed illius pars magis principalis. Nam & is cui ſola labia, cum levi delirio convellebantur; & qui in gyrum aſſiduè more turbinis aut trochi ſe verſabat; & ea puella, quæ ſpatio ſemihoræ prorſùm & retrorſùm curſitabat, inter Epilepticos habendi. Quin & is, qui vi morbi in ſublime elatus, in aëre pendulus detinebatur: quies enim illa tonica virtute motui æquipollet. Eſt autem nobis propoſitum radicem inveſtigare talis motus, læſionisque principem ſenſum concernentis: nam cum morbus definiatur per actionem læſam, ſi illud quod per ſe utrumque facit, fuerit inventum, erit quoque inventa Epilepſia.

CAP. II.

Principia Dogmaticorum Univerſalia percurruntur.

PRiusquam verò noſtram ſententiam declaremus, non abs re erit aliorum opiniones referre, & in quibus non ſufficienter & diminutè, aut non probabiliter, aut contra veritatem fuerunt opinati, patefacere. Ita enim non abſque ratione neque temere feciſſe videbimur, ſi à via trita tanquam nimis ſalebroſa ad aliam magis plenam nos receperimus. Et ut ordine procedat oratio, nam plures habentur ſectæ Medicorum, qui diverſis principiis nixi non uno modo, neque ſimiliter morbos generant; aliter enim Dogmatici, aliter

ter Hermetici de re tota ſentiunt, prius cum Dogmaticis nobis res e-rit,ut qui nominis vetuſtate, & opinionum varietate præcellant.Ne-que tamen ſectæ hujus fundamenta convellere, aut curioſius hoc lo-co rimari nobis propoſitum, niſi quantum ad præſentem morbum facere videbitur, alio opere hoc plenius exequuturi.

Igitur Dogmatici cum ſuo Principe Galeno hæc veluti funda-menta ſupponunt, quibus univerſa Medicina tanquam ſuis Atlanti-bus innititur. 1. Res omnes mundi ſublunaris ortum habere ex qua-tuor elementis, terrâ, aquâ, aëre, igne; ex his certis ponderibus & lege inter ſe permixtis omnem varietatem, & differentiam, quæ ineſt ſpeciebus proficiſci. Vires & ſpecificas proprietates ex tali elementorum congreſſu derivari; itaque ſymmetriam unicuique ſpe-ciei debitam, ſanitatis, ametriam, morborum eſſe cauſſam. For-mam ſubſtantialem ex potentia materiæ ab agente excitari, poſtea-quam certô numerô & gradu qaulitatum illius ſubjectum exornavit; neq; tamen ab agente formam proficiſci, neque inmateria vel mi-nima ſui parte præextitiſſe. Actiones formæ pro modo tempera-menti variare, interdum ex toto deficere; unde ſolius tempera-menti rationem à Medico habendam: ex quo illud quoq; principi-um à Medicis uſurpari ſolitum profluxit, contraria contrariis eſſe curanda. Nam cùm temperamentum ſit primarum qualitatum nimi-rum calidi, humidi, frigidi, ſicci concentus quidam unicuique ſpe-ciei correſpondens, qui primas qualitates ſequitur certâ lege com-moderatas, eo ferè modo,quo fieri videmus in numero ſonoro; nam & ea proportio quæ diateſſaron, & quæ diapente, & quæ diapaſon dicitur in ijſdem ſonis eſſe poteſt factâ ſolâ per tonos varietate. Ubi autem contingit mutari ſive elatione ſive depreſſione unum ex tonis, totus concentus perit. Ita quoque in qualitatibus primis evenit; nam ad certam cuiusq; intenſionem conſurgit ille concentus, per quem ſubjectum & in ſe,& in ordine ad actiones rectè ſe habet. Quòd ſi jam calidum, aut frigidum, aut humidum, aut ſiccum op-poſitam qualitatem ſuperavit,diſſolvitur illa proportio: & ſi nullum novum efficit concentum alicui ſpeciei convenientem, forma illa ſubjecti moderatrix, necdum quidem cogitur magiſtratu ſe abdicare; attamen labefactatum organum actiones edit vitioſas & inconcinnas, atque eâ de causâ dicitur ægrotare. Quod itaque intemperatum eva-

ſit propter adauctum calorem, ad temperiem reducitur frigiditate, frigidum autem calido, humidum ſicco, ſiccum humido permutatur. Idem intellige de qualitatibus ſecundis, quas mirabiliter ex primis deducunt: nam & durum & molle, & lentum & friabile & lene & aſperum, & dulce & amarum, & rubrum & viride, & omnigenas alias qualitates efficientia calidi & frigidi concurrente humidô ſiccô mirâ & incredibili fœcunditate parturiunt. An verò præter primas & ſecundas qualitates aliæ dentur ſpecificæ, à quibusdam tertiæ dictæ, quæ formam comitentur, & ex ea oriantur, inter ſe litigant: quòd ſi quidam admittere eas videntur, nihilominus temperamenti legibus adſtringunt. Præter quatuor Elementa omnibus communia, alia conſtituunt corpori humano propria, non jam ſimplicia, verùm ex primis compoſita. Exiſtimant enim naturam quibusdam veluti gradibus aſcendere ad ſummam perfectionem; neque fieri poſſe ut ex puris elementis quomodolibet confuſis proximè oriatur corpus perfectum ſivè plantæ, ſivè animalis: ſed primô quidem conflari mixtum non ita perfectum, inde ſenſim magis perfectum. Quatuor verò principia, quibus corpus humanum conſtare dicitur, ajunt proportione primarum qualitatum primis elementis reſpondere: nam ſangvinem aëri, pituitam aquæ, coleram igni, melancholiam terræ aſſimilari; atque ob hæc ſanum degere animal, aut ægrotare. Cum enim mediocriter ſe habent penes mutuum, facultatemq; copiamque, atque ſi maximé ſint mixta, ſanum; cum verò horum aliquid vel minus vel amplius evadit, vel in corpore ſecedit, atque non omnibus eſt attemperatum dolere; neceſſarium enim, ut ait Hipp: in libro de natura hominis, cum ſeceſſerit quid horum, & ſteterit à ſeipſo, non ſolùm hanc regionem à qua exivit, morboſam eſſe, ſed etiam eam ad quam ſteterit, & fuerit effuſum ſuperexpletam, dolorem & laborem exhibere. Quòd ſi autem extrà corpus fluxerit, eam quoque vacuationem dolorem præbere. Ab his univerſa morborum ſeries, & omnis varietas defluxit. Cauſæ verò antecedentes dicuntur ea omnia, quæ proximé vel remotè aliquem ex ſuprà dictis humoribus adaugent, vel pravâ qualitate imbuunt, vel loco movent, atque in alienam regionem transferunt, vel illorum miſtionem diſſuunt alterum ab altero diſſociando. Itaque pituitam hyeme adaugeri, quod inter ea quæ corpori inſunt per naturam, hyemi reſpondeat, æſtate fla-

vam bilem, autumnô melancholiam, vere ſangvinem dominari. Idem evenire ratione alimenti; neque enim ob varietatem temperamenti, ex omni alimento exiſtere eàdem proportione humores; ſed ex alio quidem copiam bilioſi humoris, ex alio plurimùm pituitæ ſuccreſcere: quin idem quoque alimentum ob diverſitatem uniuscuiusque complexionis diverſimodè mutari. Et licet mutetur illa ſymmetria primarum qualitatum, ſi vel calidum vel ſiccum alteri qualitati incipit prædominari, nondum tamen dicitur ægrotare, ſi nulla actio læditur manifeſtè: at ubi jam actio incipit lædi, temperies præter naturam & morboſa dicitur adeſſe. Hinc cepit illa diſtinctio morborum, ut alij ſine materia, alij cum materia eſſe dicantur. Hæc & alia his connexa, quæ hucuſque attulimus ex mente Dogmaticorum, quantùm veritati conſonent, alibi diligenter accuratèque à nobis expenditur: quomodo autem ex his veluti principiis morbum, de quo agimus, generent, nunc erit dicendum.

CAP. III.

De Cauſa proxima Epilepſiæ Sententia Dogmat. examinatur.

Cum morbi vel ab intemperie, vel à materia ſive per ſe, ſive cum intemperie ea conſiſtat oriantur, erit quoque Epilepſia talis morbus, quem intemperies vel materia ſola, vel ſimul utrumque excitavit. Materia autem eſſe poteſt ſangvis, humor biloſus, bilis atra, atque pituita, ſive retineant humoris naturam, ſive in vaporem fuerint attenuata. Et rursùm vel copia, vel vi noviter acquiſitæ per alterationem qualitatis ad eam generationem conveniunt ſive omnes ſive aliqui, ſive unus tantùm.

Non eſt enim hîc quæſtio de cauſa remota & procatarctica, eſt enim extrà dubium, juxta ſententiam dogmaticorum ab intemperie cauſari proventum talis materiæ, quæ poſteà Epilepſiam generat; verùm de cauſa proxima & conjuncta, à quà per ſe dependet morbus. Hanc alii exiſtimant eſſe ipſum humorem, alij vaporem ex tali humore ſurſùm ad cerebri regionem elatum, nam qui Galenum ſequuntur arbitrantur craſſam & viſcidam pituitam cerebri ventri-

ventriculos obſtruere, atque ita viam ſpiritibus denegare nam lib. 3. de loc. aff. hæc ſcribit, non ab ariditate vacuationeve: ſed à craſſo ſemper humore hanc affectionem induci argumento eſt, quod & ſubitò fit & ſolvitur confeſtim. quod & aliis rationibus confirmari poteſt; nam in tenerâ ætate idcircò tales morbi frequentes eſſe ſolent, quod pituita in ea dominetur, quæ in capite partim ex cerebri recrementis colligitur, partim aliunde conficitur. Multis quoque epilepſiâ correptis accidit pituitam ex ore & naribus profluere, aliis vomitu quoque rejici: quin ab Epilepſiâ ſæpe paralyſis ſecuta, atque interdum apoplexia de communi materia teſtari videntur. Plures tamen Galeno acriter ſe opponunt, alii quidem ratione, alii experientiâ & obſervatione anatomicâ adhoc perſuaſi; & in primis illâ ratione, quam pro ſe affert Galenus utuntur, in labefactanda parte oppoſita: quomodo enim fieri poteſt dicunt illi, ut craſſa & viſcida pituita cerebri ventriculis impacta tam citò diſſolvi poſſit? deinde quia frequenter eveniret Epilepticos vitio regiminis, aut aliter auctâ materiâ ſiderationem incurrere, cum tamen experientia tales absque eo periculo plures annos transmittere teſtetur. At quid ex tenui materia ortum habere poſſit, docet ea epilepſia quæ per conſenſum fieri dicitur: ſæpe enim ab extremo pedis digito tanquam aura frigida exorta, ubi jam cerebrum attigit, epilepticas convulſiones inducere eſt depræhenſa: Quod idem teſtatur Gal. de Juvene Grammatico, qui quoties vehementer doceret, aut cogitaret, aut inediam ſuſtineret, aut iraſceretur, morbo comitiali corripiebatur multos quoque ſe vidiſſe ſcribit idem Gal: convulſione comitiali ab ore ſtomachi correptos, aut cum non probè concoxiſſent, aut vini meratioris plurimùm potaſſent, aut ubi veneri immodicè operam dediſſent, quin etiam per febres quosdam conſpexiſſe derepentè convulſione prehendi, nullo præcedente indicio, qui bilioſo ſupervenien-te vomitu protinus ab omni noxa liberati fuerunt. Ex quibus alij materias fuſcas, alii porraceas vomuerunt: unde manifeſtum eſſe videtur ex bile atra aut porracea vapores exortos Epilepſiam cauſaviſſe. Similiter ex uteri affectu eam oriri teſtantur mulieres: à quibus veluti fumus percipitur ſurſùm efferri. Confirmat idem experientiâ, nihil enim pituitæ in diſſectis cerebri ventriculis, eorum qui tali morbo fuerunt extincti, potuit ab anatomicis deprehendi; Quod præ-

ter

4.

ter alios testatur Volcherus, Coiter in suo observationum anatomicarum libello. Nihil, inquit ille, in cerebri ventriculis pituitæ, nullam in iis obstructionem, & non plus humoris tenuis aquosi, & limpidi in medio ventriculo, atque in reliquis depræhendere quivi, cæterùm totam substantiam cerebri inveni aquosâ humiditate infarctam, ventriculosque omnes eâdem aquâ plenos.

Cap. IV.

Qua ratione fiat convulsio, opinio dogmaticorum excutitur.

PORrò membra convelli dicunt adhunc ferè modum, quod cùm cerebrum excutere nititur impactos humores, illâ agitatione nervi ad sua principia reducantur; an verò copia ipsi sit gravis, an qualitas adversa, & quæ nam illa sit, & quomodo in cerebrum exerceat hostilitatem, non omnes idem dicunt. Hi enim qualitatem naturæ cerebri adversam dicunt, alii acredinem, alii mordacitatem, alii malignitatem, alii venenum accusant: Itaque scribit Fernelius lib. 5. pathol. c. 3. deprehendisse in dissectis causam Epilepsiæ, interdum abscessum cerebri, interdum corruptam menynges portionem calvariæ adhærescentem summo dolore: unde teter vapor in cerebri ventriculos penetrabat, & lib. 2. de abditis rerum causis c. 15. observavimus, inquit, aliquando è summo capitis vertice, in quo sub pericranio vitiatus, venenatusque humor coercebatur vaporem manifesto sensu intro subire, qui Epilepsiam concitaret. Verùm quid per acredinem, mordacitatem, malignitatem, venenum aut similia intelligi oportetat, non amplius docent: nam acria quidem sunt cardamomum, sinapi, piper, nasturcium, pyretrum, acetum, & aquæ chrysulcæ; an igitur censent ex talibus oriri Epilepsiam? at sternutationem quidem interdum ex his sequi, epilepticā verò convulsionē vix unquam aliquis observaverit. Veneni quoque multæ species habentur quorum vapores impunè, aut sine metu Epilepsiæ cerebrum admittit; Non igitur satis fit, si quis dicat tam qualitatem de natura veneni participare: Nam sicuti species veneni à se differunt ita non una curatio, neque eadem remedia omnibus possunt accommodari.

Item intellige de maligno, nihil enim certi designat, qui ita dicit. At verò tetrum quid aliud significare potest præter aspectu fœdū aut terribile, vel gustu abominabile, vel olfactu grave, vel demum sensui adversum, at neque omnia fætida, neque uni ex sensibus adversa movent Epilepsiam, quin ea quibus cietur hic instultus, carent interdum omni eâ, quæ sensus feriat, inimicâ qualitate. Necesse ergo eos qui dicunt cerebrum propterea moliri talem motum, quod ipsum attingit, sive vapor sive substantia adversa, quam eâ agitatione à se excutere conatur, unum ex duobus admittere, aut quod perpetuo sit una natura eius, quod cerebrum concitat ad motum, sive dicatur proprietas essentiæ, sive qualitas secunda, sive ex primis una pluresuè: aut quod plures tales qualitates vel etiam substantias cerebro inimicas natura produxerit. Quod si prius dicant, erit vis illa Epilepsiæ effectrix in omnibus una quantumuis diverse videantur subjecta: non igitur malignum qua malignum, neque venenatum, neque acre, neque mordax, qua talia sunt, Epilepsiam concitabunt. Etenim illa acredo, non in est venenato, neque venenatum acredini; At verò ratio per quam constituitur causa Epileptica utrique æqualiter inest. Oportet igitur & in maligna & acri & venenata substantia, quod omnibus est commune, ab alijs distinguere, nam si à maligno malignitatem, ab acri acredinem subtuleris, relictâ eâ qualitate quæ omnibus est communis, ex ea nihilominus Epilepsia tanquam propriâ radice germinabit: nihil autem efficiet sive acre sive venenatum per se ea qualitate sublatâ, quemadmodum liquorem salis vegetabilis, ebullire contingit, si aliquot guttæ Spiritus vitrioli injiciantur: at non propterea quod spiritus, vel quod ex vitriolo causat ebullitionem, multi enim Spiritus hoc non præstant, verùm ex eo, quod acetum illud montanum salem volatilem includit, itaque & salis vulgi & salis nitri & sulphuris liquor Spirituosus eandem vim exercet virtute huius salis. Quod si verò tot sunt differentiæ qualitatum Epilepticarum quod esse ferunt matrices, ita ut sit alterius naturæ ea qualitas, quam cornu capræ dum uritur, effumat, alia à lacte acrescente, alia à semine vel sanguine corupto, alia à veneno, alia in putrescente humore, alia ex lumbricis sursum cum habitu effertur, tametsi omnes in eo conspirent, quod cerebro sint molestæ: multa difficilia explicatu, & à veritate aliena admittere coguntur

guntur, sive per se considerentur illæ qualitates, sive ad cerebrum comparatæ. Nam unaquæque qualitas unde dicetur ortum habere? nihil enim à se ipso producitur, neque ab eo quod caret illâ productibili perfectione: at cum in corpore putrescit aut sanguis aut humor, quid nam dicetur efficere illam novi generis qualitatem? nam vel ante putredinem vel corruptionem humoris existet ea qualitas, atque ità erit antequam producatur; vel quod illam producit, carebit ea perfectione. Et cum supponat omnia ex quatuor elementis & primis complexionibus derivari, nam & qualitates secundas ex primis oriri dicunt, & formam specificam non absque his operari, & ab illis dependere: explicandum ipsis erit quomodo connecti oporteat primas qualitates ad hoc ut sequatur illa vis Epilepsiam generativa. & si plures species esse dicantur, differt uniuscuiusque temperamentum, à quo veluti radice succrevit, neque tolli potest nisi succisâ radice, at hæc quomodo succidi potest, ignorato temperamento? Nam cum rectè medente necesse sit contrariis uti, non quibuscunque, sed morbo accommodatis, differunt autem à se intemperies Epilepsiæ, propterea, quod diversæ secundæ & tertiæ qualitates, non possint ab una intemperie causari, non erit enim idem curandi modus omni Epilepsiæ communis, sed unicuique proprius pro ratione nimirum temperamenti. Quod cum ipsi ignorent, ignorabitur quoque cura talis morbi, etsi quid agent temerè fortuito Andabatarum more agent. Quod si dicant satis esse tale medicamentum opponere morbo, quod adversa vi pollet, tametsi ignoretur utriusque temperamenti modus & mensura: contra hoc est, quia si ita faciant desinent esse dogmatici nihil ab empiricis differentes, qui tamen in omnibus gloriantur in dicationibus & verâ methodo uti. deinde cumplures esse dicant Epilepticas qualitates: non enim tollitur secunda aut tertia qualitas nisi temperie à qua processit mutatâ, mutari verò nequit nisi per contrarium, at unum uni non multis est contrarium. Quod si existimant qualitatem à putredine vel aliter ortam, posse se ipsam propagare & aliud subjectum eâ imbuere, absque eo quod mutetur illius subjecti temperamentum, sequitur non recté sentire, cum dicunt omnia ex primis qualitatibus dependere. Nam si indifferenter talis qualitas producitur in subjecto quomodolibet temperato, poterit & in sua prima matrice & proprio subjecto conservari quomodocunq;

primis qualitatibus mutatis, Frustrà igitur ac injustè sæpe accusant temperamentum, cum infinitæ esse possint eiusmodi vires corporis humani partibus adversæ absque dependentia primarum qualitatum; sicuti enim cerebro repugnat vis Epileptica, ità stomacho singultiva, cordi syncopica, hepati hæmatophtoica, renibus ac vesicæ nephritica, utero hysterica inesse & adversari potest. At illi rem acu tetigisse putant, si dicant renes aut hepar, aut ventriculum laborare imbecillitate: at Dij boni quid tales præ Rusticis amplius norunt? sciunt utique & hi stomachum non rectè suo officio fungi & laborare; at quæ causa ipsum debilitavit ipsi quidem ignorant; à vobis verò Coryphæis nobis Tyronibus hoc erat explicandum. Alagis autem dicere videntur, qui morbos omnes ad usque primas qualitates resolvunt, hinc mirè litigantes audire licet, dum alij pro colore, alij pro frigore totis viribus decertant. Itaque fit ut cachexias, hydropises, fluxus hepaticos, nephritides, colicas, alij quidem calefaciendo, alii refrigerando superare sperent. Verùm infelix medicatio, dum ex malo in peius ruunt ægri, quo pretio sint æstimandi tales calefactores, luculentis nos docet exemplis. Quod si jam ea qualitas cerebro comparetur, cui dicitur adversari, quæstio erit, an ex eo solum, quod cerebro assistit, ipsum angit & cogit ad tam inordinatum motum, an opportet aliquid agere, cerebrum vero pati? videtur enim non satis esse, qualiscunque cerebri contactus, alioquin vapor quilibet ipsa attingens idem facere deberet nam illa substantiæ aut qualitatum diversitas per accedens se habet ad contactum, quemadmodum nihil refert, si quis ab auri, seu ferri massâ, aut saxo prematur. Si autem tangit & simul lædit inquo consistere dicent hanc læsionem? vel enim sibi similem vel diversam in eo causarit qualitatem, at sibi similem qui potest non mutato cerebri temperamento? & licet fieri posse demus, quid potest illa qualitas cerebro in commodare? neque enim aliquam illius perfectionem exturbat, quæ enim hæc esset? & nihil nisi à suo contrario expelli potest. An propterea cerebrum refugit eam qualitatem, quia vires domesticæ novo hospite recepto minus jam laxè habitant? an quia illius actiones perturbat & inconcinnas reddit, quemadmodum cicada assiliens in Apollinis lyram? At verò depravari actiones minimè contingit, nisi radix ex qua procedit actio, aliquid patiatur; ut si concoctio opus sit caloris,

male

male ea habebit, si calor vel excessit, vel fuerit imminutus: at si calor aut lux, aut alia qualitas subjecto appulit, nihilque ab ea calor patiatur, nihilo deterius calefactio habebit: pari ratione cum vires cerebri neque augeantur, neque minuantur ab Epilectica qualitate, inoffensæ procedent actiones.

CAP. V.

Solitæ quorundam medentũ objectioni respondetur.

Sed quid attinet tam subtiliter hæc mirari? sit enim qualiscunque naturæ illa qualitas cerebro inimica, sufficit medico mineram & fomitem illum, à quo sursum effertur nosse & evellere, atque huic soli medicamenta opponere, non verò ignotæ illi qualitati: quemadmodum viso serpente aut scorpione nihil moramur quæ vis sit utriusque veneni, sed priusquam possit nocere stipite aut saxo arrepto utrumque conficimus & exarmamus. Respondeo possibilem quidem esse talem curationem, multa enim experientia, multa casus adinvenit quibus rectè utimur ad profligandos morbos. At nequaquam ità medentes à vulgo differre, aut eâ purpurâ quam gestant dignos videri, oportet enim eos, qui se Medicinæ Doctores profitentur non solùm curare morbos, sed etiam suæ curæ non fantasticam at veram rationem tenere. Deinde cum supposuerint quatuor elementa, & primas qualitates tanquam principia omnibus communia, oportet ut in singulis affectibus ab his originem demonstrent: quod si vel unus effectus non sit resolubilis in illa principia, non jam erunt Universalia: quibus proinde loco motis, universa corruet medicina. Sed neque verum habet fomitem & mineram mali perpetuo ipsis cognita esse, experientia enim contrarium docet, cum sæpe nullis pharmacis somniatos à se humores evellere possint, nam supponunt semper aliquem ex quatuor humorib. peccare, itaq; ad exturbandum illum non desinunt suis venenis corpus fatigare; est enim hæc sententia Hipp. medicamentum si non invenit humorem corpus liquare, & inde quod sibi conveniens est attrahere. Et licet contra hos errores partim in nostro de urinis libello egerimus, partim

tim ex professo opere huic dicato simus acturi, quia tamen humano generi sunt pernitiosi, & ipsi in iis jam occalluerunt, nunquam à nobis aut aliis satis dicetur quo ipsi resipiscant: etiam hoc loco tentare illas suppositiones, non quidem animo convellendi, sed solùm quâ parte ruinam minentur ostendendi operæ pretium fore putavimus.

Cap. VI.

Quatuor Humorũ naturalium in corpore existentia & ab his præter naturalium productio perstringitur.

CUm itaque dicant à quatuor humoribus intrinsecè constitui corpus humanum, & alios quatuor veluti abortus in corpore aberrare, videtur ratio doctrinæ exigere ab iis, quo ad majorem claritatẽ nobis definiant in quo uniuscujusque humoris natura consistat, nam cum dicitur bilis aut pituita sive excrementitia sive illa corpori intestina, erit ne talis per formam substantialem an per accidens? sive illud unum sive plura esse dicantur. Deinde an humor excrementitius differat ab altero ejusdem nominis sed diversi ordinis essentiali an verò accidentali ratione. Et cum magna sit varietas in iis humoribus qui ejusdem sunt nominis & rationis, differt enim bilis à bile, nam & pallida, & vitellina, & porracea & æruginosa, & atra dicitur, an tot sint species essentialiter distinctæ quot nomina, an solo differant accidente, præterea cum ex cibo & potu oriantur, quomodo se habebit talis generatio? nam cum specie differant alimenta, atque unum quodque tale sit per formam substantialem, necesse erit vel omnes formas corrumpi & evanescere (nihil enim moramur vanam illorum subtilitatem, qui formas negant corrumpi sed compositum, corrumpi enim dicimus illud, quod cum antea fuerit jam non est) etsi corrumpitur, an dicetur materia suis formis spoliata cum nudo accidentium comitatu remanere, an novam formam recipere & an semper eandem atque in omnibus partibus unam, an protinus totidem formæ se insinuant, quot debent esse humores. Et cum illa materia aliâ sui parte corpus nutriat, aliâ in excrementitios humores degeneret, siquidem essentialiter differunt ab excremen-

tis humores nutritivi, an prius quidem utrisque una forma ineſt an in ea ſervatur tantiſper forma alimenti, donec ſuccedat poſtea forma excrementi, an verò à principio hæc quoque adeſt. Et ſivè una, ſivè plures dicantur formæ, quid nam producere illas dicetur, actu enim eſſe oportet quod formam producit. Et cum omne corruptum differat à ſe ipſo non corrupto, ipſi autem dicant putreſcere & corrumpi humores, quid nam fiet ex bile ità corrupta an novi generis humor aliquis, at ita non quatuor, ſed plures jam erunt. Poſtremò habitus Mercurii, arſenici, minii, antimonii, ſulphuris, & rerum mineralium, item venena & ea omnia quæ nequeunt a calore mutari, morborum turmas inducere ſolent, an verò etiam hæc neceſsè prius in bilem aut in pituitam mutari quam morbos procreent. Hæc & talia innumera his connexa, & ſcitu prorſus neceſſaria tanquam nullius uſus aut pretii ſilentio prætereunt, de quibus ſuo loco plura.

Cap. VII.

Epilepſiam à copia humorum non oriri probatur.

NUnc illorum quoque opinionem, qui ex copia humoris generant Epilepſiam refellamus. Igitur qui Epilepſiæ ortum deducunt ex humoribus copiâ ſolâ infeſtis, nullam aliam cauſam agnoſcentes, non minus rationi & experientiæ repugnant; neque phænomena huic morbo adeſſe ſolita ullo modo tueri poſſunt, quod jam incipiemus demonſtrare. Atque inprimis conſtat omnium conſenſu à parentibus Epilepticis interdum prolem naſci obnoxiam eidem morbo: quemadmodū arthritis & calculoſa renum conſtitutio, atque alii quam plures morbi ad poſteros propagantur, ita ut non ſolùm fortunæ bona, ſed etiam corporis fortunam hæreditent. At ſi copia humoris cerebrum coarctans, vel obſtruens, aut alia quacunque ratione male afficiens cauſa proxima ſtatuatur Epilepſiæ, nulla vel probabilis ratio ſupereſſe videtur, quâ poſſe fieri hoc dicatur; neceſſe enim cum ſemine aliquid transferri, ex quo poſtea tanquam radice pullulet morbus. At cum tantillo ſemine tantam humoris copiam

piam deferri quæ cerebrum gravet aut impleat, dementiæ ſimile videtur: præterquam quod ſeminis corpus, non à cerebro verùm à teſticulis ſit elaboratum, itaque horum vitia, ſiquæ eſſent non verò cerebri, contraheret. quomodo igitur poſtea in fætus formatione cerebrum, & non teſtes aut aliam corporis regionem, ſibi deligunt? neq; dici poteſt temperamentum neſcio quale ſemen accepiſse, unde poſtea ſit orta cerebri diſcraſia, quæ ſuâ frigiditate colligat multum pituitoſi humoris. eſt enim ſemen homogeneum, ex quo partes tum calidæ, tum frigidæ ortum habent: itaque cum virtus illa, quæcunque ſit, corporis architecta ſemen hoc uniforme ſuis organis diſtinguens in membra corporis humani figurat, & unamquamque partem decenti temperie exornat, alias quidem quemadmodum cor, hepar, pulmones, calidas efficiendo, alias verò frigidas, qualia eſſe dicunt cerebrum membranas, nervos, tendines, vincula, oſſa, cartilagines, quid cauſæ dicetur cerebrum efficere frigidius, quam erat conveniens ad perfectè obeundas functiones, unde poſtea multũ pituitæ ſuccreſcat, & varij morbi ortum habeant? neque enim veriſimile naturam ſapientiſſimam ſponte ſua ſibi incommodare, neque ob materiæ defectum vel indiſpoſitionem ad hoc cogi; nulla enim talis heterogeneitas in ſemine obſervatur. Et cum natura ex eo cor & hepar multum cerebro calidiora membra fabricarit, quin & oſſa multum ſolida, duriſsimaque conflarit, & membranas validas extenderit, & vincula robuſtiſſima alligarit, contra me hercule differunt plurimum à ſeminis natura: quid ni & cerebrum naturæ prorſus frigidum, minus tamen quàm cor aut hepar calidum, & quale commodum animi functionibus obeundis, ex eodem ſemine facere potuerit? An igitur ipſa natura & virtus illa Dædala dicetur aliquid paſſa? ſed quomodo vel quibus tincturis ſimpliciſſima qualitas (qualitatem enim dicunt corpus fabricare) infici aut alteratio in mutato temperamento conſervari poteſt? Reſtat ut ad ignorantiæ & ignaviæ aſylum ſe recipiant, nam ut declinent inſolubiles, ut ipſis videtur, difficultates, negabunt ſicuti alia, ità & jus hæreditanum in morbis locum habere; dicent fortuitò ità affectos naſci: propterea quod ab Epilepticis interdum naſcantur non Epileptici: alii verô tales procreentur, quorum genitores nuſquam Epilepſiâ fuerunt conflictati. Sed ô miram ſapientiam! tot experientias ſapientiſſimorum

rum hominum abrogatas velle ob leves & ex araneis filis contextas casses, quibus non nisi imbecilles culices implicantur, an non vanitas opinionis luculenter ex eo patescit, quod tantopere suis hypothesibus diffidant, ut neque ipsi experiri ob ignaviam, neque aliorum experientias ob metum admittere velint? verùm arctius jam præmamus, dicunt humoris in cerebro congesti copiam facere Epilepsiam, & cum de causa proxima agatur, ex qua immediatè procedit morbus, quæro qua ratione ad præsentiam humoris, solâ copiâ peccantis, corporis totius convulsio concitari, atque omnis actio mentis turbari & concidere possit, nullâ vi ipsi illatâ. mentis enim actio, ut imaginari, discurrere reminisci &c. vitalis est, à principio vitæ exorta, quæ neque in materia recipitur, neque ab aliquo extraneo dependet, nihil enim ad actum intellectus, vel imaginationis requiritur præter virtutem animæ & præsentiam speciei, quæ vagam & in certam potentiam determinet, ad hoc vel illud cognoscendum. Quod igitur efficere potest humor, nihil agens sive potentiæ, sive imagini? aut quomodo ad solam illius præsentiam justitia indicitur animæ? quid? quod in principio accessionis imagines distortæ phantasiam perturbant, horribiliaque & terrifica spectra animo obversantur, quæ ad nudam præsentiam pituitæ aut cujuscunque alterius humoris referri nulla queunt ratione. Cum itaque hoc ipsum quod subjectum est & causa suæ actionis, sive sit spiritus innatus, sive humidum primigeneum, sive ipsa anima non pendeat à vi externa, sed ex se ipsa sit sufficiens, omniaque habeat ad agendum requisita, licet accidat omnia extra ipsum turbari, & susque deque ferri, cum nihil dicatur pati, nullam quoque sustinebit mutationem, proinde neque illius actiò cohiberi aut labefactari erit dicenda, juxta illud axioma: idem manens, idem semper est aptum facere idem. Quid igitur facere debet copia humoris, si non sufficit sola præsentia ad corrumpendam animæ actionem? an quia cerebri meatus infarcit, viasque spiritui intercipit? an quia ipsum coarctat vel illius partes â se divellit? At sive hoc, sive illo modo fieri dicatur non erit copia humoris immediata causa Epilepsiæ; Nam si cerebrum non obturaret, neque distenderet vel coarctaret, nullam vim ipsi inferret. Et cum eveniat non solùm ex congesto humore cerebrum comprimi, & distendi, vel poros coarctari; sed etiam alijs de causis; nam frigi-

da quoque & auſtera, & pontica partium laxitatem cogunt, poroſque & hiantia oſcula ſuo ad ſe acceſſu elidunt, partes verò ſubjectas comprimunt, non ſola multitudo, verùm complura alia, ſimiles cauſas moventia dicentur Epilepſiam generare.

Cap. VIII.

Epilepſiā à compreſsione cerebri non provenire demonſtratur.

QUod verò à ſupradictis illis cauſis nequeat ortū habere Epilepſia ità demonſtrabimus. Nam quod attinet, compreſſionem, & ſi nō minùs à flatibus cerebrū premi poſſit, dato tamen nō niſi humoribus convenire, nunquam efficient, ut ob ſolā compreſſionem mentis functio corruere debeat. Nam cum cerebrum contraniti, humoresque impactos eâ agitatione à ſe excutere dicant, motum ipſi concedent, cur igitur ſuperſtite motu imaginationis ſenſusque interni functio abrogatur, ſiquidem magis operoſum motum conſervare, quam imaginationem, propterea quod non ſola anima & illius facultas ſufficit ad motum, verùm inſuper neceſſaria ſunt organa, quibus labefactatis motus perit vel depravatur. At mentis functio à nullo dependet inſtrumento, cujus ſubjectum omninò eſt ſimplex & cæleſtis naturæ, in quam nihil turbulentiæ, nullus vapor, nulli venti, nulla tempeſtas, ex inferiori globo aſcendere poteſt. lex enim naturæ poſcit ut inferius à ſuperiori, non verò hoc ab illo regatur. Itaque anima in materia actiones excercet, nullam ipſa ſuſtinens mutationem, in ſe verò & non in alio res cognoſcit, ſive concupiſcit: qui actus quod abſque organo fiant à nulla re extra animam poſſunt impediri. Præterea in Epilepticis non ſolùm motus, ſed vehemus motus obſervatur, dentes enim tantâ violentiâ adducuntur ut linguam amputare, & argenteum cochleare confringere ſint qui vidiſſe dicant: membra verò tanta violentia flecti vel extendi, ut neque dirigi, neqùe tenſa flecti ullâ queant ratione. unde igitur putant hunc tantum motum proficiſci? nam ſi extoto pendet à natura, non erit præternaturalis; omne enim violentum teſte Ariſtotele eſt ab extra contra inclinationem naturæ. Quod ſi dicas eſſe quidem naturalem in ſe ſpectatam,

fieri

fieri enim à virtute insita musculisatque nervis ad suam originem retractis, quibus veluti funiculis membra quoque adducta sequuntur: at violentiam includere ea exparte, quod excessiuus sit & præter ordinem naturæ: nam motum cieri animalem nutu appetitus sensitivi; hunc autem notitiam convenientis & disconvenientis præsupponere; quod non servatur in Epilepsia. At quomodo fieri potest ut potentia locomotiva essentialiter subordinata, & ex directione alterius virtutis naturâ suâ dependens, absque illius concursu incitetur ad motum membris inducendum? sed neque aliquando quis observavit, sibi inuito aut pedem cucurrisse, aut manum ad motum fuisse concitatam. Quod si enim hoc quandoque fieret, maximè conspicuum esse deberet in atrocium dolorum sensu, at nequaquam manus Scævolæ dum ureretur ab igne resilijt. Deinde ille excessus motionis fit ne à facultate interna vel ab extra venit? nam priori modo erit motus secundum naturam, posteriori verò sive de parte, sive de toto motu accipiant, videndum erit quâ ratione à re externa cieri possit, præsertim à pituita, aut humoribus cerebro impactis. Etenim quæcunque non ab insito principio moventur, aut per inditam sibi vim, quæ dicitur impulsus, feruntur, aut cum alio motu propter cohæsionem & ipsa moventur, aut impelluntur aut denique trahuntur; itaque si quis à tubulo parte aliqua in aqua merso aërem fugat, is attractus aquam post se in tubulum trahet, at vero impetuose delata saxa, venti aërem nubesque propellunt; cum autem pisa exiliunt, vel ova concalefacta inter se colliduntur, motum habent à re inclusa, Mercurius enim ab igne fugâ se subducens, secum carcerem, quo detinetur, transfert. Quo igitur ex his modo moveri putant nervos à pituita? an quia recipiunt impulsum? at hoc qui fieri potest? siquidem impulsus reducitur ad aliquem, qui sit secundum naturam, motum, tanquam ad principium. Etenim sagitta violenter quidem impellitur à nervo, nervus ab arcu: hic verò non jam violenter sed naturaliter recurrit ad convenientem situm. propterea enim quod illâ curuatione multum à situ naturali recessit partibus quidem concavis nimium compressis, convexis autem violenter distentis, naturaliter incitatur ad situm priorem recipiendum. idem in omnibus violenter motis inductione factâ erit manifestum: neque omnino fieri potest, ut hic impulsus à re quiescente, sed ubi demum ad motũ fuerit excita, pro-

 ducatur.

ducatur. Etenim manus lapidem proijcit non quiescens, sed ubi seipsam impulit & veluti proiecit, ità perfectè, quod si in ipso lapidis actu amputaretur, ipsa quoque cum lapide ferretur. Neque obiiciant nobis quod ferrum à magnete quiescente dum vel ad ipsum trahitur vel impellitur, impulsum recipere videatur: negamus enim ob talem vim ipsum moveri, quod alibi à nobis est demonstratũ, & nunc vel ex eo patere potest, quod vim repellendi aut ad se trahendi non nisi in duobus, per diamctrum oppositis punctis possideat; impulsum verò quacunque sui parte producere possit. Si igitur cerebrum aut nervi ab hoc impulsu moventur, pituita aut quicunque humor ipsum producere ponitur movebitur hoc motu secundum naturam. Quod si pituitæ omnique humori repugnat se ipsos movere, alia restabit causa cuj primo & per se conveniat sicuti moveri, ita & impulsum dare, non itaque humor erit causa Epilepsiæ nisi ut instrumentum, quemadmodum baculus lapidis à se propulsi nõ est causa, sed manus, quæ baculum primo movit: & cum spiritus omnium motionum quæ in nobis sunt, author sit, non minus aptus quam humor recipere causæ hujus motionem, quid opus humore quasi sequestro, eadem enim causa, quæ humores turbavit, ipsum quoque spiritum ad humorem excitabit, Eadem ratio alias quoque impugnat causas, necesse enim in omni motu violento, devenire ad aliquid primum, cui motus ille convenit secundum naturam. Quod si cerebrum à pituitosis humoribus coarctatum suis functionibus, quæ imaginationi & sensui interno debentur privari putant, eos rogabimus quomodo hoc fieri posse censent, nos velint edocere, cum enim hoc sit perobscurum & veluti tenebris involutum, mens hebescit ad illud cognoscendum nisi interpretationis lucem illi accendant, partesque in toto confusas explicent & evolvant; quod pro sua humanitate, & summa quá pollent, doctrinà facturos confidimus. Igitur cum dicunt cerebrum comprimi, qualis nam dispositio, sive subjecti sive organi amittitur illâ coarctatione? nam si partibus cerebri compressis imaginatio nequit consistere, necesse illâ conpressione aliquid ad actionem necessarium, sive ex parte efficientis, sive ex parte subjecti deperire, quod enim subjectum sit alteratum, ex hoc præcisè non inhibetur illius actio: aër enim species sensiles atque lumen in se admittit, quamdiu perspicuus manet, quacunque ratione mutetur; ubi verò

ex

ex fumo & halituum in cursu opacus non jam peruius & luci & speciebus , quæ igitur hic dispositio omittitur , quod enim partes ob compressionem ad se propius accedant, extinctis poris & cavernulis , quæ mediæ erant inter partes , tametsi vis inferatur corpori , in illis poris constituto , partesque , quæ aliquantum distabant , se jam contingant, non tamen propter hunc partis unius ad aliam accessum vel contactum vires agendi omittere dicentur : nihil enim pars ab illa eiusdem naturæ parte se tangente patitur , nisi forte in amoratam dicas & eo amplexu suas functiones oblivisci qualiter Phænissam Carthaginis oblivisci fecit Æneas. quod autem corpus ab osculis eâ ratione conniventibus partium coalitu eliditur , cum extra naturam partium sit , nihil illius abitu partibus incommodi emergit; propterea quod neque dum præsens adesset aliquid operæ ad actionem conferebat.

Dices spiritum residere in illis cavernulis & partium arctatione exprimi, spiritum vero neussarium ad actiones instrumentum omnes Philosophi & Medici testantur , quid igitur mirum eo eliso deficere actionem. Sed quæro an etiam motus fiat conferente vim suam spiritu : quod si ita, quemadmodum ipsos dicere veri simile est & conveniens, igitur cum Epilepticis motus est superstes nihil quoque imaginationi ob hoc decedere potest , sive spiritus dicatur à poris elidi, sive quacunque affici ratione : quà enim ratione ipsi motum poterunt conservare , nos eadem imaginationi & sensibus internis adaptabimus. Deinde spiritus in poris residens , quem necessarium ad actiones mentis putant, quid nam conferre dicetur ad imaginationem ? imaginari enim leonem v. g. est per speciem impressam potentiæ imaginativæ , producere non extra se, sed in se ipsa actualem similitudinem leonis , quæ dicitur species expressa an igitur spiritus hic in se continet omnium rerum impressas species , ipseque in anima efficit actualem repræsentationem ? quod si ita, erit profectò nobilior ipsâ animâ, quemadmodum de intellectu agente probat Aristoteles , propterea quod nobilius sit agere quam pati. an igitur animarum esse dicent, an verò animæ expertem ? quod si prius , anima informabit spiritum influentem ; neque enim cum Auerrhoide sentire puto , at sicuti ex hac positione rationi consonum , vitales actiones à spiritu, ut pote animato, & Principio vitæ proficisci, ità ex alia par-

 te

te hoc oritur absurdum, quod subjectum animæ erit quid similare & non organicum : nihil enim juvare potest partium, quæ poros ambiunt & spiritum includunt, natura dissimilaris, etenim dispositio necessaria ad formam esse debet in illo subjecto, in quod ingredi forma debet : quis enim dicat in aquam ingredi formam ignis, propterea quod vicinus illi aër sit dispositus ad formam illam recipiendam? quomodo ergo dicunt organizationem ut necessarium quid ad hoc ut anima informet corpus, si spiritus absque organis illam admittit. Quod si vero animæ expers sit, non erit actus imaginationis vitalis, propterea quod ab externo, non verò interno principio venit. Præterea partes solidæ habent animam ipsas informantem, animæ vero inest facultas imaginandi & cognoscendi : At facultas determinatur ad actionem per speciem non extra se positam, quemadmodum oculus ad videndum per speciem non quæ sit in aëre, sed in pupilla. Igitur potentia imaginativa, sibi est sufficiens ad imaginationem absque omni extraneo concursu. Dices duplicem esse spiritum, insitum & influentem, & hunc quidem in poris residere, & esse alterius nutrimentum, illum verò corporis organici partem dignitate primam, animam in se habentem, & omnium opificem actionum ; quia verò ob subtilitatem naturæ continuò dissipatur, indigere alio tanquam alimento, quo substantiam deficientem ab interitu defendat. Itaque Spiritus à poris elisus ea ratione officit, quod spiritum nativum suo privet alimento, quo deficiente & ille pariter deficit, & tandem omnino exspirat. Verùm præter rationem videtur uno quasi momento ob defectum alimenti ex toto concidere, ut nihil possit imaginari : verisimile enim est, si ita fieret, sensim deficientem prius incidere in actiones imbecillas, quam illis ex toto repentè privari : quemadmodum per lassitudinem accidere videmus ut imminutas actiones demum virium exsolutio sequatur. Deinde cum ad motum robur validius, quam ad imaginationem requiratur : Ægros enim pro imbecillitate videmus interdum neque digitum posse movere, qui tamen multis imaginationibus interea distinentur, non videtur ob spiritum deficientem vis imaginativa feriari, cum motum in Epilepticis insigniter vigere sit ostensum. Non igitur compressio cerebri impedire vel labe factare potest sensus interni functionem.

Adverte tamen nos minimè negare ob cerebri compressionem

Epi-

Epilepſiam, vertiginem, apoplexiam, aliosque complures morbos occaſionari aliarum cauſarum inter ventu; at quod Epilepſia immediate ex ſola compreſſione cauſari poſſit, hoc verò eſtquod impugnamus; adeò, ut etiam DEO cohibente alias cauſas cerebro non ſolum compreſſo ſed etiam confuſo, perſiſtere dicamus, illæſam mentis functionem, ijs tamen exceptis, quæ à certo modofiguratis organis dependent. Quid enim quantam fuiſſe putatis compreſſionem in puero illo de quo Ingraſſias refert, nimirum coronalem & futuram rectam cranij ob hydrocephalem, in tantùm fuiſſe dilatatam, ut ſpacium unius digiti intereſſet, duraſſeque multis menſibus taliter affectum. Si itaque oſſa ſolida in tantum diſtendi potuerunt, quid ni & partes cerebri molliores comprimi. Pareus quoque refert In quodam puero, ità compreſſum cerebrum inveniſſe, ut non minus eſſet pilâ palmari. At quod Veſalius ſcribit noſtram opinionem planè confirmat, ait enim Auguſtæ Vindelicorum puellam fuiſſe bimam, cujus caput grandiſſimi viri caput excedebat, in illius cerebri ventriculis primis reperiſſe ſuper novem libras aquæ, itaque factum fuiſſe, ut ob aquæ copiam ventriculis ampliatis, cerebrum ad inſtar membranæ fuerit extenuatum. Addit prædictam puellam ſenſibus integris usque ad mortem perſtitiſſe non fuiſſe articulis reſolutam, neque tremorem, neque comitialem adfuiſſe.

Cum itaque tam ratione, quam experientia, ſufficienter à nobis ſit oſtenſum, ex ſola cerebri compreſſione non poſſe ortum habere Epilepſiam, videndum nunc an aliqua meatuum reſtrictio interveniat, quæ viâ interceptâ curſum naturæ inhibeat vel remoretur. Et cum multæ cavitates in cerebro contineantur, de quibus intelligivolunt, quando obſtrui eas dicunt, omnes ne an aliquas, & quænam illæ ſunt. Credibile enim ipſos qui tam obſtinatè hoc dicunt inde nuntium accepiſſe, qui omnia coram diligenter curioſeque inſpexerit. Itaque ſi etiam nos fidem habere volunt, oportet credibilem facere narrationem, additis circumſtantijs quæ rem ſolent comitari. Ut itaquè inſignem aliquam capacitatem, qualis cerebri ventriculorum, pituita inferciat, magna profectò illius copia eſſe debet, à quibus bajulis, aut à qua penu tam feſtinè & quaſi momentaneo accurſu in cerebrum ſubvehi potuit, aut ſi jam ibi præexſtitit, quibus cuniculis interea deliteſcere, aut quod frænum illius maleficium

cium inhibere ? ſed quid attinet ſingula inſectari , ſicuti enim una eſt recta linea , infinitæ verò obliquæ , ita veritas unica , errorum verò numerus infinitus. Nos itaque in veritate tanquam in centro conſiſtentes omnium errorum ſagittas,uno ſimul clypeo excipiemus,ſicuti enim punctum circuli medium tametſi unum , omnibus tamen perimetri punctis par eſt,propterea quod omnium radios in ſe directos , indiviſibiliter excipit , ita invicta veritas una cum ſit,ad omnes errores elidendos apta ſibi ſufficit. Cum itaq; obſtrui dicitur quidcunq; tandē cerebri meatus incōmodat, idcirco eveniet quod iter redditur ; impeditū;neceſſe igitur vias illas, quæ obſtrui dicuntur,aliquam utilitatē partibus attuliſſe : quarum functio per obſtructionem impeditur vel læditur. Quæ itaque erit hæc utilitas,an quia ipſa pars per viam commeare ſolita prohibetur à motu, an quia aliud quid prædictâ viâ ad ipſam accedere debet ſivè alimentum , ſivé materia ſit operis faciendi,cujus defectu pars redditur imbecilla vel ad opus efficiendum inidonea , quemadmodū in urbis obſidione prohibitâ annonâ, plebs quidem fame enervatur opifices autem ferias agere coguntur:an quia in ipſa parte detinetur,quod vel excurrere debebat. Quod ſuâ præſentiâ partim gravat, quemadmodum Turnus ingentem ſtragem milleque victor ſub tartara mittit,dum Pandarus ingens portam vi multa converſo cardine torquens , ipſum hoſtili urbi incluſit. Igitur partem propterea lædi , quod exſpaciari prohibetur , ſicuti dicere vanum ita dicere ipſos minimè puto. Pars enim à toto ſic diviſa neque ab anima inhabitari,neque ipſa pluribus locis à ſe ſpatio aliquo diſſitis compræhendi. Ut verò moveri dicatur non quidem ſe toto , ſed aliqua ſui parte,quemadmodum ſpongiæ,tametſi moventur,à ſcopulis tamen quibus hærent, non recedunt,ita ut hic motus cordis & arteriarum motui ſit ſimilis , dilatatione quadam & conſtrictione conſtans , præterquam quod temerè & abſque fundamento dicitur,nihil enim in cerebro apparet , cui attribui poſſit ille motus , niſi fortè cerebri proceſſus,quem ſcolicoidem à ſolitudine dicunt, cujus officium Gal. lib. 8. cap. 14. de uſu partium eſſe dicit meatus cerebri ventriculorum,& qui ante hunc eſt claudere,&reſerare.Quod tamen nemo uſquam dixit; eſſet enim pars cerebri omnium nobiliſſima,neq; conveniens tam nobile membrum ante alienas fores excubare , & ſervili

mini-

ministerio fungi. Sed neque etiam hoc dato, aliquid eos juvare potest, nam cuius operatio non pendet à certo loco, aut motu ad locum, non potest lædi, neque inhiberi quacunque ratione is impediatur. At quis dicet imaginationem indigere locali motu, qui naturâ suâ, non nisi ad ubi refertur? Oportet itaque si quis nomen Philosophi tueri velit, causam per se, à causis per accidens distinguere non rusticorum more, quicquid ante aliud est, quacunque ratione, illius causam æstimare, quemadmodum neque ab eo, quod ex apparentibus sensui, ad effectum proximè se habet, ipsum dependere vel exoriri. multa enim per accidens concurrunt tanquam comites, vel anteambulones ipsius causæ, ipsa verò sæpè tenebris in voluta, omnes hominum effugit sensus, sola mentis indagine investiganda. Videamus jam an ex impedito accessu talis substantiæ, quæ sit necessaria ad functionem mentis, contingat aliquam actionem lædi. Cum verò ad cerebri regionem, nihil nisi fluidum & spirituosum evadat, quæ omnia ipsi negant animata, propterea quod cum talibus corpus nutriatur, absurdum videretur partem unam aliam esitare, & ab eo capere augmentum, efficitur quicquid tandem sit, cujus accessus dicitur prohiberi, in nullo genere causæ, concurrere ad tales actiones. Ostensum enim vitale & immanens nullo modo ab aliquo extra animam pendere, neque omnino perceptibile, quid sit ille concursus spiritus influentis, cum vitæ expers esse dicatur. Et mirum profectò viros doctrinæ opinione adeò celebres, tam crassam & confusam doctrinam de spiritibus nobis reliquisse: non enim satis est affirmare hoc illudue alicuius esse instrumentum ad quidpiam efficiendum, verùm explicare oportet illius & usum & modum, concurrendi ad talem effectum. Quam enim rudis & ignarus pictor æstimaretur, qui penicillum affirmaret summé necessarium ad pingendum instrumentum, usum tamen & modum applicandi prorsus ignoraret: cui similes illi videntur, qui dicunt spiritus esse necessarios ad omnes animi actiones; atquomodo una quæque talis actio à spiritu procedat, vel quo modo unius naturæ spiritus tantam actionum varietatem inducat, dicere nequeunt. Deinde esto demus, cerebrum à spiritu recipere vim ad suas actiones, non tamen sequetur ea symptomata, quæ insunt Epilepsiæ, eo absente causari. Quod si enim motus aut imaginatio ab eo pendet, contingет, eo absente ta-

les actiones impediri vel imminui, si videlicet non ex toto, sed aliquâ sui parte deficiat: at verò contrariã actionem sequi, qualis motus convulsivus & insolita animi spectra, haud continget: quis enim dicat solẽ, posteaquam præsens aërem calefecit, absentem refrigerare ? Contrariæ enim actiones, vires à quibus producuntur contrarias requirunt. Præterea experientia his repugnat, arteriis enim jugularibus, quæ carotides & soporariæ dicuntur vinculo adstrictis, spiritus à cerebri ingressu prohibetur, neque tamen sequitur Epilepsia, verùm affectus longẽ dissimilis motu & sensu privans, itaque ferunt babylonios hanc affectionẽ in pueris moliri, nec dũ secantur doloris sensus eos attingat. Neq; satisfaciunt qui dicunt ex prohibito tali accessu spiritus influentis spiritũ vitæ suo alimento privari: jam enim à nobis ante fuit dictũ haud verisimile videri repente deficere illã actionem, sed sensim, qualiter subtractis lignis, ignem deficere videmus, qui priusquam vrere desinat, ad imminutas actiones progredi, nusquam refrigerare est deprehensus. Restat ut ex retenta aliqua substantia, suscitari Epilepsiam dicant, cujus duo sunt genera, alterum quidem utile, alterum verò excrementitium, & utile quidem erit spiritus animalis, qui à cerebro ad omnia membra, & potissimum ad sensuum officinas defluere, & ea irrigare, talique perfusione ad obeundas actiones idonea efficere creditur. An igitur ex eo habet ortum Epilepsia, quod viæ ad sensuum organa directæ, tunc, quemadmodum multis videtur, obstruuntur, uude omnem actionem sensus externi concidere & extingui sit necesse? verùm contra hanc opinionem demonstramus, & vias expeditas esse ad cujuscunque sensus officinam, & dato hoc ipsis non tamen sequi Epilepsiam; nam verisimile quidem illius partis actionem aliquid pati ex prohibito in eandem spiritus affluxu, quæ aliquâ ratione à spiritu dependebat; imaginationem verò & motum animalem depravari aut lædi non est consonum rationi : quid enim cerebro in commodare potest spiritus inibi detentus, cum ipsi domesticus sit & familiaris; quin potius cerebri actiones ob copiam spiritus retenti vigorari, & roboris capere incrementum conveniens esse videdetur, vias autem ad sensuum organa liberè patere ita probamus. Quod cum spiritus qui tactum perficit & circa objecta dolorifica versatur, crassior sit spiritibus aliorum sensuum, neque tamen ulla partis

partis obstructione prohibeatur eam irradiare. Multò minùs aliorum sensuum spiritus magis subtiles poterunt prohiberi à sua radiatione. Quod verò Epileptici sensu illo omnibus animantibus communi in ipsa accessione pollent, unde magis promptum erit desumere argumentum, quam ex praxi ab his solita usurpari. Nam & vincula injiciunt membris arctiora, & duras adhibent frictiones, & dolorificas tum sectiones, tum ustiones sædulo moliuntur, ad revellendam, ut ipsi dicunt, materiam peccantem. Quomodo igitur boni viri negare potestis sensum tactus inesse, quibus dolorem per hæc inferre propositum habetis? aut si sensus ille deperiit, quid frustra à re insensibili dolorificam passionem expectatis? At non ita res habet, dolor enim parti ustæ aut sectæ adest, non tamen ab anima, propterea quod mens ægrotet, percipitur: alii quoque sensus feriantur, non quia spiritus vel aliqua virtus desit, sed quia organum est depravatum; Oculi enim eversi non recipiunt ea parte & modo, quo ingredi species oportet: vel, quia mens ab his tanquam minoris momenti rebus adversa opere magis arduo distinetur. quemadmodum euenire solet attentâ speculatione defixis, qui nihil eorum, quæ ante oculos sita sunt, oculis patentibus cernunt. Quod verò etiam motus insit membris ita convulsis, non à cerebro, sed à vi musculis insita facilè persuadebitur ei, qui non omninò ignarus fuerit nervorum constitutionis, & quâ ratione ipsi motum obire solent. Etenim si convulsio in Epilepticis propterea causatur, quod cerebrum fons nervorum patitur, sive secundum se totum, sive aliquam sui partem, ita, ut quæ nascendi originem fecit, eadem convellendi sit author: nervis enim ad suam originem retractis, artus quoque quibus nervi inseruntur, versus illam partem flectuntur: quemadmodum in statuis fieri videmus, in quibus partes ad motum artificiosum dearticulatæ, à funiculis ita insertis attractæ sequuntur: si inquam ad hunc modum fieri supponatur motus convulsivus, necesse erit omnes articulos, qui propaginem nervorum inde accipiunt, simul convelli, neque possibile erit extremam fibram, quæ digiti articulo inseritur, contrahi, non contractâ ea parte, quæ inter hanc & cerebrum medio extenditur loco; quod tamē experientiæ repugnat. Videmus enim non solùm in leviori Epilepsia,

diversa membra convelli alijs minimè convulsis, & cum vel labia sola tremere, vel oculi natare & inverti, vel dentes collidi, sed etiam imperfectà & universali, quando fere omnia membra quatiuntur, diversimodè eidem parti convulsionem adesse. Nam multoties in ità collapsis observamus, interdum solos digitos colludere, & veluti numerum alternis motionibus inire, interdum solo cubito varias figuras explicari, interdum quoque brachium convelli, & modo pronum ferri, modo resupinari, quod idem de cruribus dicendum. At oportebat, si principio affecto nervi sua contractione convulsionem accersunt, alios quoque nervos qui non minus à cerebro oriuntur, & musculos omnes simul, & æqualiter convelli. Quid quod teste Gal. nullius nervi propago à cerebro ad manum, aut brachium, aut pedes descendat, ipsis motum præstitura, sed omnes à spinali medulla ortum habeant. Nam lib. 15. c. 3. cæterum, inquit, manus ac pedes actiones habent robustas ac vehementes, præterea substantiam habent duram, ac positionem à capite remotissimam. Ob eam igitur causam nullus à cerebro nervus prædictis partibus immittitur, quo modo neque brachijs, neque cruribus, sed à spinali medulla duntaxat nervos duros brachia & crura accipiunt. An igitur dicent non modo cerebrum, sed etiam spinalem medullam infarciri, à pituitosis humoribus? Non enim satis est eam partem expleri, quæ proximè oritur à cerebello, sed jam quoque quæ ossis sacri cavitatibus inest, propterea quod inde descendunt ij rami, qui crura pedesque movent; at hoc ut pote absurdum nemo admittet? incredibile enim tantam humoris copiam, illas partes inundare, neque possibile absque paralysi, tam diu aliquos durare; cum promptissimum sit illam sentinam in nervos se insinuare & eos emollire. Præterea si ex uno communi principio nervi retrahuntur atque artus convellunt, sequitur à nervis ità æqualiter tensis non convulsionem, sed rigorem existere, nam cum æqualiter tendatur nervus, & qui flectit, & qui extendit membrum, sequitur immobilitas illius membri, nullo motu alteri prævalente. Quod attinet excrementum, á cuius prohibito egressu non nemo putaret Epilepsiam suscitari, lubet quærere ab his, cujus naturæ velint esse tale excrementum; si enim cerebro proprium esse dicant nihil differt á pituita, ac proinde quæ contra eam attulimus, poterunt huc accomodari; quod si verò ab ea differt sive aliun-

de

de eo accedens, sive ibi genitum ex aliqua materia putrescente & impeditam transpirationem, aut aliter corrupta: nihilominus hoc restat dicendum, qua ratione cerebro possit officere vel incommodare, an obstruendo vel coarctando an erodendo, vel aliquam dispositionem tollendo, an totam substantiam vitæ spiritum demoliendo: Et profecto si ita sit, quomodo verum esse potest ex solis crassis & pituosis humoribus Epilepsiam ortum habere?

Cap. IX.

Respondetur objectioni probanti diversos Humores in corpore existentes diversos edere effectus.

DIces, non propterea desinere aliquid alterius esse causam quod modum quo producitur effectus ignoremus vel explicare nesciamus, quis enim negat à pisce perexiguo navigia remis & velis concita, detineri, à torpedine stuporem membris induci, à magnete ferrum trahi? at quo hæc & alia infinita fiant modo, omnes ignorant, itá quoque humores varia in nobis operari, & diversos producere effectus ostendit quies illa, quæ sequitur humores à corpore evacuatos. Itaque cum à Melancholia veluti atra nube species offundi & tristitiâ mentem obnubilari videmus, & à bile flava corpus exæstuare, & irâ ebullire, aut in rabiem agi, an difficile erit creditu, ex ijsdem humoribus Epilepsiam suscitari? Quod etiam confirmant ea spectra, quæ sopitis corporibus animo solent obversari & pro dominio humoris variè nos inquietare, nam ferunt, pituitosos, aquas, nimbos grandines, pruinam, nives & hyemem somniare &c. biliosos ignes & ea omnia quæ aliquam ex igne habent proprietatem, & quæ certè non alia ratione fieri posse videntur, quam quod species à varijs humoribus variè afficiuntur. Respondeo verum quidem esse multos effectus, multasque actiones à rebus pendere & exoriri tanquam proprijs causis: inquibus cum multæ vires sint permixtæ, non satis constat ad quam potissimùm vim reduci debet quisque effectus, tanquam propriam & proximam causam: Et tum satisfecisse videmur, si illud subjectum, cuj inseparabiliter adest illa vis, causam esse di-

dicamus talis effectus, unde causam attractionis ferri & eiusdem directionis ad certam ætheris plagam magnetem esse dicimus: Quod ubicunque adest natura magnetis, pariter ad est vis illa tractiva ferri & Cæli index. At nequaquam sive tractionis, sive directionis causa proxima statui debet natura magnetis: Quod si enim ea quâ talis est formaliter ferrum trahere dicatur, nusquam à se idem repellere poterit, non minus enim eâ parte quâ repellit, quam quâ ferrum attrahit, natura inest magnetis. Multo minus causam proximam attingere videntur, qui tales substantias solent alligare, cum quibus raro habet connexionem ille effectus, cuius causam inquirunt. Itaque cum vident Epilepsiam oriri ad præsentiam humoris pituitosi, ineptè arguunt pituitam fore proximam causam Epilepsiæ: non considerantes, neque semper adesse pituitam, quando ea suscitatur, neque ab omni pituita Epilepsiam oriri. Multæ enim tincturæ & spirituales impressiones concurrunt, rebusque intimè permiscentur, quæ nullo sensu, sed solis effectibus quandoque innotescunt, quis enim ex solo manus contactu in lapide factam impressionem sensu depræhendit? quod canes facere videmus, qui lapidem sui heri manu attactum facilè à circumfusis lapidibus distinguunt. Ita aquæ medicatæ existunt, ita veneno infectæ & lethales, nulla in qualitatibus sensui manifestis factâ mutatione. Itaque enitendum, in omnibus tales impressiones, sive sensui notæ, sive ignotæ fuerint, eruere & à non veris causis dijudicare: quod consequimur artificiosâ talis subjecti in omnes partes resolutione, & cujusque partis accuratâ diligentique inspectione, atque ad suos effectus factâ comparatione. Quod verò attinet allata superius exempla quibus varii humores, varia insomnia causare dicuntur, propterea quod species imaginationi servientes, diversimodè ab his mutantur. Quo manifestum fiat quantum veritatis talibus insit, tum verò maximè ea de causa, quod nobis propositum sit illud symptoma, quo veluti mens in accessione videtur ægrotare, diligenter explicare, causamque læsæ imaginationis propriam investigare: de natura imaginationis, illius viribus, & variis operandi modis latius hîc agendum erit. Neque enim quid ægritudo, vel quid præter naturam, cognoscere possumus, si sanitatem & illud quod secundum naturam inest, ignoremus.

CA

CAP. X.

Fundamenta pro genuina causa Epilepsiæ jaciuntur investigando modum quo Species sensibiles sensibus externis & ab his internis communicentur.

UT itaque incipiamus à concessis, supponimus PRIMO dari species sensibiles, quibus non tantùm externi sensus, præsente objecto suas functiones peragunt: sed etiam sensus internos, seu virtus imaginativa absque præsentia objecti potest operari, nemo enim vel leviter in opticis atque Philosophia versatus hoc inficiari potest.

SECUNDO species quæ insunt subjecto sensus communis, originem habere & dependentiam à speciebus sensuum externorum: quod si enim abortu caret quis sensu aliquo, non poterit percipere objecta illius sensus. At non ita certum an species illa quæ inest oculo ejusdem sit naturæ, cum ea quæ idem objectum repræsentat imaginationi, ita, quod si species à pupilla transferretur ad imaginationem, non minus per eam quam visus ad actum reduceretur, nam licet in repræsentando objecto nihil differre videantur, adeo ut sæpe deleri existiment ea visu aut alio quodam sensu à se percepta, quæ ipsi fuerunt imaginati: differt tamen hæc ab illa, quod quæ externis sensibus inest ab objecto necessario ita dependet, ut ne momento consistere possit absque influxu talis objecti; at quæ imaginationi deservit, ubi illius sinu semel excepta fuit, non eget deinceps tali conservatione. Deinde cum subjectum imaginationis interius reconditum sit (nam veluti centrum externorum sensuum medio loco consistere ponitur, quo omnium radios in se excipiat, & vicissim suis spiritibus vim influat animalem) scire velim quibus itineribus, eosq; se insinuare possit species ab externis sensibus progressa. Etenim constat non nisi recto itinere species sensibiles à natura propagari, neque aliam viam à sensibus externis introferre, quam per spongiosam nervi optici medullam: etenim ea tunica, quæ undique oculum ambit, sclerotes dicta, suâ crassitudine opacâ non est idonea

idonea ſpeciebus tranſmittendis, vel in ſe recipiendis. erit igitur neceſſe per opticum nervum ſpecies ad cerebrum pervenire : At hoc fieri minime poteſt, Nam propter obliquam poſitionem quam habent nerui optici (à lateribus enim in oculos inſeruntur) non poteſt ad illos terminari conus pyramidis radioſæ, axis enim qui per centrum pupillæ decurrit in medio retinæ loco, non vero ea parte, qua nervi in oculos dehiſcunt, firmatur. Itaque nunquam ſpecies à fronte poſiti objecti, ſed ea tantum quæ oblique à lateribus incidit, principium nervi attinget, nihil autem refractio hic juvare poteſt, quæ alioquin ſola mederi & ſpecies itinere tortuoſo deducere poteſt. Quomodo enim in eo canali refringi dicetur, quod minimè ipſum pertingit, & licet fortè aliqui radij obliqué incidentes eousque ſe inferant, quia tamem minus ſenſum movent & â recte allapſis ſuffocantur, nulla ratio illorum habetur. Neque etiam radij à concavitate tunicæ, retinæ reflexi (ſuppono enim tanquam certum & evidens in retina elici formaliter viſionem) opticum nervum aſſequuntur, propterea quod cum anguli incidentiæ & reflexionis inter ſe æquales ſint, non erit poſſibile ad unum punctum in Sphæricâ ſuperficie deſignatum, omnes radios pervenire : præterquam quod à radijs ità reflexis ſumma confuſio induceretur, nihilominùs dicendum non obſtare vim huius argumenti, quo minus ſpecies viſibiles ad cerebrum & ſenſum communem pertingant, licet inceſſu recto haud quaquam meare videntur; neque opus recurrere ad aliquam reflexionem, vel radij curvationem, ſive refractionem, licet enim evidenti experimento hanc poſſibilitatem comprobare, nam quod magna ſit analogia ſpeciebus per intermedios oculi humores ad retinam traductis, cum eo ſpectro quod excitari ſolet locis obſcuratis, cum extra poſiti objecti imago per exile foramen, cryſtallinâ aut vitreâ lente inſtratum introſubiens oppoſitam chartam pictura eleganti molliter inveſtit. Sicuti ergo huius chartæ pictura rurſum aërem quaqua verſum pingit (nam ex omni puncto ad quod recta linea cadit, conſpici poteſt, ſive ex oppoſito, ſive ex obliquo intueri velis) ita ab eo nervi optici puncto, à quo incipit retina expandi Univerſa pictura, quæ inſidet illius concavitati, videri poteſt, propterea quod ex omni tunicæ retinæ parte ad nervum linea recta duci poteſt; quemadmodum ſi conſideremus chartam ad inſtar retinæ figuratam,

ſuper-

ſuperficie cavâ ſimiliter excipere illa idola, oculus inquocunque illius ſuperficiei puncto conſtitutus ex omni puncto radios emiſſos in ſe admitteret, propterea quod linea recta ex quolibet circuli puncto ad quodcunque eiusdem circuli punctum protracta tota intra circulum cadit. Verùm hic nova oritur difficultas, licet enim hac ratione iter expeditum ad nervi optici primum exortum efficimus, quia tamen obliquè neque omnes ſimiliter incidunt, non videtur ceptum iter per longitudinem nervi poſſe continuari; radij enim poſt primum concurſum ſe interſecant, & longius à ſe tractu ſpatij divergunt, ob angulos nimium ad verticem æquales. Deinde cum ſimiliter habeat pictura chartæ & oculi, ſicuti neque magnitudo, neque diſtantia objecti in ea percipitur (chartæ enim inſidere & multo minus ſe ipſo videtur) ita quoque ex ea retinæ pictura nusquam vis animæ per nervum continuata diſtantiam & magnitudinem objecti aſſequeretur, quod experientiæ plane repugnat. Alia igitur via tentanda, quâ ſpecies intro ſubire, & objectum cum debita mole & diſtantia imaginationi repræſentare poſſit.

Ad primam difficultatem reſpondet Alhazen, Rogerius, Bacco, & alij optici, quod licet natura in medio inanimi ſervet inceſſum rectum, ſi nihil impediat: aliter tamen fieri in ſubjecto animato, propterea quod anima inceſſum regulare, & ſpecies viâ etiam tortuosâ deducere poſſit. Quod ſi enim medij denſitas aut raritas hoc facit, hæc quidem à linea perpendiculari radios abducendo; illa eoſdem retrahendo, quid ni & anima poſſit novam orbitam, quâ ſpecies decurrant, præfinire? Verum licet forte non repugnet, non tamen ſequitur defactò rem ita habere; nam à poſſibili ad actum conſequentia nullam vim affert, deinde eſto concedamus radios ſpeciei viſibilis, quâ ſuis apicibus nervum opticum attingunt, in illius concavitate ita regulari, ut tandem ad cerebri internam regionem pertingant; non tamen axis opticus & qui hunc ambiunt radij ipſum nervum attingunt; propterea quod ſicuti dicebamus, non è directo reſpicit hic nervus corneam oculi feneſtram, quâ iter eſſe ſolet axi & radijs illi propinquis, at cum non niſi per tales radios diſtincta notitia objecti habeatur, neceſſe fuerit eo pertingere.

An igitur dicemus nequaquam unius naturæ eſſe imagines objecti, cum internis imaginationum ſpectris, tametſi utraque idem objectum

eodem modo repræſentet, hoc enim poſſe fieri docent ſpecies intelligentiarum, quæ res materiales atque objecta ſenſibilia non minus perfectè repræſentant; nihilominus tamen à ſpeciebus externis quaſi remotè proficiſci, proximè verò ab ipſo actu ſenſus externi: non enim ſatis eſt ſpeciem objecti recepiſſe, verum neceſſaria inſuper illius perceptio, & quædam vitalis attentio ad imaginem organo inſidentem. Et quia nulla actio absque termino eſſe poteſt (eſt enim fieri alicuius) alia ſpecies per eam reſultat, quæ expreſſa dicitur, & ſimilitudo objecti vitalis, hæc veſtigium aliud poſt ſe relinquit, & tanquam ſemen futurarum imaginationum: Quemadmodum ex frequenti actuum virtutis aut vitij repetitione quædam facilitas, & promptitudo ſuperſtes manet, quæ habitus dicitur ad ſimiles actus eliciendos inclinans. Verùm hæc aſſertio plures difficultates involutas relinquit: nam inprimis incertum eſt, quis efficiat illam ſpeciem expreſſam, an ipſa ſimilitudo objecti aliam exprimat, an virtus animæ ipſam ex ſe producat; præterea an hic terminus unius ſit naturæ cum ſpecie immiſſa, vel cum eo quod tanquam ſemen relinqui dicebamus, an differat ab utroque. Quod attinet primam quæſtionem, non videtur ſufficere ad habendam objecti notitiam, aliam rurſus ſpeciem in organo produci ab illa ſpecie, quæ venit ab objecto, pictura enim non ſolum adeſſe, ſed etiam cognoſci debet: Quod ſi enim ſufficeret præſentia talis picturæ, eſſet ſupervacanea illa, quæ dicitur vitalis & expreſſa ſimilitudo objecti, propterea quod prior pictura, quam ſpecies objecti ſecum affert, non minus perfectè ſenſum pingit, Anima quoque ſuaptè vi non videtur tales ſpecies exarare: Quod ſi enim virtutem ex ſe habet omnium rerum imagines adumbrare, nulla neceſſitas videtur exigere illas ſpecies, quæ ſenſibus ab objectis inuruntur, cum ad explicandas ſuas imagines nullam vim ab ijs recipere dicatur.

Dices animam eſſe indifferentem ad omnes, ac proinde opus habere determinatione, quæ fiat per ſpeciem objecti: propterea enim, quod & anima, & ſpecies objecti eidem ineſt ſubjecto, animam veluti figurari ad ſimilem picturam exprimendam: Qualiter ferro figurato ceram ſignare ſolemus. Verum eſto illa actio, quæ recipitur in materia externa, pro ratione ſubjecti variè miſceri poſſit; non tamen eadem ratio eſt actionis vitalis, & immanentis; nam conatus

tus & attentio animæ non recipitur in materia, ſpecie tali inſignita, à qua modificetur ad ſimilem ſpeciem producendam. Cum enim actio hæc ſit vita animæ, quomodo ipſa vivet, per vitam non in ſe, ſed in alio exiſtentem? neque ſufficit identitas ſubjecti, nam & albedo & dulcedo eidem ineſt ſubjecto, neque tamen albedo dulcis, neque hæc alba dicitur, & profectò, cum ſentire ſit actionem vitalem in ſe habere, materia, quæ dicitur recipere talem actionem, non verò anima erit ſenſitiva. Neque hìc obſtrepet ſophiſta importunus, dicendo, non animam, ſed compoſitum ſentire: non enim hîc agimus de nominibus & varijs attributis, ſed de eo quod propriè rebus ineſt. Quis enim dicet in toto homine recipi calorem? calefieret utique & anima, atque unum accidens duobus ineſſet ſubjectis. Quando verò Ariſtoteles dicit, hominem, nõ animam ſentire, & intelligere, aut concupiſcere; rectè quidem ille, propterea quod talia non competunt animæ niſi in corpore exiſtenti. Quod autem non ſufficiat illam attentionem ab anima tanquam motrice cauſa proficiſci, verùm in illa quoque recipi debere; atque in eo conſiſtere ſenſationem patet ex Ariſtotele, qui dicit ſentire eſſe quoddam pati. At ſi in materia faceret talem actionem, ipſa nihil pateretur: quis enim dicet ignem propterea pati, quod aquam calefacit. Deinde ſi ex vi unionis animæ cum materia dicitur ſentire anima, tametſi non inſit animæ illa actio, natura quoque divina non per attributionem communicatam, ſed re ipſâ erit ſenſitiva, atque paſſionibus obnoxia propterea quod major unio ſit cum divina hypoſtaſi, quam formæ cum materia. At cum impium ſit hoc affirmare, ſicuti humana in Chriſto natura tametſi omnium maximâ unione verbo fuerit conjuncta, nequaquam tamen per divinam intellectionem intelligens erat, ſed per verbum à ſe, & in ſe productum: neque ſufficiebat illa intima, & explicabilis verbi propinquitas efficere omnia ſcientem; verum neceſſarium erat ſive infuſis, ſive miniſterio ſenſuum comparatis uti ſpeciebus: Ita nequaquam ſatis erit unio materiæ & formæ ſive animæ ut ea dicatur ſentire per actionem in materia exiſtentem.

Dices, quid prohibet ita rem habere, ut ſicuti ex bombyce fit necydalus, inde ovum, ex ovo eruca, & iterum bombyx: Ita à ſpecie objecti ad ſenſum tranſmiſſa, producatur ſpecies expreſſa, ab

hac alia non huic ſed illi priori ſimilis ? Reſpondeo eſſe diſparitatem, nam in circulari ſubſtantiarum progreſſu, eadem natura ſubiicitur illis mutationibus ; forma enim bombycis & ovo & erucæ eadem ineſt ; differentia verò penes accidentia & corporis ab anima conſtructi craſim ſe tenet ; at ſpecies cum ſit qualitas omnino ſimplex, nequit ſuſtinere talem varietatem. An itaque dicendum animam unà cum ſpecie efficere ſenſûs actionem, & expreſſam ſpeciem ? quod varijs modis fieri poſſe videtur, ſpecie nimirum ut exemplari, & operis faciendi idea, anima verò velut artifice : vel utroque concurrente ad commune opus, tanquam efficiente cauſa, ſive utraque ſit primaria, ſive una alterius miniſtra : Ut igitur ſpecies exemplariter concurrat ad talem actionem, fieri nequit : nam quod ita cauſat effectum, neceſſe ipſum ab anima cognoſci, at verò anima cognitâ ſpecie opus ſenſationis peregit. A duabus vero cauſis heterogeneis prodire unum effectum non eſt probabile, niſi utrique cauſæ aliquid in effectu reſpondeat, quod ſuæ origini analogum ſit, ſive actu, ſive potentia, nam quod de duobus equis currum trahentibus vel bajulis comune onus ferentibus adduci ſolet, nihil ad rem facit: uterque enim bajulus habet dimidiam, oneris partem ſuis viribus parem, quā per ſe geſtare poteſt : & cum idem onus multis humeris ſuſtinetur, non dicetur quisque totum onus portare, ſed per ſe illam tantum partem, quæ humeros gravat, ſicuti enim quantitas, ita quoque illius gravitas extenſa in plures humeros dividitur. At vero ut calor u.g. & ſiccitas producant ſimul aliam qualitatem, quæ non ſit ſolutilis in illa principia, omninò fieri nequit : Et quid aliud ſpecies objecti in anima poteſt deſignare, quam ſimilitudinem aliquam objecti, quæ, qualiſcunque ſit naturæ, non excedet virtutem ſuæ cauſæ : Ac proinde ſi per eam anima intelligens eſſe poteſt, non minus per ſpeciem objecti talis efficietur. Quod ſi demum quis dicat ſolam animam agere ſpecie ut inſtrumento concurrente (nam animam eſſe ſpeciei inſtrumentum nemo, opinor, dicet) explicandus erit modus inſtrumentaliter concurrendi; nam cum ſpecies ineſt pupillæ, nequè tamen efficit viſionem aliò diſtractis animæ viribus, quomodo ea huc reverſa incipit ſuam vim exercere, quæ hactenus otioſa deſidebat ? Neceſſe enim aliquam motionem & quaſi impulſum ab anima derivari : Nam ſi eodem modo haberet nihil etiam tum ageret, at qualis motio

ab

ab anima esse possit, non est explicabile; & sive reale quid, sive ens rationis esse dicatur, idem dubium, quomodo videlicet ad talem effectum concurrat, perpetuo redibit.

Dices, sicuti quantitas non per aliquid superadditum sed suapte natura potest in varias figuras adaptari, ita cogitare oportet animi actionem indifferentem esse ad omnem repræsentationem: Speciem verò sensorij veluti modulum ipsam figurare, neque tamen essentialiter mutare. Sed contra hoc est, quia sequeretur dari visionem, quæ nihil omninò repræsentaret, sicuti non repugnat quantitati absque omni figura esse. deinde visio albedinis non esset naturalis imago albedinis, tertio eadem quantitas succeſſivè varias figuras admittit; & species albi nunquam potest figurari ad nigrum repræsentandum. Si igitur nequé anima per se elicit visionem, nequè species sivè sola, sivè ab anima adiuta, neque assignari potest alia causa, quid aliud restat, quam dicere nos nequaquam sentire? quod si quis ita temerarius fuerit, non rationibus persuadendus, sed pœna sensus cogendus erit ad parendum veritati. Ut verò, quod magis probabile nobis videtur, afferamus, *dicimus primò*, omninò esse necessarium ut anima sentiat, in se habere illam formam quæ ipsis tribuit talem denominationem. *Secundò* animam non tantum recipere in se visionem, sed eandem efficienter causare. *Tertiò* fieri minimè posse ut anima, absente specie, videat; quid verò conferat visioni incertum esse. De quo duæ exstant magis probabiles opiniones, altera communis, quæ ponit speciem unà cum anima efficere visionem: ut neque sola species, neque anima sine specie agere quidpiam possit: cui experientia videtur in primis favere: rectè enim alicuusi causa reputatur, quâ præsente procedit, absente inhibetur effectus. Altera opinio, quæ nobis magis probatur, statuit solam animam & agere & pati à se ipsa: speciem verò esse tantum conditionem, sine qua non potest elici visio, nam cum omnis animæ actio sit illius vita, utique conveniens erat, neque ex toto, neque aliqua sui parte, à re extranea produci. Quod minimè absurdum reputabit, qui intelligti idem Theologos asseverare de ea locutione, quæ spiritualibus convenit creaturis: nam ut alter alterius mentem intelligat, non necesse eum, qui suam cogitationem patefacere intendit, aliquid agere in-

illorum animos, qnibus ſermo debet communicari: Sed ſufficit actus voluntatis, quo huic vel illi applicat talem ſermonem; tum enim habito loquentis conceptu, tanquam poſitâ jam conditione, ſequitur animi perceptio. Ita quoque anima à ſe elicere poteſt omnes cuiuscunque ſenſus actiones: neque realis mutatio, ſed ſola præſentia ſpeciej requiritur tanquam conditio ad actualem productionem. Author enim naturæ ita omnia diſpoſuit, ut non ſolùm agendi poteſtatem rebus indiderit; ſed etiam tempora actionum & ordinem præfiniverit. Itaque non omnis cauſa etiam naturalis, & ad agendum ex neceſſitate determinata, omnia quæ poteſt, ſemper agit; ſed juxta modum prædeſtinationis: quod innumeris exemplis ſtabiliri poteſt: Sufficiat tamen unum ex multis afferre, ex illa metamorphoſi, quâ inſecta videmus, variè transfigurari, & unam ſpeciem ex alia mirabiliter exoriri, unamque numero formam diverſa corpora, ſerie quadam induere, & in Mundi ſcenam novo ſemper ſchemate prodire. Etenim anima bombycis, primò quidem ovum ſibi tanquam ædes conſtruit, in quibus ſuam architecturam & puſilli corporis fabricam ſecurè orditur, donec ſub prima arboris mori germinatione perfecto iam opere, foras prodit ſpecies erucæ; quæ priusquam bombyx efficiatur, plures ſuſtinet mutationes, pluresque poſitis exuvijs veluti rejuveneſcit. At ubi jam bombyx effecta ſuperbum illud texturæ opus, Regum delicijs natum, complevit, ſeque ſericeo mauſoleo tumulavit, corpore jam altè ſopito, novam metamorphoſim natura molitur, nihil enim ex antiquo verme reliquum manet, præter arteriam cordi analogam, & motu vitali conſpicuam,, atque inteſtinulum quoddam; reliquis partibus non ſolum pedibus & pelle, ſed etiam capite illo tam ingenioſo abjectis, pro quibus aliud caput artificioſum, & prætentis corniculis præpilatum ſubſtituit, pedes quoque ſenos, & eos longiores atque alas adnectit, ut jam non inter reptilia, ſed volucellarum una cenſeri debeat. Idem in erucis & genere papilionum licet obſervare, ad quæ ſi quis animum non ſegniter intendat, in hiſce minimis, non minimam ſapientiæ partem ſe recepiſſe lætabitur. Sicuti ergò anima mox á principio potens erat, non minus papilionem, quam erucam ex ſemine formare, ſiquidem virtus animæ neque augeri poteſt, neque imminui, cum ſit ipſa

ani-

animæ essentia, aut inseparabilis & à principiis essentiæ vis emanans: neque tamen ob temporis atq; ordinis præfinitam necessitatem prius alitem facere potest, quam in verme delineando se veluti exercuerit. Quin & Mundi machina non ab æterno esse cæpit, sed ante nec dum sex mille annos, tametsi DEI voluntas mundum creandi æterna fuerit, quia tamen ab æterno non simpliciter, sed tali tempore ipsum nasci voluit, eo demum præsente tanquam conditione, nullâ factâ neque Divinæ voluntatis, neque alterius rei mutatione, repentè vi antiquæ voluntatis, ex nihilo emersit: Ita quoque æterna DEi voluntas res nasci voluit, & easdem operari; alias quidem semper, alias certis temporibus, potestatem quidem agendi tribuens, sed & modum, & ordinem, & tempus præfigens. Quod si dicas, quomodo verum erit, quod docet Aristoteles, causas naturales agere ex necessitate? nam si non agunt quando agere possunt, à nullo impeditæ, non videntur agere ex necessitate. Resp. causas naturales à causis liberè agentibus in hoc differre, quod hæ se ipsas determinent ad hoc illudvè agendum, vel non agendum: & causas naturales habere determinationem ab alio, in radice suæ naturæ inclusam: agere verò ex necessitate eo modo, quo habent determinationem: sive substantiam actionis, sive tempus, sive ordinem respicias. Non igitur mirum his concessis, animam ex se potentem cujusque objecti similitudinem in se vitaliter causare non tamen prius actu operari, quàm adveniat species talis objecti, quæ tanquam conditio necessaria requiritur: propterea quod objectum ab anima percipitur tanquam præsens, & ita judicatur: quod si verò in actum absque specie prodiret, Deus causa foret talis erroris.

Objicies illam opinionem, quæ statuit animæ tanquam subjecto visionem inhærere, multa absurda comitari: cum enim anima hominis sit spiritualis naturæ, inerit accidens materiale subjecto spirituali, vel non erit visio in homine materialis, & ejusdem naturæ cum brutorum visione, sed toto genere diversa; vel erit anima hominis brutorum animæ similis, vel certè duæ animæ homini inerunt, quarum altera cum brutorum anima conveniat, actionesque materiales in se recipiat: altera immortalis intelligentiæ fons, & omnis vicissitudinis expers, quæ omnia veritati manifestè videntur repugnare.

Ad

Ad hanc objectionem, quia plures continet partes, membratim quoque respondemus per sequentes conclusiones.

CAP. XI.

Quomodo Anima Species Visibiles recipiat expenditur.

DIco I. dicere animam humanam corruptioni obnoxiam, vel similem brutorum animabus, è potentia materiæ eductam, vel ab alia anima propagatam, est error in fide & vera Philosophia.

Dico II. duas animas in homine, eo modo quo Manichæi ponebant, admittere, æque erroneum & ab Ecclesia damnatum: at verò præter animam rationalem, si quis aliam ipsi tribuat brutorum animæ similem, à genitore cum semine decisam, nullibi Ecclesia hoc damnavit, neque veræ fidei magis repugnat, quàm cum plures formæ substantiales in homine esse dicuntur: estque hæc sententia multum probabilis & à medicis communiter recepta.

Dico III. non minus probabile videri, & veræ Philosophiæ conforme unicam tantum animam rationalem in homine habitare, quæ ipsum in specie humana essentialiter compleant. Vtriusque partis rationes suo loco expediemus, ne extra terminos institutæ quæstionis longius ire videamur. Jam verò ex suppositione tanquam alibi ea veritate probata reliqua contexemus.

Dico IV. probabile esse visionem hominis, sicut & aliorum sensuum actiones non differre specie à visione brutorum, sententia hæc est Aristotelis & omnium Philosophorum: cuius ratio est, quod nulla dissimilitudo in illis percipiatur, & quod absque necessitate non sint species temerè multiplicandæ. Quod autem objiciunt absurdum videri, cum dixerimus animæ inhærere tales actiones, accidens materiale in subjecto spirituali esse posse. Respondeo quod purè & spiritualiter non posse recipere tale accidens, qualis est visio humana. at animæ, cum sit actus materiæ & corporis forma, nequaquam repugnare. 2. dicimus materiale dupliciter accipi, primò quod convenit rebus in materia receptis; Secundò pro eo quod ipsi materiæ

riæ ineſt per inhæſionem : & tale negamus animæ rationali poſſe inhærere, quia cum tale per quantitatem ſubjecto inſit, anima verò indiviſibilis ſit, & omni mole careat, non poterit ipſi convenire. At quod priori modo dicitur materiale ſicut viſio & ſenſuum tam internorum, quam externorum functio, neceſſariò animæ rationali ineſſe debet; non enim ſolùm animæ brutorum, ſed & anima hominis ſentit per actionem, in ſe vitaliter exiſtentem. Ex his poterit ſatisfieri & illi quæſtioni, quâ petitur an terminus viſionis, ſive expreſſa ſpecies ſit unius naturæ cum imagine objecti: negamus enim propterea quod ſpecies objecti aliam ſpeciem producit, hæc verò nequaquam: Deinde quia illa recipitur in materia diviſibiliter, continetque plures partes interdum heterogeneas, ut in opticis probatur: At ſpecies expreſſa ineſt animæ modo indiviſibili, eſtque illius eſſentia omninò ſimplex, tametſi plura reſpiciat objecta, cum enim & judicium, & ratiocinatio omni careat compoſitione, erit viſio quoque & ſenſatio, utpotè magis ſimplex, una individua qualitas.

Dices, ſi ita eſt quod ſola anima elicit viſionem ſpecie ſolùm aut conditione præſente, quid cauſæ quod tanta in vivendo ſit varietas, in magnitudine, figura, ſitu, diſtantià & claritate: Idem enim objectum æquè ab oculis remotum, per diverſa media non uno modo tranſparentia, neque ſimiliter figurata, item à ſpeculis varié figuratis ſpecie refractà vel repercuſſâ diverſimodè apparet, ingens mole, vel nimis contractum, vel diſtortum, prope vel remotum, elatum, depreſſum, ante, pone, in ipſo oculo, erectum, everſum, & alijs modis innumeris; interdum ita obſcurum, ut nullo modo vel non niſi malignè diſcerni poſſit, interdum limpidiſſimè conſpiciatur. Cur igitur anima non ſemper talem ſpeciem exprimit, quale objectum in ſe eſt, ipſaque ſibi tali imperfectione cauſa efficitur erroris? Reſpondeo viſionem atque illius terminum ſpeciei quæ ineſt ſenſorio, non verò objecto proximè aſſimilari: Et ſicuti hæc varijs modis ineſſe poteſt, diſtinctè, vel confuſé, magnum aut parvum angulum occupans pro diverſo refractionis in oculi humoribus factæ modo, ita quoque viſionem variare. Itaque pars illa objecti, quæ cum axe optico irradiat limpidiſſime, aliæ prout magis vel minus ab eo divergunt, magis vel minus obſcurè in retina delineantur. Sed hæc

opticæ gnaris ſufficit delibaſſe, nam qui artem ignorant, non eſt quod hic doceantur. De ſitu tamen objecti peculiaris difficultas, quia facit pro noſtra opinione, hic explicanda: Nam quod objectum apparet ſitu erecto vel diverſo, elatum vel depreſſum, vel ad latus non ita difficile rationem invenire: propterea enim, quod ultimi radij, qui retinam aliquatenus penetrant, formaliter ſunt viſorij, eo loci apparere objectum, quo radij hic foras protenſi vergunt: Unde pro varia incidentia & inclinatione diverſis ſitibus objectum ſolet apparere. At cur diſtantia quoqué objecti toties variet, non poteſt ad ſolam ſpeciem referri. nam quod objectum à ſpeculo convexo reflexè viſum, nunquam ultra ſpeculum apparet, ſed ſemper intra illius centrum & ſuperficiem: à concavis verò modis innumeris citra & ultra centrum, eo perpetuò loci, ubi cathetus ſecat radium viſualem; quemadmodum experientia & communis opticorum ſententia docet: Quæ nam ratio hujus eſſe poteſt, ſiquidem ſpecies objecti efficere dicatur viſionem? Nam eſto radius formaliter viſarius reſpiciat locum apparitionis, non tamen realiter eousqué protenditur, verùm ſola imaginatione, ita ut radius viſualis habeat compoſitionem ex duplici parte, alterâ reali, quæ inhæret ipſi organo, alterâ per imaginationem efficta, quæ inde protendi cogitatur, usque ad locum in quo conſpicitur objectum. Neque linea illa quæ cathetus dicitur aliquid reale habet, ſed ſolâ mente concipitur ab objecto per centrum ſpeculi recto & perpendiculari curſu meare. Neque valet, ſi quis dicat ſpeciem realem fluere ab objecto, quæ radium ab oculo progreſſum ne ultrà progrediatur ſiſtat, & veluti abſorbeat: propterea quod radij incidentes ad ſuperficiem ſpeculi non poſſunt progredi, usque ad centrum vel ad locum apparationis intra ſpeculum: tum quia à lævore ſpeculi polito reflectuntur, tum quia corpus denſum quod terminat ſpeculum, prohibet ingreſſum. Cum itaque inexplicabilis ſit cauſa, qnæ objectum in tali concurſu radiorum cogat apparere, neceſſe ad DEI prædeſtinationem interea recurramus, qui ita animæ potentiam prædeterminaverit, ut viſionem eliciat non tantum pro modo ſpeciei oculo inſidentis, ſed etiam cum tali diſtantia, qualis eſt revera objecti, quando in medio jacet uniformiter denſo; in diverſis autem medijs tanta, quantum efficit ille concurſus. Neque

que propterea dicendus oculus errare (quia objectum apprehendit pro modo speciei, quo per diversa media ad ipsum appellit; Neque falsi judicij periculum adest, cum omnem errorem facile declinare, & novæ scientiæ occasionem inde habere possimus, tum ipsius medij variè transparentis, tum corporum in eo sitorum. Dices, juxta nostram sententiam non posse objectum dici causam visionis, quod Aristoteli repugnat Respondeo objectum propterea dici causam visionis, quia producit conditionem, sine quâ non potest fieri visio.

Dices secundò, si anima specie objecti insignita necessariò videt, non poterit oculis apertis non videre objectum debitè approximatum; quod tamen accidere sæpè ijs, qui attentè aliquid meditantur, experientia docet. Respondeo in primis hoc argumentum in ipsos posse retorqueri: nam si species vel sola, vel simul cum anima, elicit visionem non poterit elici tali casu. *Secundò* dicimus non satis esse objectum sensui esse vicinum, sed oportere ut conus radiosus basim distinctam eo inferat, quod non potest fieri absque debita figuratione pupillæ & justâ distantia retinæ. In his itaque quorum anima cogitationibus est absorpta propterea non elicitur visio, quia ob neglectam crystallini figurationem sectio coni contingit circa vel ultrà retinam. Quod si urgeas quacunque positâ figurâ vel distantiâ partium organi candelam vel aliud objectum lucidum ex longa distantia sensim oculo appropinquans tandem incidere ad talem distantiam & situm unde radios distinctè possit intròferre: Dicimus quod si ita fiat, fore visionem, & tum veluti evigilare ita affectos: vel dicemus quod si non contingat excitari à tali objecto, nihilominus tamen compleri visionem, licet, ubi ad se redierit, fortè ignoret, quæ circa visum acta fuerint, propterea quod ad memoriam promptè obeundam, non satis sit rem percepisse, sed etiam talem visionem reflexè cognovisse, verum jam tempestivũ erit ad actus imaginationis, cuius gratia hæc attulimus, devenire: In quibus ob reconditã naturam majores difficultates occurnnt: quas, siquis superare confidit, magis hercle, temerarius quam animosus erit dicendus. Quia tamen liberum est de rebus dubiis sentire, & interea quod magis probabile videtur tenere, donec aliquis Hercules exortus cerbero captivato securum per illas tenebras iter expediat, audebo

bo & ego ea, quæ me faciunt dubitare, aggredi, si quâ ratione oppositâ claustra perrumpere valeam, indeque delitescentem in occulto veritatem tanquam aureum Proserpinæ ramum in lucem efferre. Igitur quid nam sit imaginatio & quomodo fiat nunc disquirere incipiemus.

Cap. XII.

Quid sit imaginatio & quomodo fiat inquiritur.

CUm nihil possimus imaginari, nisi ea tantum, quæ sensu aliquo fuimus assecuti; (neque enim ab ortu cæcus colorem, neque surdus sonum, neque ille vitrivorax quid dulce aut amarum, aut acidum sit, poterit imaginari) videbitur potentia imaginativa aliquid à sensibus accipere, quod necessariũ sit ad tales imaginationes. Præterea quæ sæpè diuque & cum multa attentione fuimus conspicati, promptè imaginamur: è contra difficulter quæ malignè, obiter, & veluti per transennam à nobis fuerunt observata. Quis igitur erit ille Mercurius qui à sensibus ad imaginationem excurrere solet! etenim ostensum à nobis speciem pupillæ insidentem nõ posse per opticum nervum iter suum decurrere; Non est itaque quod eò veniens dicatur imaginationi opitulari. Et licet eo usque subire posse concederemus, quia tamen naturâ suâ pendet ab objecto, neque ab eo divelli, neque se captivari patitur, non erit illa species per quam res absentes, vel quæ jam desierunt esse in natura, imaginamur. Ipsa autem visio, quam dicunt oculo inesse formaliter, quomodo, aut per quas vias transferri poterit ad illos cerebri recessus, in quibus potentiam imaginativam ponunt residere, aut quomodo verisimile ab expressa specie aliam picturam produci, eo se inferentem; Necesse enim qui dicunt in materia recipi talẽ speciem assimilem facere speciei ab objecto illapsæ, ita ut sicuti hæc distinctè inest subjecto diversis apicibus, diversas illius partes occupando, species quoq; expressa similem ab organo habeat extensionem; & aliâ quidem parte album, aliâ nigrum repræsentet. quomodo igitur tot speciei partes absque

absque confusione eò perduci valent ? nam qui hanc opinionem tueri velit, necesse habet explicare vias & modum eò perveniendi: si enim species unâ viâ decurrerent, interse miscerentur, neq; idem, quod ante, repræsentarent.

De subjecto quoque potentiæ imaginativæ dissensio est tam inter Medicos, quam Philosophos, dum alii in spiritibus, alij in partibus solidis, alij in cavitatibus & quibusdam cellulis recondunt. Et qui partes solidas tuentur, alij membranæ, alij medullæ, sive toti, sive illius parti hoc munus attribuunt, sed & plures potentias quæ circa talia spectra, diversimodè occupantur, non omnes eodem modo assignant, alij duas, alij tres, alij quatuor, alij quinq; suis quamq; sedibus discretam, quæ omnia singilatim persequi, supervacaneum reputamus: non enim quid aliis videatur, sed quid magis probabile invenire studemus. Itaque ad sequentes conclusiones rem totam contrahemus.

Dico primò, unica est virtus animæ quæ omnium sensuum objecta cognoscit, est comunis omnium Philosophorum, cum enim diversorum sensuum objecta distinguat, necesse extrema, inter quæ ponit discrimen, cognoscere.

Dico secundò non est necesse præter sensum communem, aliam vim cerebro inesse, quæ absente objecto possit operari, & vel species ab imaginatione receptas inter se miscere, vel insensata, qualia inimicitiæ, odium, jucundum, molestum &c. cognoscere, vel eadem inter se aut cum rebus sensatis componere, sed sufficit unica virtus ad hæc omnia peragenda. sententiam hanc docet Alensis sec.l.q.70. memb. 2. & ad eam proximè accedunt Conimb. qui solùm duas virtutes distingunt, sensum communem & phantasiam. At unam tantum esse probatur, quia nulla necessitas cogit tales potentias multiplicare. nullius enim momenti afferunt rationes, qui oppositam partem tuentur. Deinde potentia cogitativa, cujus munus esse dicunt cognoscere res insensatas, & cum rebus sensatis conferre ac componere, omnia potest quæ alijs potentiis solent attribui, igitur hæ frustra erunt: quod autem ea omnia possit virtus cogitativa, inde licet perspicere, quod qui dijudicat vel collationem inter plura facit, necesse habeat illa cognoscere quæ dijudicat, vel inter se confert aut componit; quomodo enim differentiam albi & nigri sciam, nisi utrumq;

trumque prius norim? rationem hanc affert lib. 3. de anima cap. 2. tex. 146. fieri inquit, non potest, ut separatis discernatur dulce diversum esse ab albo, sed unicuipiam albo nota esse opportet. illo namque sane modo non pateret inter se illa differre, etiamsi alterum ego, alterum tu sentires. unum igitur dicat oportet diversa esse dulce & albũ, quæ ratio licet pro sensu comuni fiat, valet tamen universim.

Dico tertiò probabile videri etiam in illa sententia, quæ potentias ab anima distinguit (nam quod discrimen rationis solius admittunt res extra dubium manet) sensum communem non differre à sensibus externis essentialiter spectatis, nisi sola ratione nam si materialiter & secundum ea, quæ in cujusque sensus externi nomine subintelligi solent, accipiantur, certum est sicuti à se, ita ab imaginatione ex natura rei differre.

Probatur hæc sententia, inprimis, quia nulla necessitas cogit ad talem distinctionem, deinde quia à nobis est demonstratum, actionem sensus externi ab anima fieri, & in ea quoque recipi, tanquam proprio subjecto, quod multò magis dicendum de actibus sensuum internorum: igitur cum imaginatio v. g. solis aut lunæ, aut alterius coloris, & eorundem visu perceptio ab anima fiat, & circa idem objectum versetur, neque differat modus repræsentandi, adeò ut sæpè discernere nequeamus, inter rem visu & imaginatione perceptam, quid opus hic pluralitate potentiarum cum una sufficiat? nam quod visio feratur ad rem præsentem, imaginatio etiam de re absenti haberi possit, non satis est ad discrimen essentiale actioni formaliter spectatæ inducendum, sed solum accidentale ratione connotati. Visio enim formaliter dicit repræsentationem objecti, sed simul connotat præsentiam objecti secundum formam quæ in est oculo, imaginatio verò dicit nudè ipsius objecti repræsentationem: itaq; si quis à re visa, repentè oculos abducat, non erit necesse protinus secundum substantiam desinere visionem, tametsi non dicatur jam visio proptered quod desiit ille respectus, quem visio formaliter includit; est itaque visio idem quod imaginatio rei præsentis, & imaginatio idem quòd visio rei absentis. Sed esto dicatur non manere idem actus clausis oculis, vel objecto amoto (quia fortè non ita clarè per ipsum potest repræsentari) non tamen necesse idcircò differre vim illos actus producentem, cum etiam actus contrarios eadem virtus producat: & interdum ita fortis imaginatio esse possit ut visioni mi-

nimè

nimè cedat. ratio verò cur plerumque obscurior sit imaginatio, quàm ipsa visio, hæc est, quod species in terra non ita prompte neque ita stabiliter inest interno organo atque ipsi oculo interna species.

Sed hic adversùm nos insurget turba illorum, qui non nisi à majoribus partis opibus otiosè frui honori dicunt, & neque ipsi inventis addere, neque alios tale quid aggredi ausos æquo animo ferunt: sic itaque nos infestis clamoribus prement, quod opinionem novam inauditam, & temerè à nobis confictam inferre conemur contra omnes Philosophos, & communem hominum sensum, qui ab orbe condito hucusque quinque sensus agnoverunt; at ex nostra positione sequi non quinque, sed unum fore sensum, nam cum sensum communem nihil differre dicamus à visu vel auditu, eademque sit ratio aliorum sensuum, sequitur visum fore auditum, & tactum & olfactum, & odoratum: neque enim possibile à se differre, quæ cum aliquo tertio habent colligationem, & naturæ inseparabilem unitatem, quibus

Respondemus negando hanc opinionem, vel planè novam, vel temerè à nobis confictam, sed à præclaris Philosophis tametsi minus clarè proditam, ortum habere; cui nos explicationis lucem solam addidimus. Nam quicunque visionem in oculo inchoari, in cerebro autem vel concursu nervi optici compleri dicunt, nobiscum sentire videntur: quid enim aliud est visionem in oculo inchoatam ad sensum communem terminari, quàm dicere hunc esse qui terminum ponat, objectum in se formaliter exprimendo? non enim per inchoatam visionem intelligere oportet, quasi pars una visionis in oculo, alia in cerebro fiat, vel quod eadem visio quasi per longum eò usque sit extensa, vel quod tanquam per gradus crescat usque ad illam perfectionem: hæc enim omnia sunt absurda, propterea quod una simplex & individua sit talis actio; sed propterea dicitur inchoari in oculo, quia hic est instrumentum ex partibus debitâ perspicuitate, figurâ & temperie concinnatis, in quo primam objecti picturam recipi oportet; postea verò in cerebro, hoc est in anima, quæ forma est cerebri, completur visio.

Quod autem in organis sensuum externorum non insit aliqua virtus, sed à cerebro influat per modum irradiationis, sententiam esse Galeni & plurium medicorum testantur Conimb. l. 3. de anima ad

cap.

cap.I.qu.I.art.3. Cũ itaq; hoc quod dicitur influere ex ſe indifferens ſit ad viſum & auditum, priusquam ab organo determinetur: Dicendum ex hac doctrina ſequi virtutem, ſenſibus à cerebro influxam, ex ſe individuam eſſe, diverſas tamen functiones in diverſis ſenſuum organis exercere. Quod autem viſio fiat in concurſu optici nervi docet Cornelius lib. I. perſpect. c. 3. cond. 6. Vitellio lib. 3. theor. 4. & 20. Rogerius, Bacco in ſua perſpectiva diſt. 5. cap. 2. ubi inquit ſciendum quod non completur viſio in oculis, ſecundum quod docent authores perſpectivæ; rationem ſubdit, quia cum per duos oculos ſentiamus, res una æſtimaretur duæ. Oportet igitur quod aliud ſit ſentiens præter oculos, in quo completur viſio, cuius oculi ſunt inſtrumenta, & hoc eſt nervus communis & c. 3. Alhazenem citat pro hac opinione. Item diſt. I. cap. 2. dicit, non completur judicium de viſibili, antequam ſpecies veniat ad ſenſum communem: Et ſic de audibili & alijs & citat Ariſtotelem 2, de anima, & in fine de ſenſu & ſenſibili.

Si itaque ſenſus externus absque interno ſentire nequit objectum neceſſe ab hoc produci ſenſationem, quid enim aliud ipſi dare poteſt? vel enim virtus oculi ex ſe elicit viſionem & expreſſam ſpeciem; atque ita independenter ab imaginatione objectum cognoſcit: vel non; & ita non erit potentia viſiva. Quod ſi dicas nihil quidem phantaſiam opis afferre ad eliciendam viſionem, neceſſarium tamen eſſe ſimul exiſtere actum imaginationis: contra hoc eſt, quia cur ita fieri debeat, nulla ratio afferri poteſt: Non enim proterea quod ſit ordinis ſuperioris (ita enim neque phantaſma unquam eſſet absque actu intellectus) neque quod aliquam perfectionem addat viſioni, objectum enim per imaginationem obſcurius quam per ſenſum allucet & non niſi cum difficultate res clarè poſſumus imaginari.

Quod verò objicitur ſenſibus hac ratione induci confuſionem, & pro quinque non niſi unum ſubſtitui, ſiquidem potentias ſenſitivas negamus realiter differre ab imaginatione: Ad hoc dicimus potentiam ſenſitivam v, g. viſivam dupliciter accipi, uno modo quaſi in concreto ut etiam potentiæ organum ſubintelligatur tali nomine connotari: ita enim dicere ſolemus aliquem viſu orbari, quia vel ſpiritus influere prohibeatur, vel quia tunica uvea pupillam obtex-

obtexerit, vel suffusio obnubilarit, vel quia pupilla aut humor vitreus sit obtenebratus vel collisus: ita quoque catulos visu privari, quod nec dum perfectam habeant organi elaborationem. Alio modo dicitur potentia illa vis animæ, quà proximè elicit visionem, abstrahendo ab omni organi dispositione. Itaque dicemus priori modo quinque fore externos sensus profectò cuiusque animalis: totidem enim organa insunt corpori multum à se diversa, totidemque modis immutantur ab objectis. At modo posteriori unum esse sensum, sive unicam potentiam, sicuti & anima est una, quæ nunquam potest deperire vel depravari, nequè senescere, unde dicit Aristoteles quod si senex acciperet oculum juvenis, videret perfectè quemadmodum juvenis, neque rectè infertur visum fore auditum, propterea quod uterquè non differat ab imaginatione; quis enim dicet non differre caput à manu, propterea quod eadem anima utrique sit communis? quia huiusmodi nomina v. g. manus non solùm substantiam dicit, sed etiam figuram & certam dispositionem ad monitiones artificiosas & apprehendendum necessariam. Ita quoque potentia visiva non dicit vim nudam animæ, quæ una omnibus sensibus ad est, sed etiam organum includit ad certi generis species recipiendas.

Dico IV. subjectum potentiæ imaginativæ non est cerebri involucrum, neque illius medulla, neque spiritus, sivè in poris, sive in ventriculis contentus, neque aliqua cavitas: probatur quia actus imaginationis animæ inest, ergo & potentia quæ dicit talem actum: secundò quia magis probabile videtur potentias sola ratione ab anima differre, quod tamen hic non determinavimus, sive enim virtus animæ sit idem cum anima, sive aliquid superadditum, semper erit verum non esse extra illam rem, cuius dicitur virtus. Cum vero anima indivisibilis sit naturæ, frustra illius potentias ad certas sedes restringunt, & tanquam quibusdam loculis includunt, Sicuti enim nequit pars animæ una extra aliam esse, ita nequè virtus uni, quin toti insit, inesse. Neque tamen rectè inferes animam in pede videre, aut imaginari propterea quod tali nomine non sola substantia actionis exprimitur, sed plura alia connotantur, quæ non nisi certis partibus queant adaptari. Ex his quæ hucusque attulimus habemus non nisi unam esse in substantia virtutem animæ,

quæ ob varietatem quæ in nobis ſunt inſtrumentorum, varia poteſt operari, diverſaque pro habitudine ad tales actiones admittere appellationes. Dicitur enim potentia viſiva cum per oculos ſpecie objecti papilla coloratur & dependenter ab ea pictura objectum animæ repræſentatur. Auditus cum per aures ſpectrum ſoni quodam tinnitu excipit aër innatus. At cum hæc eadem idola absque præſentia objecti anima retractat, non jam viſus vel auditus, ſed potentia imaginativa dicitur. Et quid quæſo mirum unam virtutem animæ omnibus his præſidere & ipſis uti inſtrumentis cum una quoque virtus hæc omnia conſtruxerit? niſi fortè dicas aliam vim oculos, aliam aures, aliam alias partes effeciſſe, atquè ita innumeras eſſe virtutes formatrices. At verò cum unica virtus illa corporis architecta, quæ ſummâ arte & ſapientiâ eam fabricam effecerit, & unumquodque inſtrumentum concinnâ figurâ & magnitudine, & omni debita diſpoſitione exornarit, abſonum videtur aliam, ſivè una, ſivè plures eſſe dicantur, vim moderatricem talibus præeſſe. Quæ enim ad certos fines unumquodque inſtrumentum direxit, eadem quoque illius uſum ſola novit.

Hucusque videmur ſecunda aura ſatis placidé vela feciſſe, ſole, qui iter monſtret, nubibus quidem obducto, nec dum planè ſubducto. At reliquũm quod inſtat iter, tanquam amiſſo ſole inter ſcopulos agendum in vaſtis memoriæ campis inter illa ſpectra, quæ etiam ſopito corpore animam exercent & faciunt vigilare: Quod iter quia ſane duré ingredimur, idem faciendum nobis ducimũs, quod de quadamScythica gente ſub rigido ſeptentrione illius maris accola refert Paulus Venetus; quæ certis temporibus prædas agere ſolita in eam regionem excurrere fertur, quæ ſub polo ſita tenebrarum regio dicitur, idcircò quod repentè tenebris ingruentibus atrâ caligine & nocte perpetuâ cælum involui ſoleat, iterque irremeabile ita reddi: Quod periculum hac arte illos declinare: Equas conſcendere, quarum pulli adhuc lactantes avulſi ab uberibus domi retinentur, eoque ſole lucente itineribus notis proficiſci; at ubi actâ prædâ tenebris omnia circum incipiunt caligare, habenas laxare quibus in ſident, Equabus, quæ amore & deſiderio filiorum concitæ ſagaci nare, iter exploratum, pernici fugâ recurrunt. Ita quoque nos in hoc labirintho ordine procedemus, quousque lux naturæ,

turæ iter rationis inoffensum permittet. At ubi naturæ majestas suis nos tenebris incipiet terrere, non jam curiosè ea, quæ tantopere à sensibus removit, secuturi, atque ima fundamenta penetrare: Sed ipsam modo fabricam lustrare & admirari operæ pretium fuerit, illiusque ductu quâ iter ipsa monstrat, perplexas ambages ex superare.

Cap. XIII.

Memoriæ sedes excutitur.

MEmoriam non tantum nobis, sed etiam brutis convenire ob evidentem veritatem à nemine fuit controversum, quin & insomnijs adeò offici quædam, ut ferant Elephantis dormientibus Rectores assistere, qui expergefactos sermone demulceant, ne ob terriculamenta, quæ ipsis obvenire solent, periculum læsionis incurrant. Quid autem sit memoria, hoc est, per quid efficitur anima potens recordari, & res absentes imaginari, vel quid sint illæ apparitiones, quæ dormientes tam varijs modis ludificant non æque omnibus notum. Nam si dicantur quædam idola animam ingredi, & in ea habitare, quæ anima per otium recognoscat, mox multæ simul orientur dubitationes cuius naturæ sunt hæc idola, & à quo genita, & ubi, & quomodo, & quo situ, & quo ordine subsistant, indeque sine confusione, vel perturbatione promantur & cur non semper eadem neque omnia simul se nobis ingerant, & cur alia vix longa inquisitione, alia nullo modo eruere valeamus, alia ultro, & satis importunè nobis occurrant. Ut igitur à concessis & magis notis incipiamus, constat nos non nisi eorum reminisci, quæ per imaginationem cognovimus aliquando; deinde nihil cadere sub imaginationem, quod sensu non fuerit præcognitum: intellige tamen de eo, quod per se est sensibile per speciem, quam facit ad sensum. res experientiâ nota non indiget probatione. Nam quod refert Juvenalis de quodam.

Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ

Ad hoc dicimus speciem illius puellæ operâ virtutis imaginativæ ex pluribus coaluisse: Et licet non præextiterit eo modo in sensu, præextitisse tamen secundum partes: Nam figura, color, actio,

actio, morum suavitas à diversis objectis visu percepta, in unius objecti speciem fuerunt cogitata, quemadmodum cognito auro & monte, aureum montem nobis effingimus, per accidens autem fuit puellam extitisse, cui idolum ita effectum per omnia potuerit assimilari, quemadmodum si aureas aves inter aureas platanos fuisset imaginatus, quales fortè à Poro aut alio quodam Regulo Indiarum defactò possidentur. Dictum verò est primam imaginationem alicuius objecti non differre, substantialiter ab actu visionis, quæ elicitur ab anima dependenter à specie organo receptâ, ex vi Divinæ prædestinationis: At quia hæc species præterit (non enim introsubiens in aliqua cerebri parte firmatur) quâ anima postea uti & ad similes imaginationes possit excitari; est enim hæc species vel ipsa essentia obiecti ad oculum replicata, quâ ratione dicit Aristoteles ab oculo recipi colorem sine materia: Vel certè qualitas objecti ab observatione necessariò dependens; præterquam quod nullam vim, quâ possit eo subire, licet demonstrare, dubium est quid sit illa vis animæ memorativa. Ut autem æquivocatio, quæ confusionem parere solet, evitetur, adverte memoriam non uno modo dici: Nam & pro illa vi animæ sumitur, quâ efficimur potentes ad eliciendam cognitionem objecti absentis. Secundò pro ipso actu, sive actuali cognitione talis objecti. Tertiò pro habitu seu perfectione memoriæ. Deinde actum memoriæ esse triplicem, unum, qui feratur ad rem cognitam absolutè, nullâ habitâ ratione cognitionis, & formaliter non differt ab imaginatione. Secundò pro cognitione rei cognitæ, prout cognita, sub hac formali ratione, ut prior cognitio includatur in objecto talis actus. Tertiò pro actu, quo ex uno objecto in aliud ferimur, ut potest definiri progressio potentiæ memorativæ, quæ ex uno pluribusquè memoriâ comprehensis, venit ad cognitionem eius, quod neque exciderat neque memoriæ promtè recurrebat. Nos hic memoriam consideramus, quatenus refertur ad actum primo modo acceptum hoc est, illud investigandum nobis proponimus, per quod anima constituitur in actu primo in ordine ad tales imaginationes in seipsa producendas. Nam esto anima ex se producat quemcunque talem actum, quia tamen indiferens est ad omnes, neque, hercule magis determinari possit per actum qui jam præterijt, quam qui nunquam fuit; Sicuti prima imaginatio

tio ex eo ortum habuit quod ſpecies objecti organo inſidens potentiam determinavit, ita neceſſe ſequentes imaginationes ab aliquo illi ſpeciei Analogo proficiſci.

Dico primò certum eſſe ſicuti dantur ſpecies ſenſibiles, ita quoquè imaginabiles dari, illaſque alicui organo ſtabiliter inhærere, neque enim apparet quâ aliâ ratione anima determinari poſſit ad rem certam imaginandam. Quod ſi enim ex eo ſolùm, quid ſemel aliquid fuimus maginati, virtute primæ determinationis omnes ſequentes actus elicere poſſumus, ſequitur ad omnes actus nos æquè promptos fore, propterea quod una ſit anima & ad omnes actus indifferens, neque magis ab uno quàm alio impellitur: res enim quæ prætericrunt, quoad omnes inter ſe ſunt æquales, neque magis Hercules quam Cacus metuendus: Quod tamen experientiæ repugnat, certum enim nos multarum rerum quas & ſenſu & imaginatione percepimus, obliviſci, alias difficulter, alias verò promptè reminiſci.

Dico Secundò ſpecies imaginabiles recipi in aliquo organo materiali, non verò in anima: ratio, quia quidquid ineſt animæ modo indiviſibili in eſt, at ſpecies diviſibiles ſunt; non igitur in anima. Deinde ſi anima eſſet receptaculum talium formarum, nunquam ob incorruptibilem illius naturam poſſent obliterari, neque à rebus materialibus affici, nunquam diſtorſæ vel inter ſe confuſæ apparere, neque vis memorativa à medicamentis juvari ſive ad recipiendum, ſive ad conſervandum tales ſpecies: Quæ omnia experientiæ adverſantur. Conſtat enim cerebri temperaturam multum facere ad promptam imaginationem, & ab eſu rerum quarundam ſpecies excitari; unde in ſomnia arte quadam prò cuiusque voto induci ſolent. Nam faba, lentes, cæpæ, allia, porrum, & quæcunque flatibus abundant, ſomnia turbulenta accerſunt, meliſſa, bugloſſum, viola, frondes populneæ, plena hilaritatis & ſmaragdinæ in per amœnis hortis viriditatis. Itaque ferunt Aegyptios ad animi levanda tædia hujusmodi uti medicamentis, qui ubi ſuum bernavi aut bers, aut boſa, aut aſſis, id eſt herba per excellentiam ita dicta, quæ noſtra eſt cannabis teſte Proſpero Alpino, protinus quaſi amentes fiunt, & internam animi lætitiam, & vultu & geſtibus inconditis: teſtantur: Quod autem ſpecies diviſibiliter inſit ſubjecto, videtur ex eo probari,

bari, quod interdum totum, interdum pars objecti apparet: At nequaquam ita fieret si indivisibilis esset ea repræsentatio: Non enim discerpi posset ad partem repræsentandam, sed vel totum objectum, vel nihil omnino repræsentaret, actus enim imaginationis non fit liberè, sed quemadmodum visio pro modo speciei ex necessitate producitur. Itaqua si imaginatio distorta vel monstrosa efficitur, oportet taliter affectum fuisse specie?

DicoTertiò species internas ab anima produci eo temporis puncto, quo actus visionis vel imaginationis elicitur: Nam cum neque à speciebus externis possint oriri, neque alia causa illarum productiva assignari, superest ut animæ hanc vim & efficientiam tribuamus. Cum itaque anima phantasma producit, duplicem facit speciem, alteram in se, quæ vitalis est perceptio objecti, alteram in materia, quæ postea animam movet ad similes actus eliciendos, quemadmodum nos signa & modos facere solemus ad quidpiam memoriæ subijciendum. Sed hic tria quæri possunt *primũ* an species hæ sint essentialiter repræsentativæ & imagines objecti, an verò signa quædam ex instituto, quemadmodum voces & scripturæ: *alterum* cum dictum sit species in materia recipi, an sit aliqua pars certa & determinata in corpore in quam eas recondi oportet, an totam materiam quam anima informat, occupent. *Tertiò* quomodo in subjecto recipi, vel inde promi soleant. Quod attinet *primum* videbitur alicui non esse necessarium illas species, quibus anima memoriam solet insignire, aliquid repræsentare per modum imaginis: quia sicuti auditâ hac voce v. g. sol, tametsi sonus ille nihil ex se repræsentet, quia tamen illius species conjuncta fuit speciei solis, sufficienter anima per illam determinatur ad Solem cognoscendum: Ita si anima non veram speciem sed quamcunque notam subjecto inurat, ex vi prius habitæ conjunctionis poterit illum actum animæ revocare: deinde quia diximus solam animam facere imaginationem, speciem verò ut conditionem concurrere: Non igitur necesse objectum repræsentare, si quidem talis repræsentatio nihil confert ad illam productionem, sed sufficit quæcunque nota etiam nihil repræsentans. Verior tamem est opposita sententia: Nam si species internæ tantummodo notæ & non imagines esse dicantur,

non

non poterunt actus sequentes prioribus esse dissimiles; nota enim, quæ producitur quando hominem v. g. imaginamur cum illa nota, quæ equi aut leonis imaginationi fuit conjuncta, non faciet suo concursu sive Centaurum, sivè aliud monstrum apparere. Sed homo, Equus, & leo semper distinctè apparebit: quibus experientia reclamat, deinde an talis nota esset similaris, an verò ex partibus quasi heterogeneis coalita, ità nimirùm ut sicuti objectum totum, ità pars partem repræsentet, & quæ caput refert, nequaquam possit pedes referre: quod si ità, non jam video cur ipsissima rei imago & vera species dici nequeat: & licet nomen adimant, rem ipsam minimè tollunt. si verò similare quid est, non erit ratio, cur, si altera concurrat nota v. g. equi & hominis, faciant apparere Centaurum: quid enim causæ, quod homo quadrupes, & non equus bipes prodit ex illa mistione? Quemadmodum cùm Calysto in ursum, Actæon in cervum mutaretur? præterea erunt ne tot notæ specie differentes, quot experimur esse actiones, an una omnium erit natura? at prius quidem absurdum videtur, tot, & penè infinitas naturas absque necessitate multiplicare. quod absurdum minimè eos manet, qui imagines nobiscum recipiunt: ratio enim exigit tot imagines, quot esse possunt objecta. nequè opus ad illos actus, in quibus veluti objecta permiscentur, novas species fabricare, quod ipse quoque species inter se misceri, resque tali modo repræsentare possint; quod de notis illis nequaquam dici potest. si autem dicatur una natura omnium notarum, ut ea, quæ hominem repræsentat, nihil differat ab ea, quæ bovem, aut equum, aut solem, aut plantam refert: incredibile erit quomodo anima in tot rebus, per notas nihil à se differentes significatis, non debeat hallucinari. Quod si enim littera A ad ea omnia significanda imponeretur, quâ ratione, ea auditâ, magis ad hominem quàm equum, aut plantam, aut solem determinari possem? & si tot A numero, quot res esse dicantur, nihilo magis ero certus, quod nam A ex illis omnibus, ad hominem, vel equum. vel plantam pertineat, neque rationes pro parte opposita aliquid momenti exhibent; nam quod auditâ hac voce homo, ad notitiam hominis devenimus ex eo fit, quod imago illius soni & hominis, habent inter se conjunctionem, virtute imaginationis causatam. Itaque vox (quia sonus) producit imaginem soni, hæc verò illam speciem, cum qua injit societa-

cietatem, movet, ut actu hominem incipiat repræſentare, non igitur valet ſimilitudo; nam vox ut hominem repræſentet, cognoſci debet; at nota illa nequit ab anima cognoſci. Quod attinet aliam quæſtionem, quâ de ſubjecto quæritur illarum ſpecierum, certum eſt non eſſe totam materiam, quæ informatur ab anima; nam cum certa temperies requiratur ad tales ſpecies recipiendas, vel ad organum deducendas: differant verò à ſe partium temperamenta, non poterunt omnibus ineſſe: deinde quia ex percuſſione aut cerebri læſione memoria ſolet perire: quod nō fieret, ſi ea quoque in manu, aut pede ſitum haberet; poſſet enim illis ſpeclebus anima uti ad tales actus: præterea cum ea ratione omnes ſpecies æqualiter animæ fiant præſentes, non eſſet ratio cur hoc præ illo imaginemur, oporteret, enim omnia ſimul imaginari & cognoſcere. Et hæc eadem ratio probat diſtingui locum conſervationis imaginum ab eo loco, in quo exercentur imaginationes, ut ille dicatur memoria, & theſaurus ſpecierum hic verò officina & organum ſenſus interni. ſicuti enim non ſatis eſt in externis ſenſibus, ſpeciem ab objecto venientem ſubjecto animato ineſſe, ad hoc ut ſenſatio fiat, ſed oportet parte organi determinatâ ipſam recipi, non enim tunica cornea, vel uvea, neque ex humoribus unus, cauſat viſionem, tametſi anima illis omnibus inſit, ſenſu tactus manifeſta, ſed demùm in tunica retina; ità quoque in ſenſu interno neceſſe rem habere.

Dices, propterea non ſentiri ſpeciem in illis partibus organi externi, quia ſpecies eousque confuſè progreditur, quæ demum in retina exuit illam confuſionem: Nam totum objectum ſuam picturam colligit ad unum quodque corneæ punctum, & quodlibet punctum objecti in totam corneam ſe expandit: Unde ſumma oritur confuſio à radiis ita perplexis: Quæ tamen beneficio refractionis paulatim tollitur, diſperſis quidem unius puncti radijs curſum coeuntibus, heterogeneis verò qui in unum coaluerunt à ſe disjunctis: donec in retinam omnes diſtinctè allabuntur. Sed contra hoc eſt, quia ſi eò loci ubi tenebricoſo loco excipitur illa objecti pictura quam maximè diſtincta, oculus ſupponatur in locum chartæ, ſpecies quidem non minus diſtinctè corneæ inſidebit, atque etiam talis ab alio conſpicietur: At nequaquam ab oculo ita affecto objectum videri aut diſtingui poterit. Idem evenit illis, qui objecta non niſi remo-

si remota, vel non nisi propiùs admota clarè & distinctè intuentur, nam in his quidem basis distincta proijcitur citra, in illis ultra retinam: Ac proinde basis distincta sæpe crystallino, vel vitreo humori inest, neque tamen visio contingit; non igitur ex eo oritur præcisè visio, quod species rerum distincta subjecto inest animato. Verùm duo ad hoc videntur necessaria, pars videlicet organi determinata, & debita speciei absque confusione receptio: Quorum si alterum desit, visio impedita, vel perturbata erit; Quod idem dicendum de imaginatione.

Dices non satis videri etiam in tali parte organi speciem inesse, ut visio sequatur; multi enim non vident ante se posita objecta, absorptâ alijs curis animâ, sed requiritur quoque attentio animæ, & quidam quasi conatus; Non igitur ex hoc, quod omnes species organo essent præsentes, sequeretur omnes sentiri, quia, non opus ad omnes extendi illam attentionem. Sed contra, quia, esto daretur talis attentio ad actum imaginationis necessaria, si tamen æqualiter organo insiderent, non esset liberum ex parte animæ, ad has potius quam illas dirigere attentionem: Sicuti oculus apertus non est liber, posito ante se albo & nigro, unum absque alio sentire, sed utrumque necessario videt. Quod autem sensus non æqualiter percipit partes unius objecti, ex eo fit, quod partes quoque speciei non similiter insunt organo; pars enim ea, quæ axe optico defertur, omnibus radijs, qui obliquè feruntur, est fortior, propterea quod perpendicularis, & sine fractione progreditur. Liberum itaque nobis est oculo circumdato, alias atquè alias partes objecti excipere tali axe: At ita semel receptas non jam est in nostra potestate clarè vel obscurè sentire, eodem modo oculo habente: Quod propterea dico, quia si duæ res in axe optico jacerent; alia propior, alia remotior, oculo ad remotiorem attento, obscuriùs videretur quæ propiùs est sita, & è contra, ad hanc attendens oculus, non nisi obscurè remotiorem cerneret; quod propterea fit, quia oculus non habet similiter: Humor enim crystallinus se conglobavit, & ad tunicam retinam intrò propiùs accessit, dum conum exciperet à re minus distincta. Quod si organo sentienti species in esse dicamus, non habebit locum talis perceptio, quæ ex incidentia radiorum consurgit, nam dicere potentiam imaginativam, esse liberam, non solùm quo

ad exercitium, ſed etiam ſpeciem actus, experientiæ adverſatur: Interdum enim quædam idola, tam importunè obequitant, ut ea quietare & ab organo ablegare nulla vi poſſumus. Deinde ſi in omnium æquali præſentia liberum eſt animæ his potius quam illis cooperari, ut ſi ſpecies hominis, & bovis, & equi, & ſolis, & plantæ præſto adeſt, eligere ſpeciem ſolis vel hominis alijs prætermiſſis: Quæro quomodo fiat talis electio? Omnis enim electio notitiam eligendorum præſupponit. Si ergo à cognito leone, ſive illius ſpecie incipere debet electio erit imaginatio prior electione. At profectò libertas ea ſolùm ex parte ſuppetit, quod curſum imaginationis abrumpere, vel longiùs extendere, in noſtra ſitum ſit poteſtate. At dimiſſo ſemel actu, imaginatio, quæ illi ſuccedit, non ex noſtra voluntate, ſed naturali ſpecierum incurſu ortum habet. Ut cum v. g. ad illas maculas, quæ in diſco ſolis oberrant, obſervandas intendimus, illarum occaſione varia intereà nobis etiam invitis ſpectra animum involare ſolent, quæ, quia obiter advertimus, ſponte ſua vaneſcunt, alijs atque alijs ſuccedentibus, donec aliqua ſpecies ſe inferat cum repræſentatione magnæ circa eam utilitatis: Et tum omnem ſeriem cogitationum quaſi filum præſcindimus, ad eam ſolam, quæ recenter appulit, ſpeciem animo intenti, ut v. g. in eo quod de maculis ſolaribus afferre cepimus, exemplo, quia illæ ſimilitudinem habent cum glomo crinium involutorum, vel fruſtillo laceri panni, vel carptæ lanæ; & quia circuli peripheria iride ambitur, vel quia fumus diſco tremorem, aut obſcuritatem inducit, vel avis prætervolans pupillã pulicis inſtar umbra percurrit, quænam, Deus bone imaginationum turba á talibus poteſt exoriri? Quod ſi demum aliqua ſpecies ſe offerat, quæ tempus lectionis inſtare, vel ad ægrum, aut conventum, aut cænam jam apparatam invitet, protinus illam occupationem, & ab ea cauſatas imaginationes valere jubemus: Semper ad illam quæ poſteriùs venit, &, quæ illi cognatæ ab ea excitantur, nos applicantes. Non igitur in nobis ſitum has illasve ſpecies advocare, & quaſi ex multis ſeligere, niſi tantum remotè & indirectè. Ut ſi v. g. rem minus utilem cogitem, intellectus hoc advertens, mox ſpeciem dimittere jubet; & tum variæ ſpecies pro ea atque aliæ ſuccedunt, potiſſimum quibus ſæpe utentes aſuevimus. Vis autem intellectus ſingulis tanquam judex præſidet, atquè

què ex illa tota ſerie quasdam ſeligit magis dignas quibus phantaſia tum immoretur.

Verum hic incidit dubitatio tanquam per tranſennam inſpicienda, quod cum minimè ſit liberum ut hæc vel illa ſpecies nobis occurrat, quomodo non careant culpâ ij ſervi, qui obliviſcentes ſui heri mandatum transgrediuntur? Ut ſi v. g. cubiculum everrere, veſtes purgare, libros diſſipatos ſuo loco reponere, & demum litteras ad aliquem deferre jubeantur, ipſi verò illis omnibus perfuncti, hoc præterierunt, propterea quod inter agendum, tametſi multæ ſpecies ſenſum involarent, nunquam tamen illa ſpecies quæ litteras nec dum eò eſſe delatas memoriæ revocaret, atquè ita citra meritum & injuſtè ab heris videntur vapulare, cum nemo non volens peccare poſſit. Reſpondeo verum eſſe occurſum ſpeciei non eſſe liberum, neque tamen ſervos propterea excuſari: Nam quia in nobis eſt poſitum ſpeciem fortem aut debilem imaginationi inurere, fortis autem & quæ recens præ alijs occurrat: propterea ſervos mereri plagas, non quia rem facere obliti nequiverunt, ſed quia negligentiùs ad heri mandata attenti, ſpeciem nimis debilem receperunt: Verberati verò, quæ poſteà facere jubentur & magis ſeriò admittunt & cum ſpeciebus verberum conjungentes non facilé obliviſcuntur. t

Jam ad interruptum ſermonem redeamus. Quia itaque conſta ab his ſpeciebus organo inſidentibus potentiam imaginativam ex neceſſitate determinari ad tales actus: Conſequens eſſe videtur non omnes ſpecies illi inſidere, ſed aliunde, ubi tanquam penu quadam recondantur, eò ſuis radijs ſe efferre, protinuſque ubi organo fuerint receptæ ſentiri. Itaque rectè facere videntur, qui memoriam ab imaginatione ſedibus diſcludunt: Oportet enim ſpecies in memoria ita ſervari, ut non ſemper, ſed uſu ita exigente inde promatur. At ſi organo omnes ſimul ineſſent, omnes potentiam æqualiter moverent, cum neque una aliâ magis ſit diſtincta, neque potentiæ magis vicina. Ridiculum verò exiſtimare ſpecies ita convolutas, quemadmodum ceparum tunicæ ſe ſe ambiunt, ut qui internam inſpicere velit neceſſe habeat externam quaſi velum amovere & excorticare. Cum autem certum ſit, tam memoriam, quam illam officinam, in qua ſpecies exercent tales actus, in capite alicubi erecondi: Videndum quæ nam pars idonea eſſe poſſit, tum ad illas con-

ſervandas, tum ad illam picturam, quam ſpecies inducunt, in ſe recipiendam.

Exiſtimant plerique ſedem memoriæ eſſe cerebellum, rationes afferunt, quod læſa ea parte contingat memoriam offendi, & ſæpe eo loci percuſſos cepit oblivio rerũ. Secundo quia idcircò videtur illa pars cerebri effecta ſolidior, ut ſpecies infixæ tenacius inhærerent. Tertio quia, cum volumus recordari, quaſi naturâ nos docente occiput fricamus, vim memorandi eo modo excitantes & veluti acuentes. Sed hæ rationes parum valent, non enim omnes occiput, ſed alij frontem, alij mentum, alij alias partes attingunt reminiſcentes. Deinde quod dicunt partem cerebri, ob ſoliditatem videri aptam ſpeciebus recipiendis, videntur eas quaſi clavum, incutere imaginationi, vel tanquam ſculpturam incidere: Propterea exemplum ſigilli ſolent afferre, quod in humido nullum veſtigium relinquit, quia partes depreſſæ ob fluctilem naturam facilé reaſſurgunt, eamque inciſuram elidunt. Partes verò ſuâ duritie conſiſtentes ſi deprimantur non poſſunt inde efferri, quapropter impreſſam figuram ſigilli fideliter conſervant. Verum hæc ſimilitudo nihil ad rem facit, præſertim apud eos, qui tandem ſpeciem, quæ in eſt oculo, eo usque perducunt, ibidemque firmatam poſtea ſervire imaginationi putant, nam cum unius ſit naturæ, ſimiles oportet habere mores: Quis autem unquam eſt expertus ſpeciem viſibilem, cum vitrum aut cryſtallum, aut lapidem ſpecularem pertranſit diutius ob ſoliditatem in talibus morari, quam in aëre vel aqua? niſi fortè illa ſpecula, quæ Magi conficiunt, ad res, quæ ubiquè fiunt, capiendas, non inter præſtigia, ſed opera naturæ numerare velis.

Deinde quæro an ſpecies ſubjectum memoriæ ita occupent, ut ſolam ſuperficiem quaſi veſtiant, an corpus quoque illud denſum & opacum penetrent; ſi prius, nihil ergo ad rem facit ſoliditas: Omnis enim ſuperficies polita ſpeciem eo modo excipere poteſt. Si poſterius, quibus viribus ingredi dicetur ſpecies objecti partes cerebri adiaphanas? Vel certè demonſtrent nobis cerebrum eo loci tranſparere: præterea qui cerebellum memoriæ ſedem conſtituunt, ibidem actus memoriæ exercent: Quod minimè fieri poſſe à nobis eſt oſtenſum. Quid igitur in tanta, tamque difficili obſcuritate dicen-

dicendum ? optarem equidem post superatas ab illis Heroibus difficultates, huc accedere tanquam epulas jamapparatas. Verum cum multa ad medendum prorsus necessaria, ex his bene explicatis erui, & multa illis ignoratis ignorari contingat, nemo autem hanc viam ante nos ingredi voluerit (nam Hieronymus Fracastorius tanquam magis cordatus viam incepit, non peregit (tentanda hæc via

quâ me quoque possim tollere humo,

victorque Virûm volitare per ora.

Igitur organi interni cognoscendi duplex via modum suppeditare videtur, altera ex ipsis actibus imaginationum; altera ab externis speciebus similitudine & analogia deducta. Nam actus imaginationis per actus reflexos à nobis cognosci, est manifestum: similitudinem verò inter has & externas species intercedere, ex dicendis constabit.

Incipiamus ergo à notioribus progredi ad ea, quæ sunt minus nota.

Cap. XIII.

Memoriæ sedes lustratur.

Dico I. necessariò esse assignandum aliquod organum internum, in quo species aliunde recipiatur, ipsum determinans ad certam imaginationem pro natura & modo receptæ speciei: itaque si species leonis adveniat, leonem, si plantæ, plantam imaginamur, si incidit distinctè, imaginatio fit distincta: confusio verò & obscuritas oritur à confusione talis speciei: probatur, quia jam ostendimus, alibi species recondi, alibi verò cognosci, unde requiritur talis motio per quam inde huc transferatur, quod autem apparitio objecti confusa vel distincta provenit ex modo, quo species organo inest, patet ex analogia quam habent ad externas species, & quia non alia ratio suppetit hujus diversitatis.

Dico II. species internas per medium diaphanum radiare, & ad organum pervenire: probatur, quia res quandoque apparet ingens, quandoque distorta aut lacera, aut monstrosa, quod non videtur posse accidere nisi ob medium tale, in quo species ita afficiantur.

nam cum medium multo vapore est perfusum, species quæ pertransit, mole augetur, cum aliqua tempestas inquietat & quasi fluctuare facit medium lacera & distora evadit, confusa verò & monstrosa, cũ plures species incidunt ad unũ punctũ medij & ita permixtæ simul feruntur ad sensorium. At si partibus solidis in essent species, nõ posset ulla harum affectionum illis competere, solida enim neque fluctuare, neque species dilacerare queunt. Probabile autem fit, ex his cerebri cavitates priores, quæ ventriculi dicuntur, & corpus aëreum, quod in illis est situm, viam præbere speciebus. Quod si enim purum & sine vaporibus extiterit, inoffensæ species & absque refractione eo perducentur; pro varia autem constitutione vaporum & inquietudine varias affectiones experiri coguntur. Organum verò, quod tales species ad se appulsas vitaliter sentit, esse membranam cerebri ventriculos investientem, quæ eo modo, quo tunica retina verticationes radiosas in se recipiat, videtur experientia nos docere, cum multâ speculatione defessi dolorem, illâ parte qua frons prominet, sentiamus, sensus enim soli membranæ non etiam cerebro dicitur inesse. Deinde hæc cerebri membrana ob æquabilem planitiem aptissima videtur ad talem picturam recipiendam, neque alia cerebri pars occurrit, cui munus hoc assignari queat, sicuti ergo duos oculos animali natura dedit ob præsentiam, & necessitatem talis actionis, itâ quoque cerebri ventriculos geminavit, ut altero obstructo vel quomodo libet impedito reliquus serviret imaginationi, dignissimæ omnium functioni. Quod attinet sedem memoriæ hic opus, hic labor, atque utinam Deus ἀπὸ μηχανῆς hanc obscuritatem cum luce nobis communicaret. Experiamur tamen si quid possumus, vel probabiliter, nam teste Aristotele, in rebus quæ longissmè à sensibus recedunt probabilitas rei sensatæ evidentiam dignitate longè superat. Non est itaque quod quis certitudinem & evidentiam demonstrationis à nobis expectet; sufficit enim si tales hypotheses afferamus, cum quibus omnes apparentiæ & phænomena stare & explicare possint. Igitur quicquid sit illud quod speciem recipere debet, uno ex his modis videtur eam recipere, vel enim divisibiliter inest subjecto, ità ut una pars speciei partem subjecti, alia aliam occupet, sicut accidere videmus in charta à speciebus taliter insignita; vel modo prorsus indivisibili, ut quodlibet punctum materiæ, tota

spec-

ſpecies ingrediatur v. g. cum alicujus plantæ imaginem recipimus, vel ità in memoria reponitur ut alibi radix alibi folia & flores & baccæ & ſingula cujusque puncta ſe diffundant per totum ſubjectum, ut omnium ubique ſit ex illa permiſtione orta confuſio, quemadmodum in tunica cornea optici demonſtrant, & unum quodque objecti punctum in totam perfectionem, & totum objectum ad ſingula puncta contrahi. Deinde cum tale ſubjectum ſit quid materiale, habebit ſuam extenſionem & partem extra partem, an igitur ſpecies objecti ſive diſtinctè, ſivè confuſè recipi dicatur totam illam extenſionem vel tantùm aliquam partem habet pro ſubjecto, ità cum alterius objecti imagine non coincidat, ſed ſicuti in amphitheatro fieri videmus, una juxta aliam quadam ſerie collocetur, an potius una alteri quaſi velum obducitur, præterea an ſpecies unius naturæ in unam coaleſcant, an numero quoque augentur, ſive partem unam, ſive diverſas inſideant ut v. g. qnando leonem ſæpiùs concipio eodem modo, vel alias quidem ut placidum & quieſcentem, alias efferatum & villis horrentibus ferocientem, an hæc ſpecies priori unitur, an verò utraque diſtincta manet.

Rurſum igitur à notis & conceſſis in cipiamus. Ex perimur inprimis multarum rerum ſpecies, quæ ſimul à nobis fuerunt perceptæ, habere aliquam inter ſe colligationem: Nam cum unum ex illis denuò cognoſcimus; alia quoque ſerie quadam, veluti annuli ex annulis traherentur, conſequi ſolent, ut quaſi una catena ex omnibus efficiatur. Ut ſiquis aliquando venationi interfuit, poſtea verò contingat ipſi occurrere aut canem, aut vulpem, aut telum, aut aliquid eorum, quæ unà aderant venationi, protinus ſylvæ, & retia, & venabula & canum latratus, & hominum clamor & litui, & diſcurſatio & variæ voces & increpatio, & feræ aut retibus captæ, aut venabulo exceptæ, aut jaculis confoſſæ, & quæcunque aut egit, aut vidit, in conſpectum ſe dabunt. Ita quoquè cum alicuius obliviſcimur, omnes ſpecies repetere ſolemus, donec ad aliquam deveniamus, cum qua colligationem habet ea, quam inquirimus, tunc enim & hæc prodire ſolet. Deinde non ſolùm earum rerum, quæ quaſi uno actu à nobis cognoſcuntur, imagines ſimul ita colligantur, ſed illæ quoque quæ ſimiles ſunt in repræſentando; leonis enim, veri aut picti imago, alios leones omnes, quomodocunque notos, quaſi præſen-

præſentes nobis ſiſtit. Nam & à Samſone diſcerptum, & Semiramide confoſſum, & ab Hercule colliſum, & quæcunque illis leonibus fuerunt connexa progreſſu quaſi infinito ſe nobis offerunt, niſi intellectus filum abrumpat. Præterea non videtur omnium ſpecierum una & quaſi immediata colligatio, ſed ſicuti in catena non quilibet annulus cuilibet hæret, ſed tertius cum primo per ſecundum colligatur, ita ab una ſpecie non protinus ad rem diſſitam deferimur, ſed priùs intermedias occurrere eſt neceſſe; poteſt autem dupliciter hoc intelligi, vel enim uno actu multa ſimul objecta intuemur, vel ſucceſſivè unum poſt aliud recipiendo, ut ſi v. g. hic Pragæ per Pontem animo ſoluto deambulantes, primo quidem oculos in Moldavam ſuperfluentem conjiciamus, inde cataractas atque inſulam amœnâ viriditate conſpicuam publicæque voluptati dicatam luſtremus; mox ripam & domos ordine ſitas, turreſque ac templa, ipſumque urbis caput, arcem ſuperbè elatam ſenſu delectabili hauriamus: alio modo, cum à certo aliquo loco in ipſam Urbem, quà maximè conſpici poteſt, aciem defigimus, & uno quaſi intuitu videmus & pontem, & fluvium, & templa Deûm, & magnificas ædes, intermixtaſque jucundâ varietate turres. Qui itaque hoc modo Urbem intuetur, ſi alibi poſtea aut Pontem, aut Templum aut domum quampiam uni ex conſpectis ſimilem, ſivè revera, ſivè ità depictam viderit; protinus Praga univerſa in conſpectum ſe ipſi dabit, eo ſitu, quo ipſam priùs aſpexerat. Atqui modo priori ſpecies colligit, non ſtatim viſo ponte tali, ad turres, aut templa, aut arcem ſpecies iſtorum habebit; ſed primo quidem aquas, inde cataractas, mox inſulam & reliqua eo ordine, quo imagines recipit, conſpicabitur. Demum experimur non ſolùm prono curſu ſpecies ad nos commeare, ſed etiam adverſo. licet enim ab extrema ſpecie per omnes intermedias ad uſque primam reverti; ut ſi quis varia loca luſtrando aliquid in via perdidit; poteſt, à poſtremo loco incipiendo, omnes ſuas actiones relegere donec ad aliquam deveniat, quæ cauſa fuit talis amiſſionis, per quam & locus facilè innoteſcet; ut, v. g. ſi ſcheda aut burſa cum nummis ſit deperdita; ipſe verò recolligat extrahendo ſudariolum ſimul burſam in cautò elabi potuiſſe, & hoc quidem ſub tali arbore, ubi in umbra quieſcens ſudorem abſtergebat. verùm tamen hunc curſum magis difficilem & quaſi violentum experimur. his præmiſſis

Dico

Dico primò, omnes species, quæ simul terminant actum visionis aut imaginationis, recipi in materia cum tali unione & ibidem quoquè conservari. Patet ex dictis & experientia; qui enim spectaculis interfuerunt totam faciem theatri facilè reminiscuntur'

Dico Secundò species quæ sunt unius naturæ habere quoquè talem unionem, hoc est, species v, g, leonum, & species hominum, & species unius generis plantarum habent inter se talem connexionem ut se vicissim prodant. Patet hoc ex eo, quod à recta serie quandoque excedimus, & ad alterius seriei species aberramus; & tum talis species, quæ non fecit exorbitare, est quasi bivium ob plures cum diversis speciebus initas uniones, ut cum v. g. à venatione, si forté leonem aut lupum inter alias feras confecimus, ab hoc quidem ad Lycaonem, aut ad eos Finnos qui se in lupos dicuntur transformare, aut ab eò in Herculem aut Samsonem deferimur, inde ad Philistæos & Goliat & Davidem, & Salomonem, hinc ad insulas Salomonis, & quo non? Quid enim attinet singulos & qui non omnes omnibus competunt errores prosequi? Ratio enim ut diximus, quia species v. g. leonis, & cum rebus a Samsone gestis, & cum venatione habet connexionem. Et inde ratio desumitur cur in medio longioris sermonis cursu quandoquè deficimus. Potest autem ob plures causas res ita habere, vel enim alia species, quæ cum proximè antecedentis verbi specie habet quoque talem unionem, vel aliter occurrens quasi filum orationis præscindit: Idque pluribus modis: nam & visu & auditu nimis curiosi speciem ab extra recipimus, ad quam attenti, speciem sermonis interea amittimus; vel ab interna specie, quia nimis solliciti, aberrare timemus, & reprehensiones varias nobis effingimus, potest illa suffocari; vel aliter deficiens & quasi obliterata hiatum facit, ut ad alteram orationis partem transilire nequeamus, sed in ea hærere cogamur. Quod si interdum contingit nos deficere absquè eo quod alia species suo occursu speciem elidat, non est necesse ut dicamus speciem illam à memoria defluxisse; experimur enim tali casu, si sæpiùs illud verbum, in quo hærentes progredi ultrà nequimus, repetamus, tandem occurrere sua sponte & reliquam seriem continuare; quod nequaquam fieret, si plané extincta fuisset. Quæ igitur huius moræ erit causa, aut ubi illa species interea delituit? an quia unio, quæ illam speciem cum alijs quæ an

tecedunt committit, deperijt, non verò ea ex parte quà cum ſequentibus colligatur ¿ An quia ſuis radijs non niſi confusè in ſenſorio eſt recepta, quo fit ut nequeat potentiæ aliquid repræſentare, idque eam ob rem, quod fumus aut nubecula ſpeciem refringens vel diſtrahens, vel obſcurans repentè exorta medium occupavit.

Dico Tertiò ſpecies rerum, non tantùm ſimul per unum actum cognitarum, ſed etiam ſucceſſivé absque aliqua interruptione inter ſe unionem ſervare, ità nimirùm ut ſpecies primæ imaginationis ſecundæ, ſecunda tertiæ colligetur. Res experientiâ quoque nota.

Quæres, quid nam ſit illa in ſpeciebus à nobis dicta unio ? non enim eſſe videtur quædam ſuperpoſitio, ita ut priorem poſterior contegat & quaſi obvelet, ex quo illa impediatur radiare priusquam hæc ſuam radiationem compleverit; Ratio, quia ſpecies non deſerunt ita ſubjectum ut inferior locum mutare, vel aſcendere, & ſuper aliam quaſi enatare videatur: Ac proinde ſi poſterior impedit radios prioris, ſemper impediet. Neque eſſe poteſt unio informationis, abſurdum enim ſpeciem unam alterius ſivè materiam ſivè formam exiſtimare. Nequé vis quædam magnetica, quæ ſimilis naturæ ſpecies retinere & ita colligare videatur: Indifferenter enim omnes ſpecies cuiuscunque naturæ ob ſimultatem vel ordinem intelligendi hanc unionem conſequuntur. Verùm priusquam, quid ſit hæc unio, dicamus (eſt enim maximè recondita & perdifficilis) priùs de modo, quo ſpecies memoriæ inſunt, determinemus.

Dico primò, ſpecies non recipi eo modo, ut unaquæquè partem diſtinctam & ſedem peculiarem occupet, ſive dicatur memoria tanquam planities extenſæ tabulæ, ſive cum aliqua profunditate ſimilis antro cuiuscunque figuræ, ſive ſphæricæ, ſive cubicæ, aut cylindriæ, ſive pyramidalis ea ſit. Probatur, quia ſi eo modo ſpecies adveniens alias ſubjecti partes occupat, quemadmodum ſi pictor tabulam depingat, pictura una juxta aliam ordinatè collocata, cum in finitæ ſint rerum imaginabilium tales picturæ, non ſufficeret locus quantæcunque capacitatis omnibus expediendis, etiamſi unaquæque exiguam illius portionem occuparet, non enim in puncto poteſt eſſe pictura (quomodo enim in eo aliquid figuraretur) ſed neceſſe ſpeciem leonis v. g. non tantùm extrâ ſpeciem hominis ſitum habere, ſed etiam partes illius diſtincta loca inſidere, & ubi ca-

caput aut pectus pingitur, nequaquam pedes aut clunes depingi, quid igitur fiet cum locum omnem pictura complevit, an rursùm incipiet quasi à capite novam picturam ordiri & antiquas species novis quasi investire, deinde si aliter se habet interna pictura necesse inter duas species spatium absque omni pictura relinqui, propterea quod rotundum v. g, cum quadrato non possit ita captari ut se per omnia contingant, vel certè non eo ordine procedet pictura, verùm ubi duas illas figuras delineaverit, tertia medio loco inter feretur. Quæ eadem difficultas manet, si non sola superficies, sed cum aliqua profunditate picturam ex cipere dicatur. Præterea quomodo concipi debet ingredi trinam illam dimensionem, an quemadmodum, si nobis imaginemur globum motu quasi recto antrorsùm ferri, neque tamen loca quæ motu illo occupavit, deserere, sed in omnibus per replicationem simul esse, tum enim in quolibet illius line puncto, integer globus conspiceretur, si quis tamen à longè intueatur, quasi cylindrum videbit. Si itaque hoc modo ponitur species multiplicari, ut tali ingressu acquirat trinam dimensionem, erit illa superficies picturæ non aliter, ac globus in quolibet puncto replicata. Non tamen confusio partibus speciei per hoc continget, sed una quæque absque alterius concursu per longum erit multiplicata, & ea linea, quà caput ita extenditur, cum linea quæ pedes metitur, erit paralela, & si quis desuper intueatur non nisi caput, ita extensum videbit, & à dextra dextras, à sinistra partes sinistras. At verò si ita inesse dicatur species, quia subjectum continuo fluxu dissipatur eveniet temporis actu speciem quasi perforari; partium enim materiæ defluxu peribunt speciei portiones, quæ illis partibus insidebant; itaquè fiet ut species, quam pueri accepimus, senes facti non agnoscamus; quod experientiæ repugnat. Probé enim senes eorum meminerunt, quæ in pueritia sunt peracta; Unde quoque suspiciosi ex tali repetita notitia efficiuntur. Quod si dicas ab alijs partibus simili specie adhuc coloratis reproduci, & ita expleri rimas & hiatus, quos effecerat materia noviter substituta. Contra hoc est, quia, si ita fieri demus, nunquam species obliterari & senescere poterit; Non enim aliter species dicuntur obliterari; quam quod vetustate ex continuo materiæ defluxu quasi aliud subjectum efficiatur.

Resp. Fracastorius quantò magis absunt species à primis, tantò indies debiliores reddi, ac demùm sensim adeò impotentes fieri, ut senescentes quodammodo in novos spiritus se se propagare, aut animam movere nequeant. Verùm hoc gratis fingitur, quid enim obstat quò minus species æquè fortem producat, quemadmodum calor alium calorem similiter intensum producit. nam quod spatii tractu species elangvescit, ex eo fit, quia virtus objecti semper magis ac magis removetur ab effectu, species autem se ità multiplicans intimè est præstans. deinde non minus species eo modo dilacerata, & quibusdam veluti punctis obscurè lucentibus plena videretur.

Dico secundò probabile videri totam speciem alicujus objecti recipi in toto subjecto, ità ut in unoquoque illius puncto sit tota, & quodlibet punctum speciei in toto: probatur inprimis à simili, nam ità se habet species objecti in aëre, ità in tunica cornea; quodlibet enim visibile punctum suis radiis sphæram complet, ut in opticis probatur, unde fit quod in singulis medii punctis totum objectum conspici possit. *Secundò* species non possunt inesse distinctè, igitur confusè inerunt. *Tertiò* quia omnia incommoda quæ reliquas manent opiniones hac positione evitamus. si enim distinctæ species ità forent, multæ uniones partium ruinâ dissolverentur, atque ità memoria plurium rerum promptè intercideret: at, quando species ità sunt confusæ, tametsi in una parte subjecti delentur; in aliis tamen illæsæ conservantur: neque accidit unam offici, quin simul omnes tali ratione afficiantur. Non tamen sequitur ex nostra sententia species indivisibili modo materiæ inesse, quemadmodum de actibus imaginationis dicebamus; species enim unius puncti, ità occupat totum subjectum, ut tamen secari posset in partes infinitas ratione quantitatis, quod idem est ac si dicamus species, qualiter insunt memoriæ, in essendo quidem, at non in repræsentando, esse divisibiles; non enim factâ divisione ità extensæ speciei, ipsa repræsentatio quoque dividitur, ut si ea species totum punctum repræsentabat, per medium divisa utraque parte, puncti medietatem incipiat repræsentare. *Quartò*, si species in memoria sunt distinctæ, etiam dato non sentiri eò loci, non erit ratio cur non omnes simul ab imaginatione percipiantur; quia nihil impedit ità distinctas simul in organum radiare. Verùm, si ità sit, quod species potentiæ memorativæ confuse

fusè inesse debeant, gravis & penè inextricabilis oritur difficultas, quâ ratione species ità confusæ evolvi & ad organum sensûs interni appellere, in eoque distinctè sentiri queant: non enim valet similitudo à speciebus externis, in aëre vel tunica cornea ita confusis. Etsi enim ad unumquodque medii punctum omnium objecti punctorum radii protrahantur, nunquam tamen duo radii ita coincidunt, ut quasi unâ lineâ rectâ simul ferantur, verùm in uno solum puncto se tangentes mox incipiunt secare, & à se divergere. quo fit ut ex omni confusione rursum evolui & ad distincta puncta singuli produci possint. radii enim ab uno puncto objecti in corneam expansi, refractione in oculi humoribus recolliguntur, quo fit ut ab iis ità collectis nulla confusio, sed vivacissima pictura retinæ inducatur. At verò si plùra visibilia ita se penetrarent, ut nihilominus ab unoquoque species in medio producatur, impossibilis esset cujusque objecti visio distincta: propterea, quod radii uno itinere delati similiter ubique incidant & refringantur: quo fit ut ab ea mixtione nunquàm se expedire & ad distincta sensorii puncta appellere queant; quemadmodum in medio colorato species transparentes simili colore tingi, & quasi unum objectum effici videntur. Cum itaquè species in memoria omnes similiter recipiantur quasi imaginemur ab uno medij puncto, omnia objecta inchoare suas species & quaquaversum radiare (non enim possibile tali casu speciem unius objecti ab alijs speciebus expedire, quin simul & similiter ubiquè ferantur) quomodo igitur fit quando leonem volumus imaginari, quod sola species leonis non etiam hominis aut bovis, quæ similiter insunt, ad organum deferatur? quis ita liberat speciem à radijs permixtis ut sola absquè confusione radiet? Quod si dicas ita fieri in externo sensu ut plures species in unum punctum collucentes pariant confusionem; at non etiam in sensu interno; tametsi enim plures in unum imaginationis coeant, distinctè tamen & per se quamlibet sentiri. Contra hoc est, quià si ita fiat, nulla unquam confusio sensui interno aderit, nunquam species distortæ & monstrosæ poterunt apparere. Quod manifesta experientia radarguit; Quam enim dissona & in explicabili modo inter se commixta, sub primam quietem nobis occurrere solent? An igitur diendum species in memoria non similiter recipi, nequè ab uno inchoari principio talem productionem,

ſed ita ut prima ſpecies à puncto A incipiens, in totum memoriæ ſubjectum ſe inſinuet, altera in puncto B illi vicino, tertia à C. & ita deinceps à diverſis punctis diverſæ ſpecies protractæ, diverſo quaſi fluxu totum ſubjectum pererrent. Ita enim fieri videtur, ut ab uno puncto omnes radij ita effuſi ad unum punctum rurſum colligi queant. An potius inerit memoriæ virtus diſcretiva, quæ radios confuſé fluentes evoluat, & omnes unius naturæ ita collectos ad certum imaginationis punctum dirigat? An fictitium hoc eſt, quanta enim vis eſſe poſſet tam admiranda, quæ radios omnes ita diſcerneret? Et vero non omnes diſcerni, nequè ita ſeparari, docet confuſio, quæ ſæpe ſolet adeſſe ſpeciebus ita cognitis. Qui vero priori modo fieri putant, tametſi tueri videantur diſtinctas cuiusque ſpeciei radiationes, hæc tamen eos manet difficultas, quod nequeant explicare, cur non omnes ſimul radiare, & ita ſimul cognoſci debeant: Sicuti enim diverſa ſingulis principia, ita diverſi limites aſſignantur, in quos ſingulæ absqué coincidentia alterius ſpeciei terminantur. Tota igitur difficultas videtur in eo verſari, ut modum inveniamus, quo unaquælibet ſpecies à loco, in quo delitеſcit, excitari, & inde ad organum deferri, & ab eo cognoſci poſſit. Nequè rectè dicet aliquis in prima ſententia, memoriam cum ſpeciebus quaſi circumvolui, atquè ita fieri ut ab alijs atquè alijs punctis organo oppoſitis aliæ atque aliæ ſpecies ſe ſe offerant; quia, ſi ille motus eſſet regularis, qualem eſſe oportebat, certis intervallis eædem ſpecies ad nos redirent, quod nemo experitur, quia ſpecies recentes ſæpius, antiquæ aliæ raro, aliæ nunquam occurrere ſolent. An igitur dicendum ſpecies alicubi ita reſervatas nequaquam extrà ferri, ſed eodem loci, ſivè confuſæ ſint, ſivè diſtinctæ, concurrere ad imaginationem, & ſerie quadam cognoſci ab anima. Ita nimirùm ut ſicuti totius objecti imago ineſt pupillæ, nèque tamen omnes partes æqualiter, neque quantalibet illius portio, clarè & diſtinctè percipitur, ſed certa & determinata, quam axis opticus terminat, quem ad alias atque alias partes ordine cognoſcendas transferre ſolemus: ità anima nequeat omnes ſimul cognoſcere, ſed ad certum usque numerum, ità, quod ſi alias ſentire velimus, neceſſe habeamus totidem dimittere, quot recipere volumus. At verò ſpecies ità cognosci

gnoſci, repugnare ſupra fuit oſtenſum. non enim poſſibile ſi ità res haberet, objecta confuſa vel diſtorta quandoque apparere. Etenim ſpeciem diſtortam reddi accidit ex eo quod medium non ſimiliter omnes radios transmittit. alii enim magis, alii minùs deprimuntur, alij ſublimiùs efferuntur, alij obliq;, alij rectè progrediuntur; neq; poſſibile niſi per refractionem ità evenire. quod ſi enim inceſſu recto mearent, obliquatio locum minimè haberet. Itaquè Sol Ellypticus propterea conſpicitur in exortu, quod illius imago non æqualiter atmoſphæram omnibus radiis pertranſit; ima enim abſis, quia obliq; ferit, quam ſuprema magis refringitur. unde ſpecies contractior & diameter altitudinis minor evadit. ſupponimus verò conum ad angulos æquales à plano, in quo recipitur tale idolum, ſecari: nam ſi ſectio ſit obliqua, ſpecies ſimiliter obliqua erit: quod autem dicunt aliqui propter agitationem medii ſpeciem perturbari, ut quaſi divulſa videatur, ſi abſolutè ità fieri cenſent, nullâ habitâ ratione refractionis, à veritate diſcedunt. nam venti impetuoſi delati, ità aerem verſant & convolvunt ut ſimul ſaxa loco transferant, nequaquam tamen ſpeciem aut Solis, aut alterius objecti laceram exhibent aut fluctuantem; ità flumina præcipiti motu delata, ſi modo à ſuperficie polita omnes partes æqualiter aſſurgant, minimè agitant ea, quæ à fundo ſpecies inoffenſas trajicere videmus. At cum aqua in ſe movetur, quia ſuperficiem acquirit inæqualem & aſperam, ſpecies quoqueSolis inæqualiter repercuſſa quaſi fluctuans percipitur, & ea quæ in fundo continentur, ob inæqualem à partibus ità motis refractionem, lacera & confuſa videntur, quin etiam ſervatâ æquali ſuperficie, quia ex aquæ commotione in medio varii hiatus, & partium ità diſtractarum diverſæ figuræ oriuntur, ſpecies per eas delata variè poteſtà recto curſu diſtrahi. diverſa enim figura & raritas non una diverſas cauſat refractiones. Itaque fit ut à quibusdam objecti punctis radij veniant directi, ab aliis obliqui, idque modis pluribus, aut ad perpendicularem inclinari, aut ab ea reduci modis innumeris.

Atquidam opticæ ignari exiſtimant propterea accidere illum tremorem, & quaſi fluctuationem ſpeciei, quod moto tali ſubjecto, ipſa quoque ſpecies una transferatur; itaque fieri ut & translata, & quæ ſubſequitur ſimul perveniat ad ſenſum, & ita objectum appare-

re

re quasi extensum, ob plura, quibus insidet simul, loca. Verum haud ita fieri docet natura speciei, quæ neque uno momento separari à suo objecto potest, quod fieri decet si tali modo distraheretur; non enim possibile naturam agere per lineas obliquas & tortuosas, qualis esset quæ ab oculo per speciem loco motam in Solem duci cogitetur. deinde si eo tempore quo species Solis à latere uno vasis ad oppositum transfertur, cùm aqua taliter in eo agitatur durare potest; si major vis æquali tempore partes subjecti transferat; poterit ad longissimam distantiam à verò loco species removeri; atque ità Solem orientem, in meridie nobis exhibere. præterea si illam picturam quæ excipitur locis observatis rotæ affigamus eamque celeri gyratione rotemus, nunquam pictura ità movebitur ut aliquando species erectæ aliquando eversæ, aut ad latus inclinatæ videantur, & tamen partes subjecti multò celeriùs, quàm in aqua fieri possit, aliæ atque aliæ succedunt.

Objicies, cum à Sole repentè oculos ad alia objecta transferimus, varios colores in ijs apparere, qui aliunde præterquam à specie Solis ità servatâ, quæ alias quoque species eo venientes tingat, non videntur posse derivari. Resp. illam speciem esse in imaginatione non verò in pupilla: ratio, quia species quæ inest pupillæ nequit pluries reverti, cum semel defecit & jam evanuit, at illi colores identidem recurrere, & deficientes denuò renasci solent; à puncto enim quodam puniceo plures circuli discolores se se evoluunt. idque toties, quoties volebamus experiri, nobis evenit. *Secundò* dicimus ab illa nimis forti specie organum quasi abduci, illiusque partes variè loco moneri, ne ità distinctè eam recipere cogantur, itaq; & crystallino alia figura inducitur, & non idem situs retinæ servatur & tunica uvea suâ constrictione plures radios excludit: quo fit ut postea omnia confusè & quasi meros colores cernat. species enim objecti priusquam organum se sibi restituat, non nisi confusè in eo recipiuntur.

Objicies Secundò carbonem radio affixum motâ celeriter rotâ in omnes radios derivari, & illa gyratione igneum circulum apparere: Quod non videtur aliâ fieri ratione, quam specie sivè in medio, sive in sensu aliquamdiu remotis; non enim aliàs carbo ex diversis locis illuceret, nisi simul ea occuparet. *Respondeo* circu-

lum

lum apparere non quia plures ſpecies à pluribus locis uno temporis puncto ſimul ſenſum movent, ita nimirùm ut motu abjecto priusquam deſinat ſpecies in tali loco, in alio noviter ſit producta, & ita quaſi una ſpecies continua efficiatur, hoc enim eſt impoſſibile; nam per multa inſtantia abſque influxu objecti conſervaretur, vel certè actio conſervativa fieret per lineas obliquas & irregulares: Verùm ratio huius phænomeni ad imaginationem reduci debet, nam ob temporis totius, quo fit una circulatio, perexiguam moram non licet diſtinguere partium unius ab alia differentiam, atque ita æſtimatur ſpecies ſimul produci; ſi enim intellectus velit judicare modo in hoc, modo illo loco eam ſubſiſtere, priusquam judicium peragat, ipſa in alium locum translata radiorum celeritate prævenit motum rationis. Hoc autem quod dicimus, erit manifeſtum ſi perimetrum rotæ multò maiorem accipiamus,&in loco à centro remotiſſimo carbonem ſtabiliamus; tum enim rota etiam pari celeritate circumacta, nequaquam integrum circulum à carbone ita deſcriptum exhibebit, ſed tantùm illius aliquod ſegmentum. Quod ſi ſpecies ita in medio ſervari poteſt, cum idem ſit temporis intervallum, deberet non ſolum in minori rota, ſed etiam in majori oculus integer deſcribi. Propterê à quod non diutiùs ſpecies majores orbitæ ponantur in tali loco majori usque ad eiusdem puncti revolutionem. At, non ita fit, verùm pro magnitudine circuli portio ſegmenti continuò decreſcit: Itaque duo videntur reperiri ad talem errorem imaginationi inducendum, ſpatii, in quo fit, circulatio,& moræ brevitas: Quin etiam varietas viſus huc conferre videtur, ut non eodem modo omnibus contingat illa phaſis; qui enim viſu pollent quod facilè diſtinguant res minutas, minùs obnoxii erunt tali deceptioni. Idem probari poteſt ex varia diſtantia objecti, nam ſi objectum nimis removetur, etiam cum magnum circulum deſcribit, perfectior & magis completa erit phaſis, minus perfecta in objecto viciniore, propterea quod angulos hic majores, ibi verò minores occupat in ſenſu; unde partes non ſimiliter diſtingui poſſunt. Cum igitur non niſi accedente refractione ſpecies diſtorta eſſe poſſit, refractio autem non fiat niſi cum incidit ſpecies obliquè ad ſuperficiem talis corporis, quod ſit alterius naturæ à corpore, à quo venit illa ſpecies: Sequitur nulla ratione ſpeciem in proprio ſubjecto poſ-

ſe diſtorqueri. Neceſſe ergò per medium, in quo refringi ipſum oportet, deferri ad organum.

Dices, propterea ſpeciem diſtortam & inconcinnam reddi quod perturbetur illa proportio ſitus, quam ad ſe radij habent: Nam cum omnes recto inceſſu incedere debeant, poteſt fieri ut alius ad dextram alius ſiniſtram declinet, alius ſurſum feratur, alius deprimatur, ſolâ partium ſubjecti tranſpoſitione abſque omni per diverſa media factâ refractione. Partibus enim loco motis neceſſe partes imaginis, quæ ineſt tali ſubjecto, tranſponi, & ſitum mutare. Itaque rectangulum rectilineum levi mutatione in rhombum degenerabit, & linea recta incurvabitur, & circularis dirigetur. Deinde quod ſpecies mole augeatur, & objectum majus reſpræſentet, non videtur refractio ad hoc neceſſaria, ſed ſola condenſatio ſubjecti; nam ſi quis oculis & objecto in aqua exiſtentibus, ſpeciem ita recipiat, maius & juſto propius apparebit objectum, quemadmodum in aëre ſolet apparere; propterea quod aqua partes magis confectas habeat, quam aër, igitur ſpecies quoque in memoria receptæ mole augentur, ſi tale ſubjectum humeſcere vel vaporibus irrigari vel frigore cogi eveniat. Reſpondeo ad primum, cum dictum ſit ſpecies indiviſibili modo eſſe in memoria, repugnare talem, quæ fit partium tranſpoſitione, confuſionem: Et ſi quæ confuſio propterea adeſſet, omnes ſpecies æqualiter attingere deberet, cum una & eadem ſit omnium ratio. Deinde ſpecies ita confuſæ nunquam diſtinctionem priſtinam recipere poſſent. Quod ſi enim quis aquam ita turbavit, ut quaſi in vaſe circumvolvatur, non erit poſſibilis omnium partium & punctorum ad eundem ſitum reditus; quis enim illa motione partes ſuo loco motas & aliis atque aliis partibus jam unitas diſcernens, ſimiliter ut prius, poterit inter ſe unire? Ad ſecundum concedimus in medio magis denſo objectum maius apparere, hoc enim ex perti fuimus aliquando in thermis, cum hiſce luſibus indulgeremus: Rem enim juſto majorem & propè nos, quæ longiùs aberat viſu æſtimabamus. At, quod talis apparitio fiat abſque refractione negamus. Radij enim in medio denſo multó ſunt plures & magis confecti, quàm in medio raro; propterea quod licet in utroque medio pyramis radioſa ſit mole æqualis, plus tamen illi, quam huic materiæ ineſt: Itaquè in corneam allapſa non ſimiliter

ter refringitur; & ab aëre quidem accedit ad perpendicularem, ab aqua verò vel minùs, vel omninò non frangitur ob ſimilem aquæ & corneæ denſitatem. Cum itaque à medio ita denſo radij confecti incidunt ad medium minus denſum, ut omnes evolui & explicari valeant, æqualis materia requiritur, quæ omnes radios in ſe recipiat; non enim duo radij in unum concurrere queunt; quo fit ut pyramis efficiatur major extremis radijs à ſe diſtinctis, quo intermedijs quoque fit locus; è contra fit, cum à medio raro in corpus denſum ſpecies incurrit. At veró ut objectum in medio denſo & uniformi ſpeciem actu majorem producat, quam in medio raro fieri nequit: Nam in utroque medio quodlibet punctum objecti ſphæram implet.

Dices, ſi res diviſibilis in medio denſo v.g. in aqua conſtituatur, & inde conus radioſus producatur per aliquod foramen, eo modo quo in aëre ſpecies deducere ſolemus, ad alias aquæ partes à luce averſas, & in recto loco, in quem videlicet cadit baſis diſtincta ſecetur conus à plano aliquo, erit ſegmentum talis coni majus quàm ſegmentum alterius coni in aëre ſimiliter producti, ſervatâ eadem diſtantiâ objecti & plani ſecantis. Igitur totus conus hic illo major erit: nam cum eadem ſit diſtantia, baſis veró major, erit quoque angulus à lateribus comprehenſus, atque ita tota pyramis major. Reſpondeo tametſi ob difficultatem talis experientiæ ſit incertum, an æqualis pictura, an major in aqua eſſe debeat quàm in aëre, conceſſo tamen ita rem habere, negamus conſequentiam; quod ſi enim probarent illius coni baſim, in aqua exiſtentem eſſe majorem, rectè inferrent de angulo illis lateribus comprehenſo. At verò à baſi terminata ad corpus opacum, cum ſit alterius denſitatis, non valet talis ratio.

Dices non videri verum ob pluralitatem materiæ radios coarctatos ita effundi, ut propterea perimeter coni radioſi major evadat, ſequeretur enim per hoc rem eò majorem apparere, quò magis ab oculo removetur. Quod experientiæ repugnat. Videmus enim res procul ſitas angulum minorem ſuis lateribus continere. Sequela probatur, quia circulus major plus continet materiæ, quàm eo minor, igitur cum circa punctum radians ad loca magis remota major circulus deſcribatur, ſpecies in eo erit quoque major: Quælibet enim pars ſpeciei majus occupat ſubjectum. Deinde ſi ponamus

tale

tale medium in quo species refringi solet concentricum alteri medio, & rem visibilem utroque circulo ambiri, cadent omnes radij ad illius superficiem perpendiculariter, ac proinde absque fractione illud pertransibunt; non igitur materiæ defectus radios ita à se disjungit, semper enim ita fieri deberet. Quod ulteriùs confirmatur; licet enim à quocunque puncto ad aliud punctum lineam rectam ducere: Si ergò cogitemus à puncto visibili ad singula puncta superficiei refringentis rectas lineas duci, vel transibunt tales lineæ singula medij rarioris puncta, vel plures lineæ in uno puncto convenient; quia videlicet in pauca materia nequeant tot esse, quot in conferta, ut proinde pluribus radijs per idem punctum iter esse debeat, & si ita duæ rectæ lineæ spacium comprænhendere & commune segmentum habere dicentur, si prius cum totidem sint puncta in medio raro ac denso, per quæ radij singuli erunt absque confusione, non erit opus alicubi à se disjungi, &obliquè ferri. Respondeo ad primum negando sequi ex nostra positione res procul sitas propterea majores apparere, etiam cum per idem medium species objecti ad nos deferuntur. At rationem quâ probant speciem in majoribus circulis sensim accipere augmentnm, donec in loco remotissimo ob amplitudinem circuli, mole ingens evadat. Respondemus rationem valituram, si species per radios simplices ita se propagaret, atque totus conus taliter actus oculo reciperetur: At non ita res habet, singula enim objecti puncta quaquaversum radiant, & in quolibet puncto medij tota species objecti adest. Plures autem unius puncti radios in vicinia, quam loco remoto recipit oculus: Quod inde patet, quia si rectæ lineæ à centro ducantur, ad plures circulos eodem centro descriptos linea subtendens, arcum minoris circuli plures tales lineas à centro ductas secabit, quàm si eadem arcum majoris circuli subtendat; unde efficitur, quò magis oculus à re visibili se elongat, minus de specie recipere; propterea quod radij à se magis distent, quàm à tàm exigua pupilla recipi queant. Ad alteram rationem, quâ ponitur visibile à centro suos radios per omnes circulos, sive raritate, sive densitate à se differentes, absque ulla fractione proferre: Et proinde cum tali casu radij à medio denso se efferentes in veniant singula, in medio raro loca, in quibus evolui omnes possint, nihil impedire eosdem cum obliquè similiter incedant ad tale me-

medium, ita quoque evolui. Respondemus non esse parem in utroque rationem, nam cum species velut à centro se exporrigit, per medium densum usque ad superficiem corporis rari, non potest in eo tantum materiæ occupare, quanta sufficit ad omnes radios perfectè evolvendos, propterea quod alij radij æquè fortes se excludi à possessione non patiuntur. Itaque fit ut cum omnes portionem æqualem recipiant, singuli minus, quàm ipsis debetur, accipiant. At cum radij obliquè incidunt, quia non omnes æqualem vim habent fortissimus enim, qui ad perpendicularem proximè accedit, prius occupat quod sibi debetur materiæ, & tum ordine sequentes, quantum huic viribus agendi & certitudine quisque propius accedit, tantum alios separat magis obliquos. Itaque maximè obliquus maximam subit refractionem, quò materiam sibi debitam assequatur. Et inde ratio desumitur à priori, cur in medio denso refractio fiat ad lineam perpendicularem, in medio raro ab ea declinet, semper enim in medio denso speciem coarctari, in medio raro magis diffundi videbit, si quis tabulas omnium refractionum perpendat. Vide tabulas Rogerij Bacconis in sua perspectiva. Quod autem radij in medio denso magis sint confecti ex eo patet, quod & color & lumen servatis gradibus intensionis magis pollet in materia densa, quàm si eadem rarefiat propterea quod sub eadem mole quantitatis plus illi quam huic materiæ inest, in quam plures quoque radij colliguntur. Quod autem assumitur pro confirmatione totidem radios inesse minoribus circulis, quot insunt majori minores illos ambienti, & cum à parvis circellis in majores incidant tales radij, plus materiæ singulis respondere: nam cùm omnes radij simul sumpti in magno circulo plus materiæ occupent, propterea quod majori plus materiæ inesse oportet, erit eadem proportio partis, quæ totius, ac proinde si æqualiter peripheriæ circulorum dividantur, sicuti totus circulus major est altero, ita dimidium dimidio, & tertia pars, tertiâ parte, quæ tertiam quoque partem radiorum terminant, igitur & quæ singulos radios excipit, erit major parte circuli minoris eosdem radios terminante. Ad hoc dicimus totidem quidem radios in parvo circulo, quot in magno, posse assignari; negamus verò uni radio plus materiæ in hoc quam illo respondere, cum enim singuli radij tanquam lineæ concipiantur, non potest nisi unum punctum

ſingulis reſpondere, neque plura huiusmodi puncta majoribus circulis ineſſe. Quod ſi enim à quocunque circuli majoris puncto linea in centrum ducatur, tranſibit neceſſariò per aliquod minoris quoque circuli punctum; neque enim tales lineæ priusquam in centro convenirent. Si itaque radios hoc modo accipiant pro lineis inſecabilibus, negamus in toto circulo plus materiæ, omnibus ſimul ſumptis reſpondere, quam in parvo aliquo circulo; totidem enim utrobiquè ſunt puncta quæ terminant illas lineas, & ſimul ſumpta nihilo majorem efficiunt molem. At ſi radios accipiunt pro ſenſibilibus punctis, dicimus hoc modo ſingulis plus materiæ in majoribus circulis convenire, quia ſinguli quò ulteriùs progrediuntur, eô mole quoque augentur & veluti craſſeſcunt: Verùm inde nihil contra nos inferri: Non enim vim ponimus in ea ſpecie mole, quæ actu ineſt, & talis ſentitur; ſed quæ potentia inexiſtit medio denſo. unum enim quaſi punctum pluribus æquipollet, ſiquidem illa vera eſt definitio denſi, quâ ſub parva mole multum materiæ dicitur contineri. Ex quibus obiter inferri poteſt non videri verum accidentia materiæ in eſſe (Si tamen mera dicuntur accidentia eſſe tales ſpecies) per quantitatem; nam per rarefactionem major quantitas accedit, quàm fuerit in re eadem condenſata; oporteret itaque ſpecies ſubjectum mutare. Sive enim tota quantitas denuò producatur, ſivè aliquæ partes adgenerentur, ſpecies ad partes noviter productas transferri deberent, at non ita fit: Accidentia enim materiæ inſunt pro numero partium, quibus evolutis ipſa quoque accidentia ſimili modo evolui videntur. Qui tamen ſervari dicunt, eandem quantitatem in rarefactione, & decem pugnis non plus ineſſe putant quam uni, propterea quod extenſionem in ordine ad locum, non ipſi quantitati, ſed illius modo dicant convenire, non urgentur ab hoc argumento. Et juxta hanc ſententiam explicanda erit definitio denſi & rari de quantitate non vera, à qua materia & forma ſuas partes, & extenſionem in ordine ad ſe mutuantur, ſed de quantitate apparente, ſive extenſione in ordine ad locum. Verùm de hoc alibi erit dicendum. Nunc ex his, quæ attulimus, concludimus, ſpecies in memoria ſervatas, nequè diſtorqueri nequè refringi poſſe, niſi per tale medium, quale aptum eſſe dicebamus ad tales affectiones, ad organum deferantur. Ut verò reliqua

de

de modo, quo ſpecies in memoria ſervantur, quæ ad huc deeſſe videntur, dicamus: Oportet ita rem habere, ut ex tali poſitione nihil impoſſibile emergat, & omnia phænomena atquè thiriſes ſibi conſtent, cauſæquè eorum utcunque probabiles afferantur. Quod quàm difficile ſit, quiſque rem aggreſſus facilè depræhendet. Omnibus tamen diligenter perpenſis ſit contra hæc Concluſio.

Cap. XIV.

Quomodo Species in memoria ſerventur, exploratur.

SPecies memorativæ, eo modo, quo informant ſubjectum, habent aliquam extenſionem, in ordine tamen ad tale ſubjectum indiviſibiliter repræſentant objectum: at in ordine ad ſe, & in eſſendo & in repræſentando ſunt diviſibiles. Hoc eſt ſpecies quælibet objecti, & unaquæque ipſius pars non differunt à ſe ſubjecto; pars enim non minùs quam tota ſpecies totum occupat, ſubjectum: In ſe verò conſideratæ habent diſtinctionem, ut, ſicuti differunt partes objecti, ita à ſe differant partes ſpeciei, neque enim poſſibile duo puncta objecti per indiviſibilem ſpeciem repræſentari. Quod ut melius intelligi poſſit, adverte tripliciter res conſiderari quoad unitatem & diſtinctionem; uno modo in ordine ad ſe; alio in ordine ad ſubjectum; tertio in ordine ad locum, quæ multum à ſe differunt, neque neceſſe quod uno ex his modis eſt unum, alias quoque habere unitates. Et enim qualitas virtute Dei in multis ſubjectis, & corpus in pluribus locis replicata habent eſſentiæ unitatem; at non unitatem primo & ſecundo modo acceptam. Corpus enim loco, qualitas ſubjecto à ſe differt. Ita ſi plura corpora ſe penetrando unum locum occuparent, unitas loci non verò eſſentiæ, illis convenient. Quod verò partes inter ſe unitæ, & à ſe diſtinctæ eſſe poſſint, tametſi neque loco neque ſubjecto differant ex eo patet; quod unio in ordine ad locum & ſubjectum poſterior eſt illa unione, quæ convenit tali naturæ ſecundum ſe, idcircò enim coëxtenditur partibus loci & ſubjecti, quia partes habet inter ſe unitas & à ſe diſtinctas; itaque ſuperficies aëris & aquæ, tametſi una ſuperficies loci utram-

utramque capit, non tamen in unam coalescit: Propterea quod unitas loci priorem non facit, sed supponit. Ita si plures Angeli A. B. C. D. in uno puncto tali ordine se irradiarent, quo literæ proferuntur, ex loci confusione ordo haud tolletur. A. enim B. & non C. vel D, & B. ipsum C. non vero A, nec B. illuminaret. Præterea Christi præsentia in Eucharistiæ Sacramento non confundit partes corporis inter se unitas & à se distinctas, deest tamen hic distinctio in ordine ad locum: Nam in omni puncto loci, quem occupat illud corpus est & caput, & collum, & pectus, & manus, & pedes, neque tamen propterea confuse: Nam caput collo, collum pectori cohæret, oculi in capite non verò in pedibus situm habent. Quod si dicas hunc modum existendi esse portentosum & supra ordinem naturæ; proinde non valere argumentum ad res naturales inde desumptum. *Respondeo* verum esse, quod corpus ita existens extendit vim naturæ, at inde nihil inferimus, sed solùm possibilitatem taliter existendi monstramus. Neque refert modum esse miraculosum; nam quæ uni miraculose, alteri naturaliter inesse possunt. Quin omnia opera naturæ ex se sunt miracula, nam & ignem urere, & aquam refrigerare, & omninò sicuti esse aliquid præter Deum, ita quoque agere miraculosum; miracula tamen ob consuetudinem dici desierunt: Et quod ordinatè ita fiant, naturaliter fieri dicuntur. Quod si Deus invertat hunc ordinem, ut vel aqua urat, vel ignis refrigeret, modus agendi utrique erit non naturalis. ita existentia illa corporis Christi & præter naturam respectu corporis, at rebus aliis potest esse naturalis, quemadmodum Angelos coëxistere locis divisibilibus & rursum ad punctum contrahi est naturale; quantitati veró & omnibus extensis præter naturam.

Neque tamen omnimodam similitudinem esse volumus, inter corpus illud mysticum & species: Sed in eo tantùm, quod sicuti partes corporis conservant unitatem & distinctionem, tametsi ex modo, quo tali loco sunt præsentes confundi videantur (impium enim existimare corpus ita comminui, vel cum hostia simul discerpi) ita quoque species conservare partes à se distinctas & inter se unitas, tametsi illa distinctio non evolvitur in partibus talis subjecti v. g. species quæ hominem repræsentat, ita inest subjecto, ut partes omnes quæ caput, & collum, & pectus, & ventrem & manus & pedes,

er-

repræſentant, ſingulæ inſint toti ſubjecto: nequaquam tamen illa pars ſpeciei quæ caput repræſentat proximè unitur illis partibus quæ manus vel pedes repræſentant: Sed eo modo quo partes objecti inter ſe habent unionem, partes quoque ſpeciei uniuntur. Hoc illuſtrari poteſt aliarum exemplo qualitatum, nam calor v. g. qui ineſt ſubjecto, ſive aëri, ſive aquæ, triplicem habet unionem: alia enim unio dicitur inhæſionis, per quam ſubjecto unitur tale accidens: alia extenſiva; ſicuti enim quantitas habet partes unam extra aliam, ita qualitas illi coextenſa; tertia unio intenſiva, gradus enim caloris primus v. g. non attingit proximè tertium, ſed ſecundum, hic verò tertio, tertius quarto, & ita deinceps ordine uniuntur. Unaquæque dictarum unio convenit ſpeciebus, nam præter unionem ſubjecti habent aliam unionem, quà partibus ſubjecti ſunt coextenſæ, non enim quodlibet punctum ſpeciei, qualiter anima occupat ſubjectum, ſed in eo multiplicatur; alia unio eſt intenſiva (ſi tamen ſpecies intendi poteſt, quod alibi inquiremus) per quam ſpecies perficitur in una ſimplici repræſentatione. Verum nulla erit exhis de qua agimus, propria ſpeciebus, tametſi multum ſimilis ſit unio intenſiva; non eſt tamen hæc, ſed unio quædam extenſiva in ordine ad ſe, non etiam in ordine ad ſubjectum, in quo differt ab unione extenſiva propriè dicta. Ut verò hanc unionem, & quomodo ea ſpeciebus indui ſoleat, exemplo illuſtremus (nam de alijs unionibus non eſt quod hic agamus) adverte dupliciter res cognoſci, ſimul, & ſucceſſive; & utrobique ſpecies inter ſe aliquomodo uniri v. g, cum video Herculem adverſus leonem decertare in tali convalle, ubi ſylva Divo molliter aſſurgit, & rivulus inde decurrens mediam ſecat, ab omnibus quidem ſimul ſpecies venit ad ſenſum, nam & Hercules, & leo, & ſylva, & rivus ſuam ſpeciem facit; verum ſicuti objecta ſuis locis manent à ſè diſtincta, ita cuiusque ſpecies occupat diverſas organi partes, unamquè ſimul ita junctæ picturam efficiunt, ea proportione quam habent ad ſe objecta. Et quia propter hanc ſimultatem extendi in tali organo, ſimul ab anima, tanquam perfectum unius actus objectum cognoſcuntur, inde fit quod in memoria ſimilem picturam anima producat, partibus ſimiliter inter ſe unitis, differenter tamen in ordine ad ſubjectum quemadmodum ſi cogitemus picturam illam non ruptam ſed convolutam,

ita deinceps per totum subjectum se multiplicare. Cum verò diversa objecta successivè & ordine quodam intuemur, ut si ab illa convalle in sylvam progressi alias feras, aut volucres, aut viatorem, aut vetustæ arcis ruinam conspiciamus, omnium species eo quoque ordine unitæ in memoria recipientur: Quæ unio fit beneficio mediæ speciei, quæ extremis per unum actum solet uniri: Non enim possibile à toto objecto repente animum transferre ad aliud objectum, quin partem prioris objecti retineamus, nec refert, si quis clausis oculis descendens, ad alia porrò objecta oculos intendat; vel enim eadem durat imaginatio quæ prius vel jam alia successit, & ita objecti quantumuis remoti species non minus per eam, quæ adest imaginationi speciem prioribus erunt colligatæ. Hæc utraque unio exiguam difficultatem habere videtur, si aliam quandam unionem, quæ speciebus quoque in est animo lustremus: Per quam similis naturæ species inter se colligari experientia testatur. Etenim sæpè experimur nos excidere à serie rerum sive uno actu, sive pluribus tali ordine cognitarum, & in diversissima objecta recurrere, quæ multò ante tempore fuimus imaginati, ut si ea, quæ de Samsone sacræ historiæ produnt mente retractemus, cum jam phantasma leonis ab eo discerpti expressimus, protinus omisso Samsone cum Hercule adversum monstra nos decertare, vel cum Semiramide circa Babyloniam de latere coctili mœnia moliri depræhendimus, ita ubi Christum in cruce deflevimus Hierosolymis mira tempestate ad Tyrios aut Carthaginem aut immenso itinere in Japoniam deferimur, cum vel hic Martyres à Taicosama crucibus affixos intuemur: Vel Carthagine nimiam Patris in filium severitatem, vel apud Tyrios nimis sævam in Nepotibus vindictam & sævitiam Alexandri accusamus, vel cum pro eo latrone, qui cum Christo pendebat, nobis se offert ille non falsa pendens in cruce laureolus. Hæc inquam aberratio nequit alia fieri ratione, quam quod similes species inter se quoque colligantur, ita ut species leonum inter se, & sylvarum, & hominum, & canum, & fontium inter se uniantur. Itaque non absurdè videbitur assimilari talis cohæsio specierum texturæ alicui, sive reti ex densissimis filis variè contexto; sicuti enim in eo unum quodque filum & singuli modi pluribus filis transversis implicantur, ut si quis illius cursum sequi velit, facilè in ipsa plicatura & fili circumvolutio-

nem

nem aberret, & ex eo in aliud filum incurrat: Ita prorſus evenit in ipſis ſpeciebus; propterea quod in unaquaque ſerie ſpecierum ita colligatarum, una quælibet ſpecies colligationem quaſi lateralem habet cum ſpeciebus ſimilis naturæ, & illarum interventu cum reliquis omnibus, cum quibus illæ quoquè ſunt unitæ. Unde efficitur ut promptè excidamus ad huiusmodi ambages, & quaſi in aliquo labyrintho oberremus, prout fortis ſpecies has illaſvé januas prior recluſerit. Venator igitur ex ſpecie canis, aut pharetræ, aut venabuli, aut alicuius arboris protinus ad illas ſpecies, quibus venationi adeſſe & quaſi coram intueri, devoluetur; propterea quod tales ſpecies, ob frequentiam actus, plus roboris nactæ, facilè exercentur ab illis ſpeciebus, cum quibus aliquam connexionem habent. Dices, ſi ita res habet, fore perdifficilè reminiſci, & memoriam valdè operoſam: Cum enim unaquæque ſpecies quaſi infinitis alijs ſit connexa, quis in tanta viarum multitudine Mercurius iter diriget, & viâ verâ monſtratâ ab errore nos tuebitur? Præſertim cum dictum ſit ſpecies ſuaptè naturâ non verò rationis ductu, ingredi ſcenas illas, in quibus exercentur actus imaginationum. ut, quia v. g. ſpecies leonis cum omnibus ſpeciebus illarum rerum, quæ ſimul cum leone percipimus, ex vi talis actus colligationem & nexum habent, ſi in aliqua ſpecie evolvenda progrediamur usquè ad ſpeciem leonis, non erit modus inter tot vias, viam invenire ad aliquam ſeriem, nam & ſpecies Chriſti & Divi Marci & Hieronymi, & Samſonis & Semiramidis & Liſimachi, & aliæ infinitæ alio itinere nos abducere nitentur. Reſpondeo quam difficile ſit reminiſci, quemque optimè in ſe experiri, cur enim pauló longiorem orationis contextum, niſi multoties lectione repetitâ, referre nequimus, niſi propterea quód ſingula verba infinitis inter ſe modis permiſcentur; unde hæc tria verba, ſapiens dominabitur aſtris, non facilè quisquè pauló poſt referre poteſt, niſi ſæpius repetendo, quaſi fortius ea colligata ſibi impreſſerit, quia & ſapiens, & verbum dominabitur, & aſtris, cum alijs verbis in oratione modis innumeris connecti ſolent. Deinde experimur in medio orationis curſu, in aliquo verbo nobis hærentibus, multa alia longe diverſa ab eo, quod expectamus, verbo occurrere, talia tamen, cum quibus illud verbum colligatum aliquando fuit, ut ſi illum pſalmum oranti, Laudate

pueri Dominum, laudate nomen Domini, non ſuccurat ſequens verſus, ſit nomen Domini benedictum &c. ſed pro eo excelſus ſuper omnes gentes &c. propterea quod cum ea voce Domini, & vox excelſus, & aliæ voces habent in alijs quoque pſalmis colligationem; quo fit ut plerumque ab uno pſalmo in alium deferamur, maxime cum minus attenti ſumus ad illa verba. Quia tamen intellectus omnibus illis præſidet, & quamque ſpeciem ingreſſam examinat, & cum alijs confert, ſi ad aliam ſeriem videbitur aliqua pertinere, protinùs à ſe tanquam extraneam ablegabit, ut ſi contingat, in hiſtoria Samſonis cum ſpecie leonis Herculem ſe inferre, intellectus eo, tanquam nihil ad illam hiſtoriam faciente, dimiſſo, reliquam ſeriem decurret. Credibile verò in brutis, quia deeſt illa vis imaginationum directrix, miras ambages & aberrationes ſæpiùs evenire, propterea quod nihil adſit, quod illam torrentem ſiſtere poſſit, niſi fortè ab extra objectum imaginationem ad ſe convertat; ut ſi canem taliter imaginationi vacantem baculo aut lapide percuſſum excitemus. Non ſolùm veró voces integræ, ſed & earum partes, & ſyllabæ habent inter ſe connexionem: Itaquè non mirum quod ſcribit Fracaſtorius, domeſticum & ſibi familiare nomen Dorothea non ſuccurriſſe, verùm illius loco Theodora vel Thimothea. Ratio enim hæc eſt, quod ſyllabæ The & dor non ſolùm inter ſe in compoſitione nominis Dorothea, ſed eum alijs quoque pluribus ſyllabis conſtruuntur, ut patet in his vocibus Theraſia, Themiſtius, Theodoſia &c. & doronicum, adorea, odora, & alijs infinitis. Inde fit quam difficiliùs experimur memoriam verborum quam rerum; non enim ſpecies rerum ita diſtrahi ſolent, ut partes à ſe divulſæ cum alijs miſceantur, caput enim leonis vix alteri pectori quam leonis cohærere ſolet, ut proinde à ſola tali ſpecie promptè integra leonis ſpecies excitetur.

CAP. XV.

Progreſſus ſpecierum ê loco memoriæ narratur.

Dictum eſt de modo quo ſpecies memoriæ ineſt, ſupereſt ut & modum quo inde prodire ſolet, expediamus: Siquidem

dem à nobis est demonstratum non posse ob illam confusionem in ijsdem sedibus , in quibus conservatur , facere imaginationem , sed oportere ab illis veluti umbraculis in lucem protrahi. Et quia non omnes simul , sed ordine quodam , una post aliam inde progreditur : Duo hic sunt inquirenda ; quâ ratione fiat ut ex tanta tot specierum congerie aliqua species excitari possit,& absque aliarum consortio in organum radiare ; alterum quid conferat speciebus in memoria ita confusis talem revolutionem ut jam clarè & distinctè unaquæque luceat in imaginatione. Quod attinet primum , quando quidem hunc labirinthum sine duce ingressi hucusque per plures ambages & cæca itinera sumus delati , enitendum aliquâ vi egressum moliri. Et quid mirum inter tot imaginationes , nos multa quoquè imaginari & pluries ab incessu recto aberrare ? Igitur cum dictum sit species inter se esse unitas , ubi una incipit radiare , protinus alia atque alia vi unionis excitatæ , eo ordine quo uniuntur, suos quoque radios incipiunt efferre. Et quià tales nexus in se varie explicati in finitè procedunt , hinc est quod viæ imaginationis interminabiles existant , prima verò species excitatur ab objecto sensus externi, propterea quod sensu operante , anima quoquè in memoria speciem producit simul radiantem. Itaquè probabile fit , quod si homo tempore primæ quietis , quando nec dum illa insomnia elucent , omnibus sensibus externis privaretur , nullâ tamen vi imaginationi illatâ, excusso jam somno , sive causis somnum inducentibus , nihil imposterum posse imaginari ; propterea , quod necesse sit primam speciem ab objecto determinari & quasi excitari ; cum alias nulla sit ratio cur hæc aut illa species debeat radiare : Quod si verò illa sensuum privatio eveniet existente actu imaginationis , phantasia suum cursum eò usquè continuaret , donec intereà causæ excitatæ , qualiter in somno fieri solet , impediant illum cursum , omniquè actu phantasiam privent. Quod si objicias insomnia nobis adesse post primam quietem ligatis ad huc sensibus , nequé tamen evigilare , quo possimus ab externo objecto ad primam imaginationem excitari. Respondeo quod si sensus externi omnes æqualiter ligati manent , nullam in nobis fore imaginationem , nulla insomnia : Et hanc esse causam quod aliqui dicuntur nunquam somniare. At non ita fit, manet enim nobis dormientibus maximè post primam quietem quo-

rundam sensuum vigilia quædam imperfecta, ita si dormientes pungantur sese contrahunt ob sensum doloris neque tamen evigilant, alij inter dormiendum à se auditos sermones referre solent, igitur verum habet etiam eos quod somno detinentur, posse à talibus objectis sivè extrà sivè in corpore subsistant, recipere aliquam determinationem. At verò ex his tanquam Hidræ capitibus ferro succissis novæ difficultates exoriuntur, nam illa recenter producta species, quî fit quod ubi aliam speciem excitavit desinat in posterum radiare? Cum enim non liberè, sed ex necessitate agant species, non minus posteà quàm ante dicetur suos radios quælibet eó inferre; atquè ita quæ alias excitant, & quæ ab alijs excitantur simul concurrant ad imaginationem; cum neque radiare, neque alias atquè alias desinant excitare, unde consequens est tandem omnia objecta simul cognosci, aut si omnium radijs præsentibus non opus est, ab omnibus phantasiam moveri, frustrà nos memoriæ sedem ab organo sensus disjunxisse. Ad hanc superandam difficultatem, si fortè impares nos dicamus, quis nobis vitio dabit? audendum tamen etiam viribus majora. Sæpe enim extrema desperatio salutem attulit. Quis nescit Maragnonum cum ex Quito, novi orbis provincia, secundo flumine, quod ex eo nomen trahit, tantum esset progressus, ut jam redire non liceret, desperatâ salute & reditu ceptum iter, quo vi ferebatur, spontè secutum in oceanum primum, inde immenso itinere Hispalim feliciter cum exigua scapha appulisse. Tota verò difficultas, de qua agere nunc cepimus, in eo versatur, quod cum omnes species similes habeant directiones, tam in ordine ad subjectum, quam in ordine ad organum, ut proinde iter, per illud medium vel omnibus simul, vel nulli patere debeat, quæ nam motio aut quæ virtus attingere debet unamquamque speciem, ut sola per se absque alijs eò deferatur? Non enim possibile nihil mutatam agere, quæ hucusquè desedit otiosa. Et ubi jam species taliter excitata effectum producit, quis vel abolet effectum vel speciem prohibet ne aliam porrò producat. Ut igitur hanc obscuram quæstionem luce aliquâ illustremus.

Dico *primò*, non esse probabile species in memoria ita confusè receptas à se ipsis evolui. Ratio, quia talis evolutio non potest fieri nisi per productionem novæ speciei, in ipso medio ad organum sen-

ſenſus interni continuatæ : At ſpecies quæ ineſt memoriæ, non habet vim producendi aliam ſpeciem ; oporteret enim, cum ſemper adſit illa vis ſpeciei productiva, ſemper quoque adeſſe in ipſo medio atque organo talem effectum ; evolui autē dicitur ſpecies propterea, quod ſicuti in memoria ſub illa confuſione virtute conſervatur unius cuiusque radij directio, ita ipſo actu radijs noviter productis illa eadem confertur.

Dico *ſecundò* eadem virtus animæ, quæ ſpeciem in memoria confuſè exiſtentem producit, eadem in ipſo medio producit diſtinctè. Ratio, quia ſpecies in medio producta continua eſt illi ſpeciei quæ memoriæ ineſt ; igitur ſicuti unus effectus, ita quoquè una erit cauſa communis. Quod ut melius intelligatur,

Ad verte, quod ſicuti eſſentia animæ eſt finita, ita quoque illius virtus certis limitibus continetur. Unde fit quod ſuas actiones nequit exercere quomodo libet auctâ perfectione. Quemadmodum igitur non licet, tot, quot volumus objecta ſimul & æquali perfectione attingere, ſed ad certum usquè numerum, quem tranſcendere non datur. Et ſi aliquid addere volumus, pars prius cogniti objecti neceſſariò evaneſcit ; ita quoque ſe res habet in ſpecierum productione ; non enim quotcunque numero ſimul producere vel productas conſervare poteſt, verùm ad certum usque numerum ; ita, cum aliam denuò incipit producere, deſinit aliquam ex ante productis conſervare. Inde ergo ratio deſumitur quod ſpecies evolutæ cum ad alias evoluendas anima procedit, non poſſint una cum illis conſervari; at quod has illaſvè ſpecies nō indifferenter ſed certo ordine evolvat, dependet ex illis unionibus, quibus ſpecies inter ſe colligari dicebamus : Quo enim ordine fuerunt inter ſe colligatæ, eodem anima progreditur in illis evoluendis, & quid mirum ab anima ita recognoſci, quæ eadem, ut tales eſſent, efficit; artificem enim opus ſuum haud ignorare decet. Quod verò dicimus ſpecies recognoſci, non ita intelligi debet, tanquam ex una ad aliam quodam motu, ea feratur ; etenim omnibus intimè præſens nequit taliter moveri ; ſed quemadmodum indifferens ad ſuas functiones, ad aliquam ex illis determinatur per ſpeciem objecti, nihil quidem virtutis, ſed ſolam determinationem accipiens : Ita cum indifferens ſit ad ſpecies memoriæ evoluendas, ad primam quidem per ſe determinat

ab objecto ; nam qualis species in sensu existit ; talem interius ipsa producit, non solum in memoria confusè, sed etiam in medio atque organo distinctè : Ad alias verò species evoluendas determinatur vi unionum ; propterea quod species taliter unitæ fiant quasi partes unius compositæ speciei : Neque tamen ob limitatam essentiæ perfectionem totam simul, sed per partes dicto jam ordine evoluit.

Hic verò incidit aliqua dubitatio, quando dicimus non omnes species simul radiare, propterea quod neque virtus animæ omnes simul evolvere, aut evolutas conservare queat; nam cum species evolutæ sint unius naturæ & continuæ Illis speciebus, quæ confusè memoriæ inesse dicuntur, videtur una & eadem ratio conservationis utrisque convenire ; vel enim erit necessaria virtus animæ ad species memoriæ conservandas, vel jam productæ non egent præterea ullius conservatione. Si prius : igitur cum innumerabiles species ità confusas anima dicatur conservare, non erit minus potens, ad totidem jam evolutas conservandum. si posteris igitur species semel evoluta non poterit deficere aliquando, ut quæ jam per se independenter ab omni conservatione subsistat.

Respondeo sive dicamus species memorativas ab anima pendere, sivè non egere subjecti conservatione non rectè inferri æqualem esse debere rationem speciei evolutæ, & in medio ad organum extensæ : nam cum tale medium sit aëreum & dissipabile, nequit species in eo diu servari absque confusione, nisi continuo affluxu alii atque alii radii prioribus succedant. At species in memoria productæ quacunque subjecti motione aut partium transpositione nihilo magis erunt confusæ. itaque semel productæ non egent nove entitatis accessione, sed solâ prioris conservatione ; talis autem conservatio cum nullam perfectionem de novo adducat, non fertur extra terminos limitatæ virtutis, quemadmodum si tot numero species de novo quasi uno aggressu moliri dicatur. Dices, si ità est, quod anima per tales uniones determinetur ad species ordine evolvendas, cum una species aliis quasi numero infinitis possit uniri, sequitur post quamlibet speciem totidem evolui & præsto esse debere : cum non sit ratio cur inter æqualiter unitas hæc potiùs quàm illa evolui debeat.

Respondeo differre à se uniones majori & minori perfectione : nam cum v. g. hæc verba, *justus non movebitur in æternum*, sæpius repe-

repetimus, propterea illorum species arctius colligantur, quod qualibet repetitione species noviter producta prioribus unitur, atque ita ex omnibus simul unitis unio quædam extensa, vel quasi composita resultat. Quod si non velis admittere tot species numericas & à se distinctas, non tamen negare potes ex tali repetitione intendi, cùm fortiores fieri experiamur, & intensio esse nequit absque additione novæ entitatis, igitur cum unione intensiva crescere oportet reales entitates. Deinde adverte non omnes uniones esse immediatas; non enim quælibet species alteri seipsa & proximè unitur, sed unius vel plurium interventu: itaque prius evolvitur illa species, quæ magis & immediatius est conjuncta v.g. species leonis à Samsone interempti habet cohæsionem cum speciebus omnium leonum, qui nobis unquàm innotuerunt; cum aliis verò speciebus illis connexis, non alligatur proximè, sed mediâ aliâ specie v. g. leonis ab Hercule occisi, cum specie Herculis, at verò cum mellificio immediatè cohæret. Itaque fit ut in historia Samsonis species mellificii prius quàm Herculis detegatur, quod ad hanc per speciem alterius leonis, ad illam protinus ire liceat. videtur quoque major unio esse inter species illarum rerum, quæ per modum unius objecti cognosci solent, quàm quæ uniri dicuntur ob similitudinem naturæ propterea quod hæc sympathetica magis, quàm vera unio esse videatur: Ex hac itaque distinctione poterit dissolui allata difficultas; quod & si nihil repugnet omnes species inter se colligatas esse; quia tamen aliæ alijs uniuntur magis vel minus remotè, propterea non æqualiter neque simul excitari: Sed quæ magis & propius cohærent, & inter eas quæ fortior est prius evolui.

Dices Secundò: cum evolutio specierum sit quasi fluxus quidam naturalis, quo una post aliam suos radios exporrigit, quî fieri potest quod imaginationi diu immorari & speciem ita detinere, alias verò retardare possimus? An quod eadem anima species evolvit, & evolutas cognoscit, propterea non se ipsam perturbat vel impedit ita cognoscentem: Verùm eousque cursum exhibet, quousque talibus spectaculis indiget; Satiata demum cursum prosequitur alias atquè alias species repetendo? An hoc quod dicimus, experientiæ repugnat? Neque liberum est animæ ita cursum moderari, ut vel inhibeat vel incitet illam productionem? Etenim cum circa ta-

M lem

lem picturam plus solito & cum multa attentione occupamur, non desistunt interea specierum turbulentæ incursiones juxta modum à nobis dictæ cohæsionis, evolutarum. Ratio igitur talis moræ inde videtur petenda, quod cum anima elicit actum sive visionis sive imaginationis, quem in anima recipi dicebamus, simul quoque in memoria speciem reponit similem, expressæ per talem actum speciei. Itaquè fit ut noviter producta species moxincipiat radiare, & cum circulo quodam species quidem actui, actus verò speciei causâ fit existendi, poterit imaginatio etiam longius durare. Accedere verò aliquid memoriæ ob elicitum actum, inde videtur manifestum, quod prompti efficiamur, circa illas species, quibus sæpè diuque memoramur, quod esse nequit absque productione novæ speciei. At verò inde major difficultas exoritur; Quomodo dimittere talem actum in nostra sit potestate: Cum enim medio modo se habeat inter species, & quia necessariò producitur à specie, & quia continuò alia species actum consequitur, quæ non minus necessariò conservat talem actum, nunquam videbitur cessare talis actus, cum neque desinat produci species. Pro solutione huius difficultatis.

Adverte quod sicuti species objecti in oculo recepta non secundùm omnes partes æqualiter ab anima percipitur. Verùm illa portio, quam axis opticus defert, clarè & distinctè, aliæ verò partes magis & minus obscurè, prout magis & minus recedunt à tali axe: Ita existimare oportet de speciebus ad internum organum delatis: Non enim omnes coni suos radios distinctè eò inferunt, sed alij quidem præcisé ad superficiem organi omnia puncta recolligunt; alij nec dum collecti vel jam à collectione expansi eò pertingunt: Quò fit ut imaginatio ab illis distincta, ab his verò confusa oriatur. Et sicuti axem ab uno puncto visibilis objecti ad alia transferre, atque ita singula ordine distinguere possumus; ite quoque interno organo natura vim concessit se variè configurandi, ut non minus quam tunica retina illam planitiem vel abducendo, vel propius ad movendo, & quasi obuiando radios coni diversimodè secare, & alios quidem distinguere, alios elidere vel suffocare possit. Cum itaquè pertæsi talem actum cessare volumus, non propterea desinit quia nos ita volumus; sed quia organum ea parte, quâ species illa distinctè insidet, se subducens quasi axem alio transfert: Unde speciei oritur

tur

tur confusio, ita sensim evanescentis : Quod autem talis motio conveniat interno organo inde patet, quod ex multa & pertinaci imaginatione non minus quam in oculis lassitudinem & dolorem eâ cerebri parte, quâ organum est situm, experimur : Quæ non possunt aliunde, quam ex tali constrictionis& dilatationis motu proficisci.

Hæc de ordine, super est ut de modo, quo species evolvi solent, dicamus . Debet enim quælibet species, priusquam percipiatur ita distingui, ut diversorum punctorum radij, qui in memoria tanquam uno aliquo puncto erant collecti, à se rursum distingui incipiant, donec in organo singuli jam explanati reperiantur, plurès enim radij non ab uno & eodem puncto progressi, & ad unum organi punctum collucentes pariunt confusionem. Necesse verò hanc evolutionem fieri aut in medio, per quod species deferuntur, aut in organo, & si prius, aut in ipso medij ingressu, aut ubi jam aliquantulum processit species ita confusa, aut demum in fine medij. An igitur necesse speciem protinus explicari ? Quod si enim plures species medium ingressæ uno itinere aliousqué ferantur, non erit possibile unam ab alia separare ; quemadmodum in aëre fieri videmus, species enim in unam lineam directæ nullâ medij refractione à se rursum divelli queunt; ita enim species objecti per medium coloratum transparentes, nunquam desinunt eo colore tinctæ apparere, ob inseparabilem, quæ tali directione fit, commistionem. At quo minus species ita evolvi debeat, non levis difficultas videtur obstare : Nam cum omnes species, tam in se quam in ordine ad tale subjectum, habeant eundem essendi modum, erit idem quoque modus operandi : Non igitur alia dextrorsum alia sinistrorsum ferri potest, sed omnes æqualiter progressæ, incident quoque similiter ; nam quod à lente crystallinâ radij confusi se explicare, & à se divergere solent, inde est; quod in illa confusione proprias directiones conservent. Nam radijs ad diversa puncta illius superficiei refractis non expandit se quisque ab eo, in quo frangitur, puncto, in totum corpus crystalli, sed recto & simplici cursu illud pertransit. Confusio autem speciei oritur non ex eo, quod duo pluresvè radij rectâ lineâ ferantur, hoc enim fieri nequit; sed quod nulla portio sensibilis assignari possit in tali crystallo, in qua non plures radij decurrant mille modis se inter-

secantes, & plexum longè ad mirabiliorem, quam sit ille cerebri ventriculorum, efficientes. Species autem in memoria consignatæ, non ita se habent, quasi diverso itinere diversæ species sint exporrectæ; quo fit ut illis inde protractis nulla dissimilitudo possit oriri. An igitur dicendum non quidem in medio, verùm in organo demum species ita distingui, quod quidem tali modo fieri posse videtur ut una & eadem omnium sit directio, & partes speciei non simul, sed successivè eó ferantur: quibus organum alias atque alias partes efferendo successivè illam quoque picturam a speciebus delatam excipiat. Quemadmodum si cogitemus globum axi suo insistentem, à penicillo ipsum tangente & immoto, excipere plures colores ita contemperatos, ut alter alteri suppositus sit, non vero confusus: Nam posse ita fieri ex eo patet, quod dum colores excipimus non bene abstersо penicillo, chartæ ipsum illinentes, eo jam pene deterso, primo quidem quasi mixtus color prodit, inde ille qui proximus inhæsit penicillo. Si itaquè tali ratione triplicem colorem habeat penicillus v. g. puniceum, viridem & cæruleum, excipiet globus circumactus tres illos colores, ita, ut linea resultet ex tribus partibus constans triplici colorum varietate, distinctis. Ita inquam, species ob similem organi motum, per partes ordine evolutas in eo recipientur, & illa partium extensiva continuitas, quam memoria confudit, successiva productione recuperabitur. At si ita fieri dicatur, multæ & graves difficultates inde ortum habebunt: Nam inprimis, si species v. g. hominis non simul sed particulatim evoluitur, sequitur priusquam phantasma hominis sit expressum, oportere idolum capite aut pedibus truncum nobis occurrere, quod experientiæ adversatur. Deinde non est ratio cur illa pars prius, hæc posterius evolvi debeat. Quod si evolvi dicas eo ordine, quo species producuntur, ut pars speciei in memoria prius receptâ prius evolvatur, non propterea tollitur difficultas; non minus enim ratio reddenda, cur hæc prius illa posterius in memoria recipiatur: Ut si speciem hominis oculo inesse dicamus, cui similis in memoria reponi debet, quid nam prius dicetur produci manus an pedes, an caput an verò ab umbilico tanquam centro incipiet talis pictura. Et si fortè à pede (idem de alia quacunque parte dicendum) principium erit talis picturæ, quid fiet pede jam formato, an redire oportet ad alterum pedem

dem ? Et quâ via ? an porrò procedet pictura homine ita absque uno pede delineato. Quæ omnia cum manifestè sint absurda non erit possibilis ille modus, quo species non tota simul, sed veluti per partes dicitur formari.

Quartò cum jam species in parte organi est recepta, & aliquandiu ita conservatur, propterea quod immoramur tali imaginationi, siquidem conservationem fieri dicimus per continuam radiationem, & novæ speciei submissionem; organum verò alias atquè alias partes radijs obvertit. Quomodo poterit talis species ad idem punctum, obliquo jam itinere deduci, aut si ad diversa incidit puncta ob talem organi motum non fieri distorta & monstrosa quin neque rem loco motam, imaginari licebit, aut certè omnia moveri videbuntur quorum species in organo ita mobiles detinentur.

Ad primam difficultatem posset responderi, imperceptibile esse tempus quo tota species producatur; quia tamen sensibilis mora requiritur ad sensum, non poterit species cognosci per suas partes, quemadmodum in circulis ab igneo carbone descriptis fieri dicebamus, quod licet successivè ex uno in alium feratur omnia tamen loca videtur simul insidere.

Ad secundam rectè dici eò ordine species quasi redire, quo fuerunt productæ: ad instantiam verò qua dicitur nullam rationem esse, cur pars speciei prius alia posteriùs produci debeat, *Respondetur* Imò si argumentum vim habeat, necessario ruere ordinem, quem natura in suis actionibus studiosè observat, cur enim arbores prius flores ferunt deinde fructus, & utrisq; folia & frondes præmittunt, neq; n. unum ex alio natura suâ dependet, alioquin neq; fructus absq; flore, neque flos absque foliis unquam esset, quod magis conspicuum erit, si animum transferamus ad eam vim, quæ cujusque animantis corpus non repentè sed certo ordine fabricavit; potissimum quæ à nobis supra dicebantur; varias metamorphoses admittere; cum enim una sit essentia & virtus animæ, quid est quod ex illa molli & sequaci materiâ, quæ in ovo bombycino continetur, non protinus format papilionem? non enim illa organa, quæ Erucæ aut bombyci conveniunt, usui erunt papilioni, quæ abjici demùm videmus, neque tanquam materia alterius operis, ut quæ dura & arida resolvi oportet, priusquam aliquid ex illis construi possit. Neque defectus materiæ accusari

 potest

poteſt, nam ſi defectu materiæ præterit aliquas partes, cur potius has quam illas, & cur non ſervata proportione ſingula quidem, verùm mole minora efficit. Si itaque una & individua virtus animæ ex ea materia, quæ apta eſt ad omnes formas recipiendas, non minùs ultimi ac medii, quam primi operis, non agit perturbatè; neque unquam prius bombycem, quam Erucam, neque ante bombycem papilionem producit, quid mirum in ſpecierum productione ordinem conſervare? tametſi fortè nos ignoremus quam prius, vel quam poſterius illa partem producat.

II. Reſpondemus probabile nobis videri hanc productionem inchoare ab axe optico tanquam centro, & inde per orbem ire à minimis circellis ad ſenſim majores progrediendo. ratio, quia ille radius omnium eſt fortiſſimus, reliqui verò quantum ab eo recedunt, tantum claritate & viribus agendi ab illo ſuperantur. hoc autem quod dicimus, illuſtrari poteſt tali exemplo; punctum viſibile ſuis radiis totam ſphæram dicitur edere, igitur ſicuti ab uno puncto, quod centrum eſt circuli, ad omnia perimetri puncta lineæ rectæ excurrunt; ita nihil repugnat mutuâ corradiatione in unum punctum colligi; quin ità fieri docent ſpecula uſtoria, quæ tali radiorum coitione ignem à ſe emittere ſolent. ad hunc modum concipi debet ſpecies in memoria reponi, tanquàm ſi ab eâ ſpecie, quæ ineſt pupillæ, radij introferantur, & in aliquo illius puncto, quod axis occupavit, omnes eo ordine, quo axem ambiunt, recolligantur. Nam poſſe à pluribus circulis unum punctum in radios convenire, docent ſpecula quæ Umkeſi dicuntur. Hæc tantum erit differentia in ſpeciebus, quod non omnium circulorum radij ſimul eo feruntur, ſed ſucceſſivè à minoribus ad majores ſenſim progrediendo, quemadmodum in aquis ſtagnantibus accidit, ab injecto enim lapillo parui quidam circelli excitantur, inde continuò augeſcentes, demum ingentem ambitum colligunt. Cum itaq; ille circulorum ità excitatorum motus ex omni medii puncto, à quo rectæ lineæ, radius ſit conſpicuus, neceſſe ab illis circulis ſucceſſivè productis ſingulorum ſpecies ſucceſſivè quoque deferri. Quod ſi itaque omnes ſpecies, tali ordine productas, in illo puncto ponamus conſervari, erunt omnium circulorum ſucceſſivè productorum radij in uno puncto collecti. Unde non erit difficile modum concipere, quo radii ità collecti ſe rurſum exſinuare

&

& evolvere queant. nam si eo ordine quo tale punctum sunt ingressi, versus planum illi puncto oppositum protrahantur, describent in eo successivè eos circellos. At quia negatum fuit speciem ab oculo cousque continuari, & ibi demùm stabiliri, Anima successivâ productione illius vicem supplet, quo minùs difficile erit hunc ordinem servare, non enim violentia alicui infertur, quemadmodum fieret si species ab oculo eò radiaret; partes enim posterius agentes violenter actionem tantisper inhibere videntur.

Dices ex hoc discursu sequi non omnes radios successivè produci, nam omnes qui ab uno circulo veniunt, simul ad tale punctum corradiare. *Respondeo* quando ordinem & numerum assignamus in radiorum productione, alium primo, alium secundo vel tertio loco ingredi dicentes, id fieri à nobis ob faciliorem modum intelligendi, quemadmodum in qualitatibus certo aliquo numero gradus distinguere solemus; at revera in tali successiva productione non dari primum nec ultimum, siquidem species non ex punctis sed partibus semper divisibilibus constat, atque generatio talis entitatis incipere dicitur non per primum sui esse, sed per ultimum non esse. Cum itaquè dicimus speciem successivè produci, non ità intelligi oportet, tanquam species ad lineas usque insecabiles resolvi, & secundum tales ingredi debeat, sed eo modo quo circuli in aqua se exporrigunt continuò magis ac magis adaucti.

Dices axem esse rem incertam, potest enim quicunque radius solâ oculi motione fiere axis: non igitur principium motus certi ad rem incertam referri debet. *Respondeo* axem in se spectatum esse incertum; at si cum determinato oculi situ & certa speciei radiatione accipiatur esse certum; neque alteri radio posse convenire; à quo proinde principium desumi talis motus nihil prohibet. Quod si jam oculus aut objectum situm mutaret sivé simul & quasi uno tractu, sivè paulatim, quia species incipit à se differre, alia huic non autem priori similis in memoria producetur, cuius productionis non idem esset principium, quia nequé axis idem.

Sed instabis, si ita est quod successivé & proinde aliquo tempore producitur talis species, sequitur aliquo casu speciem in memoria produci quando jam desijt esse in oculo, quod videtur absurdum; siquidem per hanc dicitur determinari anima ad illius productionem.

con-

Consequentia probatur. Sit enim tempus in quo ponitur talis species A. B. C. nam cum sit naturâ divisibile, poterunt tres partes in eo distingui æquales, oculum verò statuamus ex uno puncto lineæ ad aliud ita ferri, ut axis opticus per singula illius puncta successivé decurrat. Igitur cum axis nullo temporis puncto retineat eundem situm erit in B. alia dispositio speciei, quam fuerit in A. & in C., alia quam in A. & B. at tempus A. B. C. ponebatur quo species tota produci potuerit in primo illo situ existens, igitur in B. & C. adhuc producitur illa species cuius exemplar in B. esse desierat. Respondeo ad hoc ut species à sensu percipiatur, non satis esse quomodocunque in organo recipi, sed opus esse aliquâ morâ; itaque ut linea distinctè videri possit, non debet axis motu veloci & continuo ferri, sed per medias quietes interciso: quod enim præter oculos feratur objectum, oculus ipsum necessariò comitabitur eo semper situ, quo axis ad idem punctum firmetur. Hæc igitur mora sufficit ad speciei productionem. Verùm esto utcunque sit probabilis hæc sententia, quæ speciem produci & rursum evolui ponit; quia tamen Analogia ab externis speciebus desumpta, quarum productio est instantanea, huic repugnat, difficilemquè explicatu reddunt à nobis allatæ supra objectiones, quemadmodum neque ad primum data responsio difficultatem exhaurit, esto enim lineam ità ante oculos delatam distinctè non percipiamus habetur tamen ex tali visione notitia quædam minus distincta, quam etiam in memoria reservamus: Quod cum non possit fieri absque successiva & visioni analoga productione speciei argumentum suo robore consistit.

Igitur magis probabilem consemus alteram sententiam, quæ species ponit actibus tam visionis, quam imaginationis commensurari, atque speciem talis objecti, quod simul repræsentatur potentiæ cognoscitivæ, simul produci; successivè autem cum partes objecti suas species successivè sensibus ingerunt; neque opus modum explicare, qui ex ante dictis sufficienter innotuit. Possibilitas autem ex his colligi videtur, primò quod radij infiniti ad unum punctum coire queant, ut patet in centro cuiusque circuli & in speculo Vmkefi, à quo non tantum ex uno circulo verum tota superficie & quasi circulis infinitis radij concurrunt ad punctum unum. Secundò quod punctum quodlibet quaquaversum radiare, & in totam sphæram

ram se exsinuare queat. Tertio quod ex confusione loci & subjecti non oriatur confusio speciei in partibus inter se unitis ; Potest enim res in puncto constituta partium unionem retinere , utpote naturâ priorem eâ unione , quæ habetur in ordine ad locum & subjectum. Ex primis duobus habemus speciem totam esse unoquoque puncto memoriæ , & punctum speciei in totum subjectum expandi. Posterius credibilem facit modum,quo species ob asservatas partium uniones rursum evolvi & ad distinctas sensorij partes explicari valent, simul quidem quæ simul sunt productæ,successivè verò quæ taliter quoque sunt ortæ. Et juxta hanc sententiam dicimus evolutionem speciei extra memoriam fieri, & in primo aditu talis medii ; nam quia partes conservant unionem , mox intra subjectum, in quo radii sunt confusi incipiunt à se divergere ; quemadmodum si ex singulis cujuscunque figuræ punctis ad unum aliquod punctum lineæ rectæ protraherentur, protinus se intersecare & diversis itineribus ad diversa puncta ferri eademque figura exoriri videretur , servatâ tamen ea distantiâ,quâ punctum intersectionis æqualiter removeatur , utrimquè à termino radii eo modo protracti. Et ità quidem satis perspicuè tueri videmur omnes radiationes specierum sive simul, sivè successivè in memoria recipi dicantur,quemadmodum si quis catenam eo modo convolutam rursum educeret,omnes enim annuli sibi cohærentes ordine suo sequuntur. Videtur tamen aliqua difficultas restare circa species , quæ diversis temporibus receptæ simul cognoscuntur ; nam cum similis naturæ species inter se uniantur , si fortè contingat speciem leonis recipi, quem & canes & viri infestis armis urgent,erit ab omnibus uni alicui loco ità conspectis , pictura quædam continua ; ut rursum existente imaginatione,quia per speciem leonis sceptrum Herculis aut Semiramidis interdum excitatur , & inter illos canes ac venatores radiat, quæstio est quomodo tale sceptrum eo se inferre potuerit ? cum enim ab alia specie organum insideatur , necesse illius appulsu hanc veluti perforari & locum subingressæ venienti dare speciei non absque jactura illius partis, quæ locum hunc insidebat ; quemadmodum Luna Solem subingressa intercidit pars speciei solaris non jam integro orbe nobis conspicuo.

Respondeo quando servari dicimus continuitatem inter partes

ſpeciei, de ea ſpecie intelligi quæ in memoria recipitur; non verò de ſpeciebus per tale medium ad organum diffuſis. nam ſicuti in aëre diſſolvi poteſt continuitas ſpeciei acceſſu aut receſſu novi objecti aut partium ejusdẽ tranſpoſitione, aut aliqua alteratione: ità in medio interno accidere poteſt, etſi non ſpecies eo modo, quo continuitatem habet partium, arradiet; poteſt tamen interpellari ab alia ſpecie fortiori, quæ debiliorem extinguendo ſe eo infert. Multæ enim ſpecies aut nullam, aut non, niſi dilutam picturam exhibent, qualis ſpecies aeris, aquæ, Cæli & rerum tranſparentium, per quas nihil prohibet alias ſpecies tralucere. quemadmodum igitur quis ſerena nocte Cœlum intuens ſpeciem continuam quidem at diaphanam ab eo haurit, præter exigua illa puncta in quibus micantium ſtellarum apices interlucent, quod ſi cometa repentè exoriatur aut ignes decurrere & ſcintillare incipiant, nihil prohibet talium ſpecies ad oculos defluere diſtinctasque à ſtellarum locis partes organi occupare: ità quoque res habet in organo ſenſus interni; non enim partes omnes à pictura inſidentur: quo fit ut aliis quoque ſpeciebus recipiendis ſit locus, quæ directiones habent verſus illum locum, in quo nulla talis pictura aditum præoccupat. Præterea ſpecies organo receptæ non ſemper uni affixæ loco hærent, ſed ex uno in alium transferuntur; motum enim non aliter imaginamur, quàm quod ſpecies ſucceſſivè ad alia atque alia ejusdem puncta radios dirigit: unde efficitur ut tali radiorum tranſpoſitione aliæ atque aliæ partes organi detegantur. Species igitur in diverſis partibus organi, diſtinctè percipiuntur; at cum plures unâ via feruntur, ſed ad idem punctum corradiant, fortior debiliorem extinguit & occultat, quemadmodum lux major minorem; æquè autem fortes & agendi viribus pares inter ſe miſcentur eâ ratione, quà miſceri ſolent objecta. Hæc de modo quo ſpecies ad organum deferuntur; ſupereſt ut in hoc de ſpeciebus tractatu aliquid de illarum quidditate & unius ad alteram habitudine & differentia, tùm verò quæ ad diverſos ſenſus pertinent natura inter ſe colligatione, & demùm de loco & ſede memori aliquid dicamus. Quibus abſolutis de actibus imaginationis quoq; dicemus, inde verò ad ægritudines & varios effectus, qui vel ſpeciebus vel actibus inesse ſolent deveniemus. quod ſi in his tractandis minus ordini videmur ſtudere, id ea ratione fieri exiſtimandum, quod in tanta rerum diffi-

difficilium & abstrusarum obscuritate, oportebat à talibus inchoare, quæ aut inventu faciliora, aut sequentibus lucem erant allatura

Cap. XVI.

Quidditas, Essentia & Differentia Specierum indagatur.

Igitur quod attinet quidditatem & essentiam specierum, supra à nobis fuit ostensum non posse ab externis speciebus ortum habere, quemadmodum Fracastorius opinabatur, nihil obstare dicens, illa Corpora quæ post sensus occurrunt opaca omnia; nam species per aëreos quosdam spiritus, qui per arterias & nervos sint diffusi, servare continuitatem usquè ad locum animæ; in quo demùm receptæ stabiliantur. Verùm adversus hanc opinionē, præter rationes ex optica à nobis supra allatas, aliæ non minùs graves ex principiis naturalibus depromptæ pugnare videntur. Quod si enim spiritus ille ingressum dare potest speciebus ab extra illapsis, cum nihil ad imaginationem requiratur præterquam sola præsentia talis speciei, poterit quis ab ortu cæcus existens, à specie eo usque appulsa & organo excepta imaginationem habere eorum, quæ visu percipiuntur, & quod magis mirabile, cæcus videre poterit. Nihil enim differt visio ab imaginatione nisi solo ordine ad præsentiam talis objecti: Et cum talis imaginatio oriatur à præsente objecto, erit proprie dicta visio. Consequentia autem probatur, nam species objecti in oculis ita affectorum recipi inde patet, quod à pupilla reflecti, & in iride oculi eam relucere videmus; nihil autem impedit quo minus ad retinam eadem pertingat: Siquidem tota illius specus & cavitas humores continet transparentes, & præterea color retinæ à nobis inde conspicitur. Si itaque quod difficilius erat, foras in lucem ex obscuro prodit species; multo magis ingredi poterit à luce in obscurum. Et cum spiritus non minus in cæcis quamvisu præditis, servet illam continuitatem; species usque ad intimum recessum promptè se insinuabit. Quod verò spiritus continuo tractu eousque exporrigitur tactus, quo oculi præditi esse videntur, in dicium facit; necesse enim eo spiritum commeare, ubi

ſenſus functio adeſt. Propterea qui explicare volunt, an cæcitas ex prohibito ſpiritus acceſſu orta ſit, jubent, altero oculo clauſo, altero in objecta intendere & veluti eadem intueri, quod ſi pupillam diſtendi vident, negant in talibus obſtrui nervum, propterea quod ſpiritus, qui ad utrumque oculum ferebatur, altero clauſo non niſi ad alterum feratur & propterea coacervatam illius copiam pupillam diſtendat; quibus igitur pupilla ita diſtenditur, cum à cerebro ſpiritus eò influat, quid prohibet ſpeciem ingredi, & usque ad organum per ſpiritum continuari? deinde ſi ſpecies externa ſervire poteſt imaginationi, quid prohibet per nares ad cerebrum ita deferri, quemadmodum referunt dequodam Rhinopte ita dicto, quod nonniſi per nares rerum viſibilium ſpecies haurire potuerit? præterea cum dicunt ſpiritum eſſe continuum, quid intelligi volunt per illam continuitatem, an quod nulla portio exiſtat per ſe ita ſeparata, ut aliquo alio corpore undique ambiatur, ſed ſemper aliqua parte alteri cohæreat, tametſi interea nulla recto itinere, ſed vijs quaſi innumeris, & inexplicabili modo inter ſe perplexis interſecto, meare videatur? an verò continuitatem regulatam & quaſi ad libellam directum eſſe volunt? At hæc eſſe nequit, propterea quod illa corpora in quibus ſpiritus dicitur continuari, habeant non minus partes inter ſe continuas, atque ita neceſſe foret corpus unum ab alio penetrari. Prior autem continuitas quomodo ſufficere poteſt ad ſpecies recto itinere deducendas? At conſtat non niſi recto itinere ſpecies externas ferri; quod in illis cavernulis fieri minimè poteſt, cum multo momento corpus opacum deſinat occurrere. Et cum ex uno poro interdum ad plures alios, viæ in ſe ipſas convolutæ & multis orbibus implicatæ pateant, quis in tam multiplici labirintho, ab errore ipſam tueri poteſt? neque dicas ex vi hujus argumenti nequaquam videri in ſpongiam ob ſimilem viæ perplexitatem ſe in ſinuare, aut ligna in aëre vaporoſo humectari; etenim aqua ipſa ſibi viam oſculorum dilatatione facit, neque ad rectitudinem alligatur, ſed quâ datâ portâ ingredi poteſt. At in illo corpore ſpiritibus ita pervio, nequè ingreſſum ſpeciei oſcula magis hiare, neque ſpecies itinera obliquare, neque cum jam ſpecies deſijt nova à ſenſibus ſubmitti poteſt. Demùm ſi ſpecies per tot viarum anfractus delata ſingulas ingredi debet, fiet ut in tot particulas diſtracta nihil omninò repræſentare valeat.

leat. An verò species interna ab ea quæ sensu recepta idem objectum repræsentat, differat ex natura rei; nunc disquirendus Fracastorius non solùm ex eo, quod continuam facit externæ speciei, sed etiam quia absurdum videatur unius rei plures imagines existere, neque assignari possit alia causa productiva talis speciei, si non objectum esse dicatur, nihil omninò à se differre patet. quod etiam hac ratione nititur firmare, quia cum eodem momento res & sensui & imaginationi repræsentetur, idem esse debeat repræsentans. Verùm ad hanc quæstionem decidendam necesse prius exploratam habere naturam externarum specierum. quomodo enim sciam hoc ab illo differre, aut unam essentiæ rationem utrique convenire, nisi prius illud norim? At quia hic non est locus illud disquirendi, ex suppositione tanquam jam alibi definitâ vel defini endà quæstione loquemur.

Dico igitur 1. si species externæ sunt ipsa essentia objecti spirituali quodam modo, absque corporeæ molis concretione quaquaversum diffusa (quod an verum sit hic non determinamus) repugnat unam naturam utrique speciei esse communem. quis dicat omnia objecta, quæ per sensus nobis innotuerunt, ab anima posse generari? neque possibile talis objecti aliquam partem captivare, non magis hercle, quam si quis confidat Solis radios alicubi remorari, & etiam post Solis à nobis digressum non alicui loco affixos tenere.

Dico 2. si species nihil differunt â luce quæ rebus omnibns inclusa, ob variam refractionem in illis corpusculis, in quæ discerpitur unumquodque elementum in varios colores transformatur, lumenque ab extra sibi continuū colorat (quam opinionem haud improbabilem judicamus alibi à nobis accuratè perpensam) poterit una essentia utriquè speciei convenire; posito tamen lucem puram esse qualitatem. At si substantia esse dicatur, quemadmodum ex Patribus non uni video placuisse (neque improbabile nobis videtur) necessario à se differre dicimus: non enim verisimile ab anima spirituali corpoream & materiæ obnoxiam formam produci posse. & quia alibi ostendimus generare nihil aliud esse, quam seipsum materiæ communicare, animæ verò repugnet talis communicatio. quod autem in prima suppositione una esse possit natura, hæc est ratio, quia natnra lucis non ex cedit virtutem animæ; & cum in suo quod informat, subjecto exprimat certos colores, qui vel ipsa lux, vel

non ſine luce eſſe poſſunt, erit non minùs lucis, quam coloris productiva. Sed & ab anima lucem oriri, patet in noctiluca, cujus faculum animæ digreſſu deficere & extingui videmus.

Dico 3. idem exiſtimandum in illa ſententia, quæ negat tales ſpecies habere aliquod eſſe reale, propterea quod eſſentialiter ſint repræſentativæ, & imagines rerum: quod minimè convenit luci aut colori poteſt enim exiſtere & lux & color, tametſi non exiſteret viſus: at verò ſpecies viſibilis cum ſit formalis imago, ſublato per impoſſibile viſu, nequaquam eſſe poſſet. Itaque præeligenda videtur altera opinio, quia ad perfectionem ſenſus paucioribus indiget; nam ex eo ſolùm, quod objectum ſuis radiis ſenſum attingat, unica imago, quæ eſt ipſa formalis repræſentatio objecti, reſultat. at juxta hanc ſententiam non effugimus quin duas imagines eſſe dicamus, unam objecti, alteram animæ effectum.

Dico 4. cujuscunque ſint naturæ ſpecies illæ, quæ ab objecto progreſſæ externum aërem, atque pupillam ſuis colorant picturis, probabilius videri ab internis ſpeciebus differre eſſentiali ratione. quod inde probatur, quia ſpecies internæ ſunt permanentes: at externæ nullo temporis momento eſſe poſſunt absque influxu objecti. Occurrit Fracaſtorius non ſufficienter per hoc probari taliter ipſas differre, propterea, quia inquit dupliciter poſſunt ſpecies conſiſtere, uno modo continuatæ & conjunctæ cauſæ producenti, qualiter lumen Soli conjunctum perennat; alio modo cum in priori loco & propria materia ſint conſtitutæ. Senſum autem non eſſe proprium locum & materiam ſpecierum; quapropter neque ſervari in eo poſſe; at verò intellectum, quia ſit finis, & locus & materia ſpecierum, absq; objecto diutiſſimè illas conſervare. Verùm inprimis illa diſtinctio de duplici conſervatione alia per influxum eſſentiæ & continuitatem ſpeciei, alia per loci & ſubjecti proprietatem, fictitia atque nullius eſt momenti; nam quod dicit ſensum non eſſe locum & materiam ſpeciei, inde refellitur; quia ſpecies ſenſibilis eſſentialiter refertur ad ſensum, viſibilis ad viſum, audibilis ad auditum &c. unde nomen & definitionem unaquæq; ſortitur; igitur talis potentia erit & locus & materia ſpeciei ad ſe relatæ. abſurdũ enim eò aliquid referri ubi non propriè exiſtat. quod ſi dicas referri quoq; ad imaginationẽ, non propterea tollitur, quo minùs ad ſenſũ tanquam ad proximũ finẽ referri debeat,

debea talioquin fines subordinati nõ essent dicẽdi fines. Deinde cũ diciturspeciẽ conservari ab intellectu independenter ab objecto, tanquã in proprio loco & materia jam existentem, qualem intelligit modum conservationis? aut quid est illa loci & subjecti proprietas? Nam, cum locus dicitur conservare locatum, ita intelligi debet, quod sicuti natura sapienter res omnes produxit, ita ordinatê suis quamque locis prudenter disposuit, ut non tantum bene sed etiam diu esse possint: Quo fit ut debiliora à suis contrarijs locorum intervallis discluserit; pares verò quia ab æquatâ pugnâ, victoria par existit, inter se commiserit: Itaquè dicuntur res conservari à suis locis, quia desunt contraria & causæ destructivæ, vel quia suis civibus coniunctæ facilè à se in commoda propulsant. At quæ nam in sensu esse potest contrarietas unde corruptio speciei adducitur? Quod si dicas aliam dispositionem intellectui, aliam sensui inesse, quarum illa, non hæc dicatur idonea ad speciem conservandam; contra hoc est, quia non potest assignari quid sit illa dispositio, an calidum, an humidum, an perspicuitas, vel raritas, vel aliqua figura? non enim decet subtilem Philosophum quiescere in tam crassẽ & solo nomine cognita dispositione. At verò experientia constat sufficere illam dispositionem qua subjectum efficitur transparens, coloris expers & partibus inter se probè continuatis; quo enim medium magis subtile & magis perspicuum redditur, species vivacior illud pertransit. Quid autem est speciem conservari? Nam si propriè dictam conservationem intelligit, cum talis sit continuata productio, si intellectus species sua sponte vanescentes ita conservat, sequitur illas producere posse. Quemadmodum si possibile esset creaturam ab alia, independenter à Dei concursu, conservari, diceretur hæc illius causa creati, quod si alio modo conservari putant non quidem efficiendo, sed vel contraria removendo, vel dispositiones atquè causas, à quibus species dependet, conservando, oportet singula quæ & qualia sint minutim explicare, alioquin tanquam anile figmentnm à nobis reijcientur.

Ulterius probatur falsitas huius opinionis, nam cum ipse dicat sentire & intelligere esse quoddam pati, non verò aliquam actionem importare; speciem autem utrumque efficere, & sensum & imaginationem, Quæro an eiusdem rei sensus differat ab imaginatione? & videtur necessario ita res habere; si quidem duæ potentiæ essenti-

tialiter distinctæ esse dicantur, actus igitur specie distinctos habebunt. At veró cum utraque sit unius objecti repræsentatio & actualis imago, sequitur unius rei duas imagines dari, quod ipse pro absurdo ducit. Petitâ igitur identitate speciei externæ cum interna, sequitur ex mente Fracastorij actum potentiæ visivæ ab actu potentiæ imaginativæ differre, quia sic ille vult, & non differre, quia idem duas repræsentationes unius non admittit. Præterea si duo illi actus à se differant, erit uterque proprius speciei, cum utrumque per se producat, igitur ex materia in qua talem actum exercet, erit illi propria: Cum enim actum visionis non nisi in oculo, sicuti actum imaginationis in phantasia elicere possit, quomodo non erit dicendus oculus materia propria illi speciei, quæ nullibi talem effectum producit. Quod verò post hunc alius actus fiat in imaginatione, nihil potest obstare: Nam & tertius gradus non nisi post secundum producitur, uterque tamen in se & proprio subjecto. Nequè verò in sententia Fracastorij imaginatio dicenda erit fieri dependenter à visione, propterea quod hæc ad imaginationem merè per accidens se habet: Species enim cum natura sua & per se feratur ad imaginationem, in transitu dicetur visionem efficere, quemadmodum si quis Regem allocuturus, in itinere aliquem ex Ministris alloquatur; sicuti enim hoc colloquium nihil facit ad illum, qui postea cum Rege habetur, sermonem, ita visio nihil confert imaginationi, sola enim species utrumque peragit, ita ut si quà vi intrò subire possit, alio quam per oculos itinere delata, effectura sit imaginationem absque visione, quod, quam absurdum sit nemo non videt.

Dicendũ igitur speciem externam ab interna totâ natura differre: Quod etiam ex eo potest confirmari: Nam species internæ habent alias proprietates & affectiones, quæ nequeunt externis cõvenire. Etenim species divisibiles cum aliorum sensuum speciebus in imaginatione colligantur, uti postea ostendemus; at talis unio non competit speciebus externis. Quod si enim ita connecti possent, fieret ut & vocem magno aliquo intervallo, utpote cum specie divisibili, colligatam audire, & speciem divisibilem cum specie soni obliquè & ab objectis post tergum sitis delatam videre queamus. Fracastorij rationes contra nos factæ nihil efficiunt: Nam quod attinet primum argumentum, quo dicitur repugnare unius rei duas imaginationes extare:

Dici-

Dicimus, quod si vim habet hoc organum, sequi omnes intelligentias habere species intelligibiles unius naturæ & rationis, quod communi Theologorum doctrinæ adversatur; qui dicunt Angelos superioris ordinis species habere magis unitas, & ad perfectionem suorum actuum paucioribus indigere. Itaquè Deum gloriosum per suam essentiam, & se ipsum, & alia omnia à se cognoscere: At verò creaturam quæ proximè accedit ad Divinam perfectionem, quia repugnat illi talis modus intelligendi, quod proximum erat primæ simplicitati per unicam speciem cognoscere omnia alia, seipsum verò per suam essentiam: Reliquas autem mentes ordine inferiores, pluribus, & illa quidem quæ proxima est primæ, duabus, altera quâ superiorem, altera quâ res se inferiores cognoscit. Deinde certum est intelligentias objecta sensibilia cognoscere; igitur & talium species habent immateriales; non enim species materialis in subjecto spirituali esse potest; erit igitur unius rei duplex imago, nam & nos v. g. colorem per speciem materialem, & Angeli per speciem intelligibilem non minus perfectè & infinitivè cognoscunt. Tertiò Respondemus imaginem reduplicativè non nisi unam, at specificativè plures esse nihil prohibere; quemadmodum voces & scripturæ plurimum à se differant, ut potè diversorum sensuum objecta in ratione tamen signi & repræsentandi in unum coalescunt. Ad secundum argumentum dicimus animam, quæ in se ipsa producit actualem similitudinem objecti, per quam actu illud cognoscit, simul quoque in materia speciem analogam reponere, per quam habitualiter fit intelligens, & ad similes actus eliciendos postea determinetur. Quando verò ex eo quod eo momento repræsentetur res, & sensui & imaginationi, sequi unam speciem esse debere repræsentantem; ad hoc dicimus non rectè supponere ipsum, tanquam duo sint potentia visiva, & interna vis animæ, una enim individua est anima, quæ in organo visus speciem recipit, eaque recepta videre dicitur: Internè verò analogam speciem producendo, sivè eundem actum continuet, vel aliam producere diatur, imaginari, nam cum neque species externa visionem, neque interna imaginationem efficiat, nihil refert an una, an diversa utrique natura inesse dicatur. Quemadmodum ad hominis conceptum formandum nihil refert, sive voce

ſcriptâ, ſivé auditâ, ſive utroque modo determinetur, idem enim & unius naturæ erit ille conceptus.

Nunc ſpecies inter ſe comparare incipiamus, & primo quidem loco ſpecies ad unum ſenſum pertinentes v. g. viſibiles inter ſe: Inde verò diverſorum ſenſuum ſpecies inter ſe quoque conferemus. Et primò quidem occurrit quæſtio, an una ſit natura & quaſi atoma ſpecies omnium, quæ ad viſum pertinent, ſpecierum, quemadmodum omnes colores & ſinguli in unoquoque gradus unius naturæ eſſe dicuntur; quod idem de luce aliqui probabiliter docent negantes differre ſpecie lucem Solis à luce nitedulæ aut ligni putreſcentis. Et videtur quidem per abſurdum tot ſpecies natura à ſe differentes adſtruere, quot eſſe poſſunt repræſentationum modi; nam cum res modis infinitis, factâ aliquâ mutatione ſive in coloribus, ſive ſitu, aut figura ſenſui offerantur, erit infinitus numerus ſpecierum producibilium; deinde quæro an quicunque modus faciat ſpeciem unam ab altera differre eſſentialiter, an aliqui tantùm. At prius haud dici poteſt, ſpecies enim ante & poſt refractionem non ita differt; idem enim nequit à ſe ipſo eſſentialiter differre; & tamen non idem ſervatur modus: Nam & color, & ſitus, & figura mutatur, ut cum v. g. Solis imago à refractione in atmoſphæra ovalis, lucida omnia cuiuscunque figuræ rotunda apparent, & vitrum trigonum lumen non quale accepit, ſed variegatum & ſpecie iridis multi coloris à ſe remittit; quod idem de ſpeciebus internis dicendum. Cum igitur eadem imago diverſimodé ſenſui ſeſe offerat, non poterit à quocunque modo eſſentiæ diſcrimen induci. Neque poſterius dici videtur, nam qui erunt illi modi ſpeciem mutantes? Quod ſi enim neque mutatis coloribus, neque figuræ aut ſitui hoc attribui poteſt, nulli alij videtur attribuendum. Econtra non minus abſurdum videtur, ſicuti enim unius rei plures imagines, ita plurium & à ſe differentium rerum unam imaginem eſſe communem. Quid enim prohibet ſi ita res habeat; quin omnium rerum una ſit imago? erit igitur & albi, & nigri, & mediorum colorum, quin & hominis & bovis una imago, quo quid abſurdius dici poteſt? Hoc autem ſequi, facilè probatur, etenim coloris nigri & cærulei una eſt imago, propterea quod cæruleus à nigro differat ſecundum magis & minus, eſt enim cæruleum quod minus habet de nigredine; hinc ſylvæ cæruleſcunt minùs

dif-

ſitæ, eædem magis remotæ apparent nigræ, cæruleus autem à viridi, luteo, & puniceo nihil differt, propterea quod idem lumen refracti-one in tales colores degenerare ſolet, itaque una ſpecies omnes jam dictas colorum differentias repræſentare poteſt. Quod verò attinet figuram poſſe hominem & bovem una ſpecie repræſentari ità probamus. Eſto enim ſpecies hominis, quam homo facit, in medio: Erit talis ſpecies hominis ex ſuppoſitione .· At quia ob variam diſpoſitionem medij, in ſitu & figura, quin & in colore ita diſtorqueri poteſt, ut non hominis ſed bovis vel alterius beſtiæ imago videatur: Poſſe enim talia ſpecula arte fieri, in quibus capita canina, vel aſinina, & monſtrificæ figuræ appareant, docet Joannes Porta in lib. de Catoptricis, erit eadem imago illius beſtiæ, quam animæ repræſentat. Nihilominus veriorem judicamus primam opinionem: Sicuti enim natura nihil facit diminutè, ita ſuperfluum & ex ceſſus omnes vitare ſolet: Et cum ſpecies à natura ſint tributæ ad repræſentandam omnem, quæ rebus ineſt, varietatem; illa enim opinio vera & naturæ conſentanea videri debet, quæ omnes apparationis modos per ſpecies tueri & quam pauciſſimis rebus ad hoc uti ſciat. Quod quidem juxta primam ſententiam aſſequemur. Itaquè

Dicimus Primò non poſſe plures ſpecies eſſe, quam ſenſibilia propriè dicta: Nam ſenſibile commune ſicuti per accidens percipitur à ſenſu, ita nullam de ſe ſpeciem illi imprimit. Et cum ſenſibile proprium non ſit aliquid præter lumen & colorem, ſi tamen hic differt à lumine, omnis differentia ſpecierum ex horum natura & differentia erit petenda. Cum enim ſp[illegible]es naturalis ſit imago rei, ſicuti unius rei una eſſentia, ita non niſ[illegible]a imago eſſe poteſt: & cum viſibilia objecta non in finita, ſed certo numero ſint definita, erit quoque ſpecierum numerus definitus. Quod ſi itaque color à luce differri dicatur, differret neceſſariò ſpecies coloris à ſpecie lucis. Etſi lux à luce differt, eadem differentia erit in ſpeciebus. Idem in coloribus dicendum, quot enim differentiæ colorum, totidem ſpecies naturâ differentes. Sicuti verò in natura reali plures gradus eſſe poſſunt, ita in ſpeciebus ſe res habet. Quod niſi dicamus eveniet profectò ut in finita turba ſpecierum actu exiſtat; ponamus enim aliquod corpus ex uno colore in alium mutari ſucceſſivè v. g, ex albo in rubrum, ut ſi ceruſſa ſandyx fieri debeat, priuſquam ille

color cocci ſplendens adveniat, neceſſe per inter medios colorum gradus tranſire : Si itaque quicunque gradus producit ſpeciem, ab alia diverſæ rationis intenſivæ, & gradus naturâ differentem, cum infinitæ ſint graduum intenſiones, erunt quoque ſpecies numero infinitæ; alia enim ſpecies producitur in prima medietate gradus, alia in alia medietate dimidij gradus & cum tales medietates ſint infinitæ, non enim datur prima medietas, ſpecies verò ordine ſuccedant, aliæ ab alijs medietatibus productæ reſultabit ex illarum collectione numerus infinitus. Quod ſi dicas adhoc, ut nova ſpecies producatur, requiri certam intenſionem, neque ſufficere qualemcunque mutationem, atquè ita non fore ſpecies infinitas, cum ſint certo numerô definitæ eviusmodi partes : Contra hoc eſt, quia aſſignari nequit quanta eſſe debeat intenſio ad ſingulas ſpecies mutandas: ponamus enim in uno gradu quatuor v.g. ſpecies reponi A. B. C.D.E. F.G.H, ita ut prima ſpecies producatur in parte gradus A B, ſecunda in parte C D, tertia in DEF. ſi ergo producta parte AB, ulterius mutetur ſubjectum priusquam deveniat in C D erit neceſſario in B C, oportet enim C. dimidium ipſius C D priusquam totum C D tranſire : quænam ſpecies tunc dicitur produci ? Non enim illa quam A B producebat, propterea quod A pars cauſæ heterogeneæ defierit ; neque ſpecies quæ debetur parti C D. quia pars cauſæ ipſum D needum adeſt, ergo vel nova erit ſpecies, contra ſuppoſitionem, vel nulla atque ita per intervalla non exiſtente ſpecie, non erit res corporea & colorata viſibilis. Quod autem dicimus partem A præteriiſſe, inde probatur, quia in ſucceſſiva productione coloris manent priores gradus cum poſterius productis, erit color v.g. coccineus compoſitus ex omnibus intermedijs coloribus albo, palido, luteo, flauo, croceo, roſeo, ſpadiceo &c. quod falſum eſſe inde patet; quia ſi aliquem ex intermedijs illi miſceamus v. g. pallidum aut citrinum, mutabitur illa coloris intenſio ; igitur a colore ſummè intenſo neceſſe medios exulare. Non enim eadem eſt ratio coloris medij & aquæ, quæ ferṿorem contemperare poteſt, non beneficio remiſſi coloris, ſed conjunctæ frigiditatis : Color autem remiſſus non habet talem contrarietatem, ſed ita ſe habet ad alios colorum gradus, ſicuti primus gradus coloris, ad alios magis intenſos colores. Hæc de differentia ſpeciei quæ à diverſis gradibus ſolet proficiſci ; alia eſt dif-

differentia in figura & ſitu eiusdem rei varié commutatis, quæ nec ipſa videtur inducere novam ſpeciem. Cum enim figura per propriam ſpeciem non agat in ſenſum, ſiquidem neque differt tanquam res à rebus, quibus ineſt talis figura, non poterit ſpeciem eſſentialiter mutare : Sola enim coloris tranſpoſitione alia atquè alia figura exoritur : Unde par ratio eſſe videtur ut ex ſolo ſitu variè permutato, omnis varietas derivetur, prout enim partes coloris ſimul junctæ agunt, ita ſpeciei partes ſimiliter conjunctas producunt : & ſicuti duo colores duobus triangulis rectangulis, & inter ſe æqualibus comprehenſi non differunt, cũ vel uno ex lateribus illis, quæ rectum angulum continent, inter ſe conjuncti efficiunt figuram trianguli Iſoſcelis ; vel cum hypothenuſa utrumque ità connectit ut uno quidem modo figura quadrilatera & rectangula, alio rhomboides exoriatur : ità ſpecies ab illis ſitu taliter mutatis producta, non magis erit dicenda à ſeipſa in diverſis ſitibus differre. Servant itaque ſpecies analogiam cum rebus, quarum exiſtunt ſpecies, ut ſicuti illæ intra ambitum unius atomæ ſpeciei habent diverſas partes tum à quantitate, tum à graduali intentione cauſatas, ità ſpecies diviſibiliter objectum repræſentant : tota enim ſpecies, ut totum objectum & pars partem repræſentat. Quod manifeſtè apparet in ſpecie Solis per tubum excepta, quæ motu Solis, tubo vero immoto ſenſim ità minuitur, ut demum vix unum minutum conſpici poſſit : quia nimirum propter obliquam tubi poſitionem, reliquæ partes ſpeciei ab ingreſſu arcentur : quod minimè fieri poſſet, ſi non diviſibiles eſſent ſpecies tàm in eſſendo quàm in repræſentando. Et ex his utrunque innoteſcit natura ſpeciei Memoriæ dicatæ, & modus productionis : eſt enim qualitas diminutæ perfectionis à re, quam eſſentialiter repræſentat, cum qua idem eſſe habet, analogicè tantùm. Et ſicuti pictor cum imaginem pingit v. g. hominis, colores inter ſe conjungit eâ proportione quem in corpore humano ſervant, plurimum quidem albi, minus verò aliorum colorum, donec certa cujusque extenſione & ſitu reſultet figura corporis humani : ita virtus animæ de illa qualitate, unumquemque colorem imitatur, aſſumit & ſuo quamque ordine & ſitu diſponit cum hac tamen differentia, quod non ab alio ſuos illa colores deſumit, ſed ex ſeipſa producit. deinde quod illam diſtinctionem partium picturæ non extendit in ordine ad ſubjectum,

ſed in ſuo puncto ſubjecti omnes inter ſe tamen diſtinctas & ordine connexas confundit, eo modo quo in centro circuli omnium perimetri punctorum radii ſint confuſi. Tertiò quod externa pictura iners & abſque motu ſit, pictura verò animæ etiam in puncto conſtituta habet principium ſui motus, omneſquè illius partes virtute continent certas & ſibi proprias directiones. Unde fit quo ab illa confuſione ſe rurſum extricare, & diverſis itineribus ad diſtincta & ſibi propria loca pervenire queant. Majoris enim circuli radii mox angulum majorē compræhendunt, quo fit ut in eadem diſtantia, à ſe magis diſtent, radiis minorum circulorum. Quod ſi nec dum ſatis declarata videatur natura talium ſpecierum, quia nequè quid qualitas, nequè in quo conſiſtat minor & analogica perfectio aſſequi poſſis, reſpondeo ex me queri rei notitiam intuitivam, quæ nobis in hac mortali vita eſt negata, quo in futura habendam ardentius coucupiſcamus.

Ad objectiones Reſp. ad primam concedo unius rei non niſi unam imaginem eſſe formaliter: quod autem infert ſequi ut omnium colorum una ſit imago, item hominis & bovis quod valdè abſurdum videatur, cum hæ res à ſe multum differant. Ad quod dicimus tametſi natura hominis & bovis multùm à ſe differant; illa tamen accidentia quæ ſenſus movent, eſſe unius rationis; non enim color hominis & bovis albi differt, quemadmodum nequè albedo lactis à calcis natura. itaquè ſicuti una eſt in utroque coloris natura, ità ſpecies quo utrumquè repræſentat in eſſentia eſt una. Secundò dicimus ſpeciem quæ unius naturæ colorem repræſentat eſſentialiter eſſe indiviſam: verùm ſicuti coloris datur latitudo in gradibus; ità ſimiliter ſpeciem habere latitudinem gradualem; & ſicuti tota ſpecies totam coloris naturam; ità gradus gradum repræſentat; nam quæ differentia comitatur gradus coloris, eadem quoque ſpeciem comitatur. Tertiò Speciem ab objecto proficiſci non ſimpliciter, ſed ordinatè & eo ſitu quem habent partes objecti: & ſicuti ille ſitus non mutat ſpeciem coloris, quomodocunque tranſpoſiti, ità imago in eſſentia erit una partibus quomodocunque tranſpoſitis. Ex quibus facilè objectiones diluemus, nam cum ſpecies ſilvæ incidit cærulea aut nigra, dupliciter ad hoc poſſumus reſpondere 1. ſi ſupponamus illā ſpeciē à viridi ſilvæ colore ortum habere tractu ſpatii in cæruleum vel atrum colorem

muta-

mutatam; & dum dicemus speciem esse unam cum ea quæ in vicinia virorem repræsentat : verùm deesse perfectionem gradualem; quo fit ut non omnes coloris, qui insunt objecto, gradus ab ea repræsentari queant : Nam sicuti color producitur uniformiter, ita ut quartus aut tertius coloris gradus non possit attingi in aliqua distantia, ita species sensim deficit à summa, quam in vicinia habet, objecti perfectione, ut tandem non nisi infimum coloris gradum possit repræsentare. 2dò dicimus illam speciem nigroris aut cærulei coloris non esse ipsius silvæ, sed lucis ab ea repercussæ, quæ tractu aëris cærulescit, vel etiam nigrescit ab aëre vaporoso opacata. Quod si eveniat species hominis sivè à speculo, sivè alio refractionis modo ita distorqueri ut jam non hominem sed bovem aut aliud monstrum repræsentare videatur, dicimus talem imaginem formaliter sumptam, non esse hominis sed bovis : Ratio, quia esto illa imago quoad essentiam repræsentet ea omnia quæ in homine sunt, non verò in bove; quia tamen imago secundùm nostrum intelligendi modum, includit præter essentiam ipsum modum, & ab eo suam accipit denominationem cuius modum imitatur; Sicuti res eadem varijs modis figurari potest, ita varias imagines dicetur habere. Sic species lucis in iride vel à trigono reflexa, est quidem species lucis in substantia, non enim differunt à luce illi colores; at formaliter non est imago lucis; sed coloris : Lux enim modificata non jam dicitur lux, sed color, & species illa coloris, non verò lucis imago. Quod idem de gradibus dicendum : Erit enim illius gradus, quem repræsentat, talis imago. Quod si tamen imago ita esset vitiata, ut nulli alteri magis quam suo proprio objecto conveniat, dicetur quidem sui objecti imago, verùm depravata; quemadmodum cum Sol apparet quasi lacer & per ambitum serratus.

CAP. XVII.
Super Species Sensuum diversorum fit reflexio

Quod attinet species sensuum diversorum, tametsi ex proposito de Solis speciebus visibilibus agere nostrum sit institutum; aliquid

quid tamen quoque de illis erit dicendum. Verùm obiter. Nam cum ſpecies minus ſint notæ, quam res, quarum dicuntur ſpecies; oporteret multa prius de ſenſibilium natura alieno loco diſputare, propterea quod ſpecies per ſua objecta cognoſci debent, quæ tamen huc usquè multis obſcuritatibus manent in voluta. Nam quod dicunt ſonum eſſe qualitatem ex corporum colliſione natam, auditu perceptibilem, quid quæſo me magis juvare poteſt ad ſoni ſpeciem explorandam, quam ſi quis cæco dicat colorem eſſe actum perſpicui viſu perceptibilem, ad viſibiles ſpecies ab ipſo noſcendas? & idem intellige de aliorum ſenſuum objectis. Hæc enim omnia majores habent obſcuritates, quam colores: Licet enim ipſo ſenſu depræhendere modum, quo ipſi ex vario luminis ingreſſu in corpora ſemiopaca oriantur, atque itinera per diverſa media ſenſu quoque innoteſcunt; unde multum lucis accedit ad notitiam de ſpeciebus adipiſcendam. Horum omnium accuratam inquiſitionem in aliud tempus rejicimus; nunc breviter & in primis de ſono aliquid dicamus.

Incidit verò dubitatio, an ſicuti colores figurâ à ſe differre dicebamus, ita in ſono detur aliquid proportionatum figuræ? & videtur neceſſariò ita dicendum, quid enim aliud ſyllabæ eſſe videntur, quibus voces variè dearticulamus, quam ſoni figuræ ¿ ut ſi v. g. uno tenore proferam hanc vocem, Dominus, omnes tres ſyllabæ in ratione ſoni à ſe nihil differunt ſed tantum ſyllaba Do aliter quam ſyllaba mi, & hæc aliter quam ſyllaba nus figuratur; quo fit, ut facilè unam ab alia diſcernamus. An verò talis figura requirat aliquam extenſionem in ordine ad ſubjectum, in quo ſuas quaſi partes explicet, an ex ſe non eſt partibilis & hetorogeneæ naturæ, & quid tandem ſit? non huc pertinet. Ad quod ſpecies ſoni ſonum imitetur, & ſi quam extenſionem habet à ſubjecto, ſpeciem recipi oportere modo ſpeciebus viſus analogo, id eſt confusè, neceſſarium eſſe dicimus.. Quemadmodum tot ſpecies ſoni naturâ à ſe differentes, quot eſſe dicuntur ſpecies ſoni. Sapores verò & odores non videntur habere aliquid peculiare aut analogum figuræ. quo fit ut illarum ſpecierum receptio, non ita difficilis eſſe videatur. De tactu major eſt difficultas. Certum eſt tamen à tangibili objecto ſpecies relictas in memoria ſervari. Nam dormientes variè affici & dolores imaginarios pati experientia docet, quod nequit fieri absquè ſpeciebus.

An verò omnes ſpecies in aliquo communi ſubjecto recipiantur, ità ut una ſit omnium ſpecierum aggregatione conſtans memoria, an tot eſſe debeant quot ſenſus, & alio quidem loco ſpecies ad viſum, alio ad auditum, alio ad alios ſenſus ſpectantes recondi, nunc erit dicendum.

Et videntur quidem ſubjecta ſpecierum diverſi ordinis & ſenſus à eſſe differre, non enim apparet, quomodo una temperatura ſubjecti omnibus ſpeciebus recipiendis eſſe poſſit idonea. Etenim ſpecies diviſibiles non niſi in perſpicuo, cujuſcunque illud ſit naturæ; at ſpeciem ſoni non poſſe per aquam tametſi perſpicuam ferri :. Species guſtus non niſi in humido, odoratus in ſicco, tactus verò ſpecies in craſſo & terreo ſubjecto recipiuntur. præterea ſpecies ſoni recipi poteſt in medio adiaphano, nam per aërem fumis aut nebula obſcuratum voces audire, & hoſtium adventum, qui excubias agunt, auribus terræ admotis explorare ſolent, ſpecie ſoni per corpus terræ eousquè continuatâ; & auribus obturatis à pelvi filo ſuſpensâ, ſpecies ſoni per ipſum filum ſeſe infert in aurium internam cavitatem. Deinde verò ſi omnes ſpecies in uno ſubjecto eſſe poſſunt, fruſtra videbitur natura tot ſenſuum organa diſtinxiſſe. Oppoſitum tamen pro magis vero habendum non niſi unum receptaculum ſenſibilium formarum eſſe poſſe. ratio, qnia experientia conſtat memoriam lædi circa omnes ſpecies æqualiter: obliviosi enim non magis viſibilium, quàm alterius ſenſus obiectorum meminerunt, quod nequaquam fieret ſi propriis ſedibus eſſent diſtinctæ. poteſt enim corrumpi ſubjectum unius ſenſus ſpecierum, aliis incorruptis. Secundò ſpecies diverſorum ſenſuum inter ſe colligantur, igitur in uno ſubjecto eſſe debent; Conſequentia eſt evidens, antecedens paulò poſt oſtendemus. Tertiò quia nulla eſt ratio cur diſtingui debeant inter ſe illa ſubjecta, ut patet ex ſolutione oppoſitarum rationum. nam quod dicitur non poſſe unius ſubjecti temperaturam omnibus ſpeciebus convenire, negamus. Non enim rectè inferunt ex eo quod aliqua diſpoſitio uni non aliis ſpeciebus conveniat vel repugnet, propterea non poſſe dari mediam diſpoſitionem omnibus communem. Nam ut diſpoſitio ſit communis, non eſt neceſſe concurrere omnes diſpoſitiones quæ ſingulis conveniunt quomodocunque; ſed ſufficit abeſſe illam contrarietatem, quæ impedit alicujus ſpeciei receptionem. Itaq; quod ſpecies diviſibiles requirant ſubjectum transparens, nihil ob-

ſtat, erit enim transparentia illa communis, ſi nullis ex ſpeciebus repugnet. Nam quod dicunt ſpeciem ſoni non poſſe per aquam ferri, tametſi demus rem ità habere; non ſequitur tamen ſpeciei repugnare eâ ratione, quâ transparet, alioquin neque per aërem transparentem deferri poſſet. Deinde negamus ſpeciebus ſoni aquam eſſe imperviam; nam ſcribit Plinius piſces ſuis nominibus evocatos ad eſcam ſolitos convenire, & de Delphino nomine Simonis toties, quoties volebat, à Puero evocato, nota eſt hiſtoria. Quando verò ſubjectum guſtus humidum, odoratus ſiccum dicitur, ad hoc reſpondemus ſpecies ſenſus utriusquè nequaquam humido vel ſicco indigere; etenim ſpecies guſtus per nervos feruntur ad cerebrum, herclè, non magis humidos, quàm ſint proceſſus mammillares. At verò humiditas in ſenſu guſtus requiritur propterea, ut ſolutio fiat illius tincturæ quæ ſolida nequit diffundi & irrigare ſenſorium: eſt enim humidum omnis tincturæ vehiculum. Itaquè ſi quis gummi guajacinum ore detineat, tametſi acre ſit, inſipidum tamen ore etiam humido, percipitur, priusquam illius viſcoſitas maſticatione cum humido permiſceatur. An verò ſpeciebus ſoni per corpus denſum iter eſſe poſſit, & ſi ità, an ipſe ſonus, an verò ſola ſpecies tali modo feratur, non pertinet ad hunc locum. nihil tamen officit noſtræ opinioni, ſivè ità ſivè aliter res habeat. Nihilominus dicimus ſonum illum qui auribus obturatis ab ære aut ferro pulſato recipitur tanquã vaſtæ campanæ, per funiculum deferri non per aërem, qui funiculum ambit. ratio quia abſente funiculo ſimiliter auribus obturatis non fit ille ſonus, & quia ad magnam diſtantiam funiculo etiam per anfractus ducto atque convoluto, ſi modo funiculus intendatur, non minùs diſtinctè percipitur; laxato verò aliquâ parte funiculo, nequaquàm. Sed de hoc alibi ex profeſſo; dignam enim & jucundam habet ſpeculationem. Ad ſecundam rationem dicimus juxta noſtram ſententiam differre internas ſpecies ab externis, ac proinde nihil facere contra nos, tametſi illa ſubjecti ſimultas minimè conveniret externis ſpeciebus. deinde etiam ſuppoſito nihil à ſe differre, atque etiam commune à natura omnibus recipiendis condi potuiſſe, non tamen ſequitur fruſtrà hunc numerum induxiſſe: propterea quod ad ſenſus functionem obeundam non ſufficit qualiſcunque ſpe-

cie

ciei receptio, ſed unicuique propria. Itaquè neque in proprio organo, quomodocunquè illi præſens, efficit talem actum, niſi debito inſit modo. Quod ſi enim duo puncta alterum propius, alterum remotius eo ſitu oculum reſpiciant, ut per utrumque ſimul axis opticus ſit extenſus, dum punctum remotius intuemur, vicinum minimè videmus, & è contra; & tamen utriusque puncti ſpecies ineſt oculo; verum quia ob diverſam pupillæ configurationem, modo hæc, modo illa ſpecies confunditur, illius perceptio impeditur. Et idem de aliis ſenſibus videtur dicendum, tametſi qualis in unoquoquè diſpoſitio requiratur, ignoremus; & quid mirum, cum nec dum conſtet quodnam ſit organum cuiusque ſenſus proximum, excepto ſolius viſus organo. Tertiò reſpondemus naturam quod optimum eſt ſemper eligere, at optimum erat non unum, ſed plura organa diverſorum ſenſuum ſpeciebus apparere. Etenim tactum toto corpore diffundi erat neceſſarium: propterea quod ad tutelam corporis à natura ſit conceſſus; quod ſi enim non ubiquè, ſed certa aliqua parte reſideret, poſſent aliquæ partes corrum pi, in quibus non adeſſet tactus, qui de noxâ illis partibus illatâ nos commonere poſſet.

At verò alios ſenſus minimè expediebat ita diffundi: Quod ſi enim guſtus toti corpori in eſſet, nihil quod amarum, aut acre, aut vi venenata præditum impune & ſine moleſtia, aut manu aut pedibus attingere liceret. At neque de viſu ambigi poteſt: quàm enim moleſtus eſſet, ſi ab omni corporis parte viſibile perciperemus? Nam nequè dormire, neque rei moleſtæ aut illicitæ viſiônem prohibere poſſemus. Item de auditu & odoratu dicendum. Sit ergo, quinque ſenſuum organa rectè naturam corpori conceſſiſſe, in quibus ſpecies à ſuis quæque objectis emiſſæ reciperentur. Interim verò organum non niſi unum fieri debuiſſe, tum ad recipiendas, tum ad conſervandas illorum ſpecies. Et quid mirum ſpecies in unum ſubjectum convenire, cum & principia illarum productiva in uno ſubjecto contineantur? Idem enim mel v. g. dulcedinem in ſe habet guſtu perceptibilem, & flavedinem viſus objectum, & odorem, & qualitates tactiles, quin & ſonum efficit dum igne ſuppoſito efferveſcit.

Quomodo verò habeant eiusmodi ſpecies ad ſe comparatæ v. g. ſpecies colorum cum ſpeciebus ſoni, aut guſtus vel olfactus imagines ſivè ad ſe, ſivè ad alias relatæ, an neceſſe ab uno ſubjecto greſ-

ſas inter ſe rurſum colligari, ut ſi vinum bibam, in quo & viſus delectabilem colorem, & guſtus ſuam ſuavitatem, & nares odoris fragrantiam, & tactus gratam frigiditatem, & aures à recenter in pateram effuſo ſonum percipiunt, an omnium ſpecies diverſis ſenſibus hauſtæ rurſum cöeant, ſive per ſe ita ferantur, ſive communi ſpecie, quam vinum facere dicatur, delatæ, illius ope uniantur? an verò ſicuti illæ qualitates nullam in vino connexionem habent, ita quoque ſpecies diſparatæ & à ſe divulſæ manent. Et videtur neceſſariò aliqua unio in ſpeciebus admittenda, certum enim voces omnes, utpotè de natura ſoni, ad auditum pertinere, & tamen voces ſigna rerum, non tantùm ad auditum, ſed etiam alios ſenſus pertinentium eſſe dicuntur. at impoſſibile ſpeciem ſoni colorem, aut ordinem repræſentare proximè & per ſe. Quomodo igitur auditâ hac voce color viridis, non tantum ſonus ille mihi innoteſcit, cum omni qua poteſt proferri differentia. Sed etiam revera color viridis animo repræſentatur? non certè aliâ hoc fit ratione, quam quod ſpecies ſoni cum ſpecie talis coloris conſuetudinem inierit, vinculo aliquo utramquè connectente, ita ut unâ excitatâ protinus alteram ſibi colligatam trahat. Præterea experimur nos convenienter rebus ſomniare: Si quis enim epulis ſibi inter eſſe videatur, non protinus ubi multa fercula ante se poſita aspexit, illam ſuavitatem, quæ à guſtu habetur, ab illis ita viſis recipit, nequè ubi manu ſingula attrectavit; ſed ubi demum ore excepta veluti maſticavit .˙ Quia nimirum ſpecies eo ordine inter ſe colligantur, quo in memoria recipiuntur, non enim ſpeciem dulcedinis à melle viso, neque manu attacto, ſed ore demum excepto & maſticato in memoria reponimus; ita quoque loquentes coram intueri eo habitu oris, ut cuilibet voci debita & illi propria figura reſpondeat. Aliter A. aliter O exprimentes .˙ Quod idem de alijs actionibus & corporis motibus intelligendum. Et inde ratio habetur à priori cur non facilè obliviſcamur idiomatis, quod perfectè dicimus e. g. hæc vox canis (eadem enim ratio totius quæ partis) quoties cunque auditur, toties animal illud homini fidum & familiare ante oculos verſatur .˙ quia nimirum ſpecies illius ſoni Canis, nulli alteri speciei colligatur, præterquam ſpeciei illius animalis .˙ Quo fit ut audita protinus illam, cui ſoli eſt unica, excitet imaginationem. Econtra fit ut Japones & Sinæ ſe ipſos loquentes mi-

ni-

nimè intelligant, & tamen una omnibus scriptura sit communis, ratio quia inter speciem illius scripturæ & inter speciem rei significatæ, diversas soni species, quasi medias connectunt; quo fit ut utrumque extremum deveniat per medium tamen diversum. Quemadmodum si hæc figura X imposita esset tum à græcis tum à latinis ad hominem significandum, Græcus quidem huius figuræ speciem, cum specie hominis colligaret per speciem huius soni ἀνδρωπος; at verò Latinus per speciem soni homo, itaque si Græcus scribat illam figuram X Latinus intelliget per illam hominem designari; at si voce illa exprimat ἀνδρωπος, non jam intelliget Latinus quid per hanc vocem velit. Propterea quod talis soni speciem nunquam speciei hominis aut illius figuræ iniverit. Veruntamen difficile videtur explicatu in quo consistat talium specierum unio. Nam diversæ qualitates non videntur aliam habere unionem, quam communis subjecti, unde quoque mutuam habent prædicationem. at hæc non sufficit; ita enim omnes species inter se dicerentur unitæ, cum omnes sint in uno subjecto. An igitur quemadmodum accidentia faciunt speciem ad sensum, ita quoque substantia speciem à se facit, quæ penu memoriæ excepta, cognatas species à se dispersas & diverso itinere memoriam ingressas, rursum excipiat & inter se uniat? nam quod etiam à substantia species procedat, docet Rogerius Bacco in libris suæ perspectivæ, at sivè ita res habeat, sive impossibilis sit talis species (non enim præsens locus permittit hanc inquisitionem) dicimus, cum talis species neque sensu neque intellectu sit perceptibilis (daretur enim intuitiva rerum notitia per talem speciem) nihil facere ad hanc unionem, de qua agimus in ordine ad modum cognoscendi. Sicuti enim reales qualitates, illarum principia, in uno subjecto colligantur, & tamen datur abstractiva unius ab alia cognitio, nam albedinem absque dulcedine & hanc absque illa cognoscimus: poterit similiter species una sine alia è sinu memoriæ radiare. Deinde quid fiet illi speciei quæ proficiscitur à qualitate præternaturali, ut cum feruentem aquam à nobis sensu cognitam rursum imaginamur, non enim species coloris recipi videtur à specie aquæ substantiali, quin etiam inter species illarum qualitatum quæ nequeunt stare inuno subjecto, datur talis connexio, etenim voces illæ quibus pisces de-

sign-

ſignamus, non poſſunt illis convenire cum neque ſpirent, neque ſonum edant, & tamen auditis illis vocibus v.g. Delphinus, perca, lucius &c. mox præſtò ſunt imagines illorum piſcium; quod nequit fieri absque tali nexu ſpecierum. demum quia experientiâ conſtat, non omnes ſpecies illius ſubjecti, quod non ſemel, ſed diverſis temporibus alio atque alio ſenſu exploravimus, nos ſimul cognoſcere, ſed eo ordine quo objecta percepimus ſenſu, ut ſi Socratem audiam non viſum à me, & alio tempore nihil loquentem intuear, imaginatio erit aliquando Socratis viſi & ſilentis, aliquando ſolius vocis à me auditæ.

Dicendum igitur diverſorum ſenſuum ſpecies eo modo & ordine inter ſe uniri, quo ſpecies viſibiles; nec refert quod ſit difficilis cognitu hujusmodi unio. hoc enim ex eo provenit, quod viſui magis omnia alia ſenſibilia huic comparamus, at non eſt poſſibile omnimodam ſimilitudinem in omnibus ſervare, cum totâ naturâ à ſe differant illa objecta. quod ſi tamen quis animum attendat ad plures alias uniones, quas eſſe quidem conſtat, quomodo tamen ſint neſcimus, nõ ità difficilis videbitur hæc, de qua agimus, ſpecierum ſenſibilium cohæſio. Hæc ſufficiant nunc; ubi enim major lux reconditam ſenſibilium naturam detexerit, plura & magis accurata ſequentur.

Cap. XIIX.

Subjectum ſeu Locus Speciebus aſſignatur.

JAm ergò quod reſtat ultimo propoſitam loco quæſtionem excutiamus, de Subjecto videlicet dictarum Specierum. Et cum alicubi in capite recipi conſtet, eo enim læſo ſpecies pati, interdum deficere experiamur; unde illa quoque medicamenta capiti adhibemus, quibus memoria vivari & in melius proficere creditur: neceſſe erit omnes illas partes, quæ in capite continentur, diligenter explicare: ut quæ nam ex illis idonea eſſe poſſit ſpeciebus ſervandis depræhendamus: ſunt autem partes in capite contentæ ipſum cerebrum, & varij ex illo orti proceſſus, meninges ſeu membranæ, nervi, venæ, arteriæ, item cavitates & quaſi circuli quidam per cerebrum

brum sinuati, cum illis corporibus quæ his ad robur & custodiam adjecta sunt, spiritus in illis lacunis contentus ; & per totam cerebri distantiam diffusus. In his vel omnibus, vel aliquibus, vel uno tantùm species conservari, nemo enim opinor de ossibus aut musculis, & quæ his naturæ tanquam munimenta circumposuit, controvertet. Incipiamus verò à cerebri substantia, supposito priùs subjectum illarum specierum esse animatum, non enim conveniens esse videtur, illas opes, quibus scientiã & felicitatẽ, quæ in hac vita haberi potest, obtinemus, alicui alteri naturæ concredere. Cùm enim extranea sit animæ talis natura, poterit ab illa separari incomparabili jactura talis thesauri. deinde illa natura cui species dicuntur inesse, erit talis per suam formam substantialem diversæ ab Anima rationis, igitur tales species erunt præternaturales, cum neq; ab eâ ortum habeat, neq; illis aliquando uti possit. 3tiò nihil repugnat Animæ in proprio, quod informat, subjecto illas producere, igitur cum ità sit perfectius & convenientius, dicendum ita habere. Demùm quia probabile est formam substantificam nullam actionem extra suum subjectum exercere. His suppositis videbitur cerebri substantia esse subjectum talium formarum, cum enim sit principium & fons nervorum, in quibus particulares species de objectis recipiuntur, rectè videtur constitui sensus communis, in communi quoquè concursu & veluti radice. Et profectò nisi cerebrum dicatur illarum receptaculum, frustrà videbitur hanc molem natura fecisse & in eminenti ac suprema corporis parte, tanquam arcem collocavisse, quis enim alius finis cerebri esse potest, quã functiones animales per ipsum administrari ? nam Aristotelem nõ rectè sentire existimantem ad cordis refrigerium esse factũ, ostendit Galenus de usu part. lib. 8. c. 3. præterea species non recipiuntur in membrana cerebri, neque in venis, nervis & arteriis, neque in ventriculis cerebri, neque in spiritibus, & cum nihil videatur superesse, liquet à sufficienti enumeratione solius cerebri hoc esse munus. Quod autem in jam enumeratis partibus nequeant species servari probatur in primis, quia cũ functio animalis sit princeps, atq; omnia alia ad eã referantur tanquã ad suũ finem: necesse illam quoq; corporis partẽ, cui talis functio inest sui gratiâ esse, neq; ad aliã referri, atque alicui ministrare; atque venas, nervos, arterias, cerebri mem-

membranas & ventriculos in alios uſus atque miniſterium natura fecit, ſunt enim venæ, nervi & arteriæ tanquam canales & aquæ ductus ad ſanguinis & ſpiritus diſtributionem, quibus corporis fabrica aſſiduè irrigatur; Membranæ verò cerebri in cuſtodiam illius circumtenſæ: Propterea enim externa durior effecta, ut duritiei calvæ, & externis impreſſionibus facilius reſiſteret; inter hanc verò & cerebrum media, mollis, ne à duritie cerebrum premeretur; quæ & ſenſum ob hoc accepit, quo cerebrum de imminente noxa celeriter admoneret, & ad propulſandam injuriam excitaret. Cum itaquè nemo dicat cerebrum gratiâ membranæ factum, ſed illi hanc ſervire, erit cerebrum non verò membrana principium ſensus, ac proinde receptaculum ſpecierum ſine quibus non fit ſenſus. Deinde venæ, nervi & arteriæ, non ſolùm in capite, ſed per totum corpus ſunt diſperſæ; & cum omnes unius ſint naturæ, neque omnibus ineſſe poſſint, nulli inerunt tales ſpecies. De cavitatibus cerebri abſurdum videtur exiſtimare principatum inter alias partes tenere, cum ad excipienda cerebri excrementa tanquam publicæ cloacæ à natura ſint fabricatæ. Neque illud corpus quod in ventriculis eſt ſitum ſivè aër ſivè ſpiritus eſſe dicatur, ſpeciebus ſervandis videtur idoneum, cum inſtabile ſit, & per tot vias in aërem patentes continuò diſſipetur, indequè alius atque alius inſpiratione attractus, in locum prioris ſuccedat. Quod ſi per cavitatem intelligunt ipſos parietes ventriculorum, nihil differunt ab ijs, qui dicunt ad cerebri ſubſtantiam, ſivè totum, ſivè aliquam illius partem hoc pertinere. De ſpiritibus idem videtur dicendum, cum enim vagi & diſſipabiles ſunt, neque ab anima informati, ut potè illius inſtrumentum, nequit cuſtodia ſpecierum illis tutò committi. Neceſſe igitur in cerebri ſubſtantia ſedem collocare. Hanc ſententiam tenet Gal. in lib. de placitis. Sequuntur Conimb. lib. 3. de Anima c. 3. quæſ. I. art. 4. Fernel. lib. 3. de facultatibus, qui dicit eos ab antiqua & celebri Philoſophia defeciſſe, qui vim illam, ad fingendum aptam, in cerebri parte priore, memoriam in poſteriore collocarunt: Nam utraque inquit totius eſt cerebri, in cuius toto corpore fuſa & princeps ſentiendi facultas. At verò in ſpiritibus recipi tales ſpecies docet D. Nemeſius lib. de natura hominis c. 6. Damaſcenus lib. 2. fid. cap. 19. & To-

Toletus lib. 3. de anima cap. 3. quæs. 5. Idem videntur sentire, qui in cerebri ventriculis sedem constituunt speciebus, non enim intelligunt merum loci illius intervallum & spacium inane, sed corpus aëreum in eo contentum; alij verò ipsos parietes, itaquè dicunt senibus deficere vim memorativam, eâ ratione, quòd ad illius subjecti ariditatem nequeant species exarari. Ut autem constet quæ sententia sit eligenda, & aliis præferenda, placet hîc nonnulla ab Anatomicis mutuari, de illarum partium natura, quibus species à dictis jam Authoribus solent attribui. Est itaqué cerebrum, quo modo hîc à nobis sumitur, corpus similare, quemadmodum caro musculorum, aut os, aut membrana; omnes enim particulæ in quas cerebrum dividitur, habent cerebri naturam, non minùs quam particulæ carnis vel ossis. Et secundùm hanc considerationem quæcunque cerebro continuata ex eo ortum habere videntur, quantumuis differant figurâ aut alijs qualitatibus, partes cerebri esse dicuntur. Itaquè & spiritualis medulla, & cerebellum, quin & nervorum propagines, quæ teste Avicenna sunt quædam virgulta cerebri, sicuti naturam communem, ita quoquè nomen idem habere debent. Alio modo potest considerari cerebrum tanquam pars organica, ad certos fines à natura ita formata: Unde partes à se differunt magnitudine, figurâ primarum & secundarum qualitatum temperamento: & tum nequé cerebellum, neque spinalis medulla, aut aliqua illius propago cerebrum erunt dicenda. Si priori modo sumatur, erit cerebrum ita acceptum corpus quoddam similare de genere carnis, cui tamen non alia similis in toto corpore reperitur, temperamento, teste Gal. frigida & humida, multis spiris & anfractibus eo modo, quo intestina convoluta, spatijs inanibus & quibusdam veluti cellulis perforata. Est veró cerebri consistentia mollis, non tamen æqualiter, partes enim anteriores magis, posteriores minùs molles existunt: quemadmodum & illæ partes, quæ ad basim sitæ, nervis à se enatis originem præbent. Et tametsi pinguedinem, quoad sensum referre videatur, natura tamen ab ea multum differt: Quod non sicuti illa calore liquari, sed ex eo tumescere & majorem soliditatem adipisci soleat. Figuram recipit ab osse calvæ, & quod illi subest, cunei formi, quæ sicuti eminentijs & quibusdam loculis sunt anfractuosa, ita

Q quo-

quoqué cerebrum ſinuoſum eſt effectum. Interius veró non eſt ſolidum, ſed ut dictum, quibusdam ſpecubus & antris pervium. Hoc itaquè cerebrum forinſecus undiquè ambit duplex membrana. Altera proximè ipſum contingens & delicaté in veſtiens mollis, pia mater & meninx dicta de qua ſcribit Gal. lib. 8. de uſu partium cap. 8. ipſum videlicet cerebrum ſtabilire ac tegere & præterea vaſa omnia quæ in ipſo ſunt, colligare; neceſſe enim, inquit ille, venas & arterias propterea quod in corpore humido & molli vehuntur, huiusmodi membrana connecti,: Ne fortè alternent, vel viſu dimoveantur, vel perplexæ reddantur. Id circo hæc membrana non ſolùm exterius cerebrum ambit, ſed etiam in profundum ſe in ſinuans, quaquaverſum pervadit, & cerebrum protegit usquè ad internam capacitatem ventriculorum. Quod autem hæc membrana cerebrum contineat & adſtringat, hoc argumento probat Galenus, quia ſi cerebrum cuiuspiam animalis exemptum adhuc ſibi conſtans excoriare incipias, protinus partes nudatæ effundi & extrorſum incipiunt amplificari, donec tandem figurâ orbiculari amiſsâ, planum efficiatur ſubſidentibus in latera partibus, quæ eminebant. Itaquè eundem uſum præſtare cerebro hanc membranam quem chorion fætui, aut meſeræon præſtet animali. Altera membrana craſſa meninx dicta & dura Mater non tàm tegumentum dicitur à Galeno, quàm propugnaculum cerebri, durioribus cranij impreſſionibus oppoſitum; quæ priori non cohæret niſi beneficio vaſorum: foras autem per ſuturas cranii quibusdam villis egreſſa, illi tunicæ, quæ dicitur pericranium, ſit origo. Sequuntur cerebri ventriculi in quibus illorum magnitudo figura, poſitio, & mutua inter ſe perforatio, viæ quibus aditus & egreſſus, ſivè ad alias corporis partes, ſivè foras ad aërem patent, ſunt perpendenda, tùm quæ his adjacent partes tanquàm munimenta, & quædam veluti clauſtra. Hujusmodi cerebri cavitates alii tres, alii quatuor eſſe dicunt propterea quod ſinum illum ex priori ventriculorum confluxu, ortum hi quidem, non illi, diſtinguunt à primis, exiſtimant enim ſolius parietis, qui duos dirimebat, eſſe perforationem. Itaquè rem unam dicentes diverſis nominibus utendum cenſent; nos clarioris doctrinæ gratia hunc diſtinguimus à primis. Eſt autem figura omnium cerebri ventriculorum quaſi ſphærica,

rica, nisi quantùm illius processus aut canales perfectioni sphæræ demunt. quod si enim, inquit Galenus, ab anterioribus ventriculis cavi & medii loci fornicem ademptum intellexeris, si ablatas etiam, quæ ad nares feruntur apophyses, si extremò productiones, quæ ad obliquas atque infernas partes pertinent, mente detraxeris, quod reliquum erit, sphæræ speciem penitùs repræsentabit. Eodem modo si à postremo ventriculo meatus insertionem, & productionem in spinæ medullam ademeris, erit & ipse orbicularis. Cur autem talis figura sit attributa, causam assignat Galenus, quod ea isoperimetrorum sit capacissima, & ab injuriis utpotè angulis carens, maximè aliena, & oneri ferendo magis idonea. Peculiariter verò providit natura medio sinui ad illius securitatem, ne aliquando collaberetur: partes enim cerebri solidiores effectæ, firmitatem præstant parietibus inde constructis, quæ autem cavitatem supernè tegit, veluti tectum domus in sphæræ superficiem concavam arcuata inde ψαλλοειδὲς sive fornix dicitur ad hunc usum talis effecta, quo firmiùs onera incumbentia sustineret. Priores cerebri ventriculos investit meninx Choroides, quæ tamen non pertingit ad illas cerebri partes, quæ sunt sub fornice: sicuti neque postremus ventriculus ob soliditatem, quâ per se subsistit, opus habuit tali fulciente membranâ, quæ ipsi præstaret firmitatem. Deinde in illo medio sinu, à corpore calloso, quæ pars est cerebri ventriculos connectens, oritur, teste Cappivaccio tabernaculum quoddam, quod dicitur septum, cujus substantia est valdè tenuis & διαφανὴς membranæ instar; à quibusdam ob illam perspicuitatem speculum dicta & est de natura cerebri: nemo tamen illius usum & in quem finem sit effecta declarat. Magnitudo autem cerebri ventriculorum ità se habet, ut duo priores sint maximi, postrem⁹ minim⁹, tàm ad sinũ mediũ, quàm illos priores relat⁹. Causam affert Galen⁹ quia inquit, eos ventriculos, qui substantias recipiunt magis materiales, consentaneum erat fieri majores; minores verò qui substantias majorum virium & facultatis continent; propterea quod rebus materiæ magis obnoxijs, plus inest excrementi, unde loco indigent magis capaci. Quod attinet situm, & cuiusque positionem, priores quidem ventriculi à primis cerebri re-

 gionibus

gionibus exorti ad medias regiones accedunt : Unde paulùm reflexi ad imam ſedem detorquentur , quæ baſis eſt cerebri , & os cuneiforme , ubi utriusque rivus confluens , tertium ſinum facit. hunc autem ſitum ita declivem propterea fecit natura , ut quæcunque excrementa tempore colliguntur , eò promptè defluerent, ubi ptyalos, ſeu vas quoddam ad inſtar peluis figuratum in ſubjectam glandulam tanquam ciſternam effundit conceptas humorum cataractas , qui deinde ſenſim per os ſpongioſum in palatum percolantur , & in fauces deſtillant. Porrò omnes ventriculi ad ſe mutuò patent itineribus ex uno in alium directis : & duo quidem priores in tertium , hic verò in quartum per quendam canalem vermiformem ingreſſum habet. Et cum reliqui ventriculi quibusdam veluti patentibus feneſtris , tùm foras & ad aërem , tùm ad ſubjectas corporis partes ſint quaſi perforati , nam & fumos & halitus ab infima corporis regione ſurſùm elatos cerebrum admittit , & aërem quo dicitur nutriri , continuò inſpirat : Ad ultimum illum ſinum nullum aditum eſſe voluit natura, præterquam ſupradictum canalem , quem tamen ita ſtudioſè communivit , ut & valvas , & quaſi vectes appoſuerit , quibus occludi quandoque poſſit , ne quid invitâ naturâ eò ingrederetur & excubias ante illas fores collocârit , pervigili janitore illis præpoſito. Eſt verò hic cerebri quidam proceſſus ſcolitoides, ſeu vermiformis ob ſimilitudinem ita dictus. Pro cuius intelligentia adverte ex Galeno, ad illum meatum , qui poſtremum ventriculum cum medio committit , ex utraque illius parte eſſe tenues & prælongas eminentias cerebri, quas γλȣτίας , id eſt parvas nates appellant , quod femoribus in vicem junctis aſſimilentur : Supernè verò incumbit meatui tenuis membrana, ſed tamẽ valida, quæ intrinque γλȣτίας connexa ad poſteriorem usque ventriculum exporrigitur .˙. Huic incubat ille cerebri proceſſus ſimilis vermi , & eſt de cerebri ſubſtantia , ex multis particulis per tenues membranas inter ſe copulatis dearticulatus. Cum itaquè hic extenuatur & inlongum exporrigitur , inter ipſa glutia procumbens obturat illum meatum .˙. At in ſe ipſum revolutus, quantum de longitudine amittit , tantum craſſitudinis acquirit , ut jam nequeat inter illas anguſtias illabi , quin & membranam ſecum

avel-

avellens, meatum magis patefacit. Exquisitam verò habere compositionem tùm ad perfectè obstruendum, tùm ad recludendum illum canalem probat Galenus. Erit igitur finis huius cerebri particulæ custodem & janitorem agere illius aulæ. Cum itaquè tam provida fuerit natura circa custodiam huius postremi ventriculi, probabile videtur in eo majoris momenti opes reconditas esse, atque hunc principatum inter alios tenere, quis autem sit ille thesaurus, quem loco adeò munito natura voluit asservari, nec dum patet. Existimat Galenus spiritus animales in prioribus ventriculis elaboratos, tanquam pretiosum Opobalsamum in eo ventriculo reponi. Verùm haud ita esse putamus, ut vel in primis ventriculis Spirit9 vitæ generari vel in postremo reponi debeat. Cum enim dicat Galenus inconveniens fuisse ad sanguinis elaborationem, in hepate quasi cisternam excavari, quia, inquit, si natura in hepate fecisset eiusmodi magnum aliquem sinum, ne brevissimo tempore mansisset in eo ille succus, verùm impetu distributionis celeriter per totum viscus abriperetur. ut igitur & diutius morari, & perfectius alterari posset, angustiæ viarum extiterunt. deinde cum alteratio fiat per contactum, in tam laxo spatio non posset attingi pars illa materiæ, quæ à lateribus ad centrum magis recedit. Idem inconveniens videtur obstare ne illam spirituum elaborationem in cerebri ventriculis fieri dicam9, quia neque ex omni parte attingi neque tantisper in illis poterit morari, & tantò minus quantò celerius spiritus dissipatur: deinde si cerebri ventriculos priores natura spirituum generationi dicavit, videbitur hìc magis supina & negligens fuisse, quàm in aliis membris fuerit. Nam cordis quidem ventriculis valuas apposuit ne in exspiratione quod fuerat inspiratum retrò commearet; at spiritus animalis, quomodo impediri potest, quo minus per nares delabatur, aut per alias vias adeò patentes effugiat? sed & inde potest ostendi, quàm sit inconveniens in illis ventriculis spiritum vitæ generari, quod impuritatem rivi, & excrementa cerebri in eos, veluti sentinam confluere soleant, & propterea fuligines & halitus diversi, sivè à partibus internis exciti, sivè cum aëre eò illapsi, spiritus suâ impuritate contaminarent; at necesse fuit cum tot alibi secretiones natura fuit molita, quæ parum, & ab omni aliena permistione liberum efficeretur

retur nutrimentum, in postrema hac elaboratione, ubi summa requiritur puritas non tam hebetem & supinam fuisse ut quæ alibi erant separata, rursùm permiscerentur. Deinde alibi rectè docet Galenus cerebrum multis spiris fuisse convolutam, quo spiritus in illa circumductione perfectius elaboraretur: non igitur erat necesse aliquam cavitatem extare ad illum recipiendum. lib. enim 8.c.3. alibi, inquit, demonstravimus non in solis ventriculis cerebri, sed etiam in toto illius corpore multum spiritum contineri. Quod autem dicit spiritum ita generatum, in postremo ventriculo reponi, omni caret ratione, quo enim fine eo congeri dicetur? an ut aliquam corporis partem v. g. spinalem medullam nervosque inde enatos nutriat? an verò ut toti cerebro omnibusque nervis communicetur? an quibus itineribus deferetur ad eos nervos, qui non ab hoc ventriculo, sed ex fundo anteriorum & medii sinus oriuntur? neque dicendum per ipsos parietes transpirare. Cum enim tanquam vas pretioso liquori servando natura ipsum dicaverit, nequaquam porosum & rimis fatiscentem esse decebat; & cum mox à medio sinu persubstantiam cerebri, utpotè mollioris texturæ, eâ ratione quaqua versum diffundi potuerit, frustra videbitur huc commeare; unde difficilliori & minus pervio itinere feratur. An igitur ubi spiritus ille fuit dispositus tanquam penu quadam rursum à natura, exigente ità usu, inde promitur? an in tam parvo ventriculo quid effatu dignum contineri potest? aut quomodo inde dicetur deponi? videmus enim omnia vasa illa, quibus recipi solet, materia jam elaborata & concocta majora esse illis locis, in quibus gigni solet aut elaborari. etenim venæ sanguini in hepate genito, arteriæ spiritui dicatæ longè superant, hæ quidem cordis, illæ verò hepatis officinam. An verò dicetur inde spiritus promi continuò quodam motu, qualiter in corde fieri videmus, ad ingressum unius altero egrediente? an post aliquod intervallum? at illud quidem esset negari, alicubi reponi, unde protinus resumi debeat; deinde quomodo fit ut alter alterum non impediat suo occursu, & cur hic quidem egreditur illo ingressu, quis utrique modum adducit, an sponte ità feruntnr aut vi attracti, aut eò compulsi? Et cum nihil à se differant illi spiritus, quid opus tali commutatione? aut quid necesse prius ingredi illam specum. si ni-

Id.

ſi nihilo mutatus indè prodit ? Quod ſi aliqua mora intercedit, unde intereà ſpiritus, qui in organis continuo diſſipatur, affluere dicetur ? At verò ob ſpinalem medullam cò inferri ſupervacaneum videtur. Cum enim ſpinalis medulla cerebro ſit continuata, ſpiritus qui in cerebro continetur, ſpinalem quoquè medullam poterit irrigare. Sed demus ita habere, quemadmodum ipſi volunt, at quo fine dicent vermem illum excubare, & quandoque aditum occupare ? aditum enim occludi accidit, cum vel egredi, vel ingredi aliquid prohibetur. At quidnam utrumque ſit, dicere nequeunt; neque etiam qualis ſit ille motus quo vermis ſe contrahit, vel rurſum exporrigit, ſit ne naturalis & neceſſarius, an voluntarius, & quo motivo ad talem motum obeundum ſoleat perſuaderi.

Cum itaquè nihil fruſtrà à natura ſit factum, quæ ſicuti nihil ex neceſſarijs prætermiſit, quo circa juſtiſſimam vocare ſolet Cous ille ſenex, ita nihil voluit abundare: Conſtat verò hunc cerebri ventriculum in omni animantium genere præ alijs operoſè à natura exædificatum; neque tamen ad ſpiritus procreationem, aut conſervationem eſſe neceſſarium, neque alium uſum poſſe aſſignari.

Inferimus hunc eſſe debere illud cubile in quo idola & ſenſibilium pictura reponi & conſervari oportet. Quod quidem multis rationibus ſuaderi poteſt, nam non alia pars cerebri æque idonea aſſignatur, cui ille ſpecierum theſaurus committi debeat: Nequè veriſimile per totum cerebrum diſperſas eſſe; nam cum una ſit natura & cerebri & ſpinalis medullæ, & omnium proceſſuum & nervorum, qui inde ortum habent: Sequeretur memoriam non tantùm in cerebro, ſed etiam in illis omnibus collocari, cum nulla ſit ratio cur hæc & non illa pars ſpecies admittere debeat. Oportet verò qui tueri hanc opinionem velit, cauſam aſſignare, quò minùs huic quàm illi parti ſpecies ineſſe dicantur: Sicuti enim in aëre lumen exporrigi videmus, & eà tantùm parte, quà incidit corpus opacum, radios intercipi, ita oporteret in cerebro heterogeneam diſpoſitionem ſpeciebus parte unà receptis per reliquas iter negare. at qualis ſit illa diſpoſitio dicere nequeunt, ſed neque poſſibilis erit imaginatio ſpeciebus toto cerebro diffuſis, ſiquidem à nobis fuit demonſtratum, alia parte ſpecies ſervari, alia cognoſci debere. At juxta noſtram ſen-

ſententiam facilis erit omnium explicatio , & ſingularum partium officia ac uſus licebit aſſignare, nihil autem ſuperfluum, aut diminutè à natura factum admittere. Et enim cum ſumma perfectio tùm hominis , tùm aliorum animantium conſiſtat in illa operatione, quam ſenſus princeps adminiſtrat, neceſſe naturam, quæ tantopere externis ſenſibus providit , non minorem curam internis ſenſibus impendiſse , atque ſpecies imaginationi dicatas, à quibus omnis functio interna ortum habet, loco tutiſſimo & quam maximè munito, veluti quadam arce repoſitas aſſervare , talis verò eſt hic, de quo agimus, cerebri ſinus ; nam & oſſeo cranij tegumento vallatur, & duplici membrana non modo ab extra ambitur, ſed etiam ab interiore cerebri parte tanquam ſepto & pariete dirimitur. Quin & cerebrum durius effectum, quo cellula magis ſtabiliretur, ne ob mollitiem partes ſuo ad ſe acceſſu eam elidere , aut anguſtiorem efficere poſſent. Aditum verò quo conſuetudo illi eſt cum aliis ventriculis, tam ſtudiosè & valuis & excubijs munivit, ut nulla noxa quæ reliquis ventriculis ſolet obvenire, ipſum attingat. Etenim ille cerebri vermiformis proceſſus , ob duplicem, quâ conſtat, naturam, tùm cerebri, tùm tenuis membranæ ex quibus dearticulatur, ſenſum & motum accepit à natura. Itaquè ubi hoſtem in cerebri regionem evaſiſſe , & illis anguſtijs imminere perſentiſcit; protinus viam coarctat hoſtiquè ingreſſum negat. Nequè enim conveniens erat hanc viam ſemper impeditam eſſe , aut ſine valvis patentem, propterea quod per eam ſpecies ad ſenſorium ſuas efferant picturas; quod nequaquam fieri poteſt foribus obductis; at neque ſecurum erat ſemper apertas eſſe, ne in illis turbulentis, quæ cerebrum quandoq; obſident, procellis, turbo ex ortus atque ſinum hunc ingreſſus , omnia ſuis ſedibus convelleret , & ſummâ confuſione perturbaret. Verùm hîc Galeno & communi ſententiæ adverſatur Matthæus Curtius in ſua anatomia, qui omnes errare & deceptos eſſe dicit, quod exiſtiment illum proceſſum de natura cerebri eſſe, propterea quod, inquit ille, ſit pelliculoſus; qui etiam hanc ſubdit rationem , quæcunque ſunt de ſubſtantia alicujus membri, conveniunt ad illius operationem teſte Galeno ; ſed ille vermis non confert cerebri actioni, non igitur erit de natura cerebri. Verum hæ rationes nullius ſunt

momen-

momenti . Nam quod dicit eſſe pelliculoſum , ſi intelligit meram pelliculam eſſe , fallitur : etenim præter naturam membraneam, continet quoque partem medullæ ; Quemadmodum etiam cerebrum teſte Galeno , quaquaverſum membranâ pertexitur. Ad alteram rationem dicimus non rectè illum percepiſſe mentem Galeni ; nam cum adverſus eos diſputaret , qui glandulam , conarion dictam exiſtimabant ibi ventriculo tanquam cuſtodem & œconomum præeſſe ad ſpiritus eò transmittendos , ex eo refellere conatur , quia ſequeretur ipſam eſſe partem cerebri , cum cerebri actio videatur hoc illi pacto convenire. At Curtius infert, non eſſe partem cerebri , quia non conveniat ipſi operatio cerebri. Itaque cum vis argumenti nitatur ratione Galeni ad formam ſyllogiſticam reducta ita habebit. Quorum una eſt operatio eſt quoque natura una , & hæc eſt ratio Galeni ; Major verò propoſitio Curtij : ſed vermis operatio non eſt cerebri operatio, igitur non eſt una natura vermis & cerebri. quæ figura eſt vitioſa propterea , quod ex oppoſito antecedentis procedit ad oppoſitum conſequentis. deindè reſpondemus illam propoſitionem , qua dicitur eandem naturam participare , ſi quid confert ad illius actionem eſſe valdè æquivocam , & proinde habere opus diſtinctione. Nam ſi hunc ſenſum facit , omnem actionem quæ competit alicui parti , competere alijs quoque partibus ſub illa natura contentis ; falſa erit propoſitio. Cum enim actiones aliæ naturam ſpecificam , aliæ temperiem primarum & ſecundarum qualitatam, aliæ figuram ſequntur , ſicuti partes per hæc à ſe differunt , ita non omnibus eadem actio poteſt convenire ; quod ſi per conferre intelligit , omnes actiones partium conſpirare in unum finem toti naturæ convenientem concedimus : & tunc minor propoſitio erit falſa ; Etenim finis cerebri eſt interna functio mentis , ad quam omnes particulæ cerebri conſpirant, aliæ proximè , aliæ remotè. Itaque finis proximus huius proceſsûs eſt claudere & reſerare meatum, prout uſus hoc illudvè exigere videtur ; Qui finis ulterius refertur ad cuſtodiam ſpecierum in memoria repoſitarum : Ultimò verò ad operationem mentis , quæ non fit abſque ſpecie. Et ex his apparet ipſum Curtium , non verò Galenum fuiſſe deceptum . Quod hanc particulam cerebri agnoſcens uſum præterierit, tanquam natura aliquid fruſtra effeciſſet.

R Jam

Jam alias quoque rationes adducamus, quibus probabile fiat, hunc cerebri ſinum Memoriæ eſſe dicatum. Et inprimis à læſione & abolitione memoriæ: neceſſe enim eâ parte ſpecies eſſe ſitas, quâ læſâ læditur ipſa memoria, talis autem eſt hæc cerebri pars cum ſua cella, quemadmodum teſtantur Doctiſſimorum virorum obſervationes, ex quibus liquet quacunque alia parte cerebri etiam graviter oblæſa nequaquam memoriam defeciſſe.

Objicies authoritatem Theodorici, qui lib. 2. c. 2. Chyrurgiæ ſcivi, inquit, hominem cui una cellularum tota fuit evacuata, & tandem repleta carne loco cerebri, per D. Hugonem ſanatus fuit. Cum verò cellula memorativa fuiſſet, vidi D. Hugonem ſtupentem valdè ſuper illo, quod memoriam ſicut ante habebat, erat enim factor ſellarum, & artem ſuam non amiſit, ex quo convincitur hanc cellam, non eſſe memoriæ ſedem. Ad hoc poſſet aliquis reſpondere negando veram eſſe hanc obſervationem: Multa enim authores comminiſci quò admirandas efficiant curationes, quibus famam & gloriam ſolent captare; Verùm iniquum videtur homines de re literaria bene meritos falſi inſimulare. Itaquè alio modo enitemur utrumque tueri, & non vera locutum fuiſſe Theodoricum, & tamen memoriæ hunc ſinum eſſe attribuendum. Rectè quidem feciſſet Theodoricus ſi hanc obſervationem additis circumſtantijs paulò clariorem feciſſet, verba enim obſcura pariunt ambiguitatem; nam cum dicit cellulam memorativam totam fuiſſe evacuatam, non ſatis liquet an ipſi parietes cerebri, ex quibus cellula conſtruitur, fuerint convulſi & loco moti, an per vulnus ad usquè cellulam productum illa ſubſtantia ſpirituoſa diſſipata. Et hoc quidem neceſſariò videtur dicendum; incredibile enim tam latè patens vulnus, quo ventriculus cum tota cerebri ſubſtantia ipſum continente deperierit, abſque interitu eſſe potuiſſe. Quod etiam ex ſequentibus verbis colligere licet. Non enim dicit ventriculum deperijſſe, ſed evacuatum videlicet à ſubſtantia aërea & ſpirituoſa eam cavitatem replente. Quod autem addit cellulam repletam fuiſſe carne, non ita intelligi debet, quaſi pro toto ventriculo caro ſuccreverit; ſed quod ſola pars convulſi parietis fuerit conſolidata. Sæculum enim illud adhuc barbarum puritatem ſermonis negligebat. & cum dicit

Id.

loco cerebri carnem succrevisse, efficitur, ut solos parietes per carnem fuisse restauratos intelligamus, propterea quod cerebrum ipsam cavitatem minime repleverit. Nec refert Hugonem fuisse de hoc admiratum, quia forte ipsum spiritum qui inerat ventriculo, sedem memoriæ esse fuit opinatus, atque ita per vulnus dissipari aut confundi potuisse. Nihil ergo officit nostræ opinioni authoritas Theodorici: Etenim jam à nobis est ostensum, species modo indivisibili memoriæ inesse, ita ut quælibet species sit in unoquoque puncto sui subjecti. Sivè itaque subjectum specierum sit spiritus, sive cerebri substantia ipsum complexa: Non erit necesse parte ventriculi vel spiritus deperditâ deficere species, cum non minus in aliis partibus, quæ superstites manent, conserventur. Neque opus per vulnus internam auram protinus expirare, propterea quod hæc non est vaga instar aliorum, sed innato spiritui, qui residet in poris cerebri, continuata, unde neque sponte abit, neque ab aliquo expellitur; quin magneticâ vi ab eo, ne effugiat, retinetur. Utrum verò hic spiritus an cerebri substantia dici debeat subiectum specierum, est incertum. Nobis utraque pars videtur probabilis, magis tamen animus inclinat, ut spiritum esse existimemus: videtur enim eadem ratio subjecti, in quo primùm recipiuntur, & in quo posteà continuantur. Tale autem est spirituosum & diaphanum, quod priores & medios sinus continet, nam per hoc species ad sensorium decurrere, legesquè externarum specierum, ut postea dicemus, servare videntur.

Neque verò negamus posse in eo spiritu, qui continetur in poris cerebri, species quoque inesse; verùm hoc non sufficere dicemus: Non enim apparet si ita fit, quomodo species à toto cerebro, vel ab illius cellulæ concavitate radiare possit. Etenim cum ab unoquoque subjecti puncto species evoluat, illa quidem puncta quæ ambiunt canalem, sive ostium canalis, non poterunt species ad ipsum trajicere. Punctum verò quod ē directo respicit canalem trajici, & quidem ita exsinuata ad ipsum canalem, verùm non tota per illas angustias poterit transire, propterea quod basis pyramidis ab eo puncto tanquam à vertice protractæ major jam sit effecta

quàm diameter canalis; quo fit ut radiis lateralibus exolutis non nisi parte media ingredi possit.

Dicendum itaque species non solùm per ambitum illius ventriculi, sed per totum spatium diffusas esse usque ad orificium canalis, in quo primum incipit evolutio radiosa, ità ut coni vertex sit in canali, basis verò in parte cerebri anteriore, ubi à tenui membrana excepta, causa sit imaginationis, quemadmodum species objecti in tunica retina, visionis. Quomodo autem fiat hæc evolutio, jam ante sufficienter est à nobis dictum, quod si enim radii omnes unius semicirculi, qui simul in centro concurrunt, inde protrahi cogitentur, cadent omnes ad puncta opposita, similem priori semicirculum efficientes. Et idem intellige de quacunque alia figura: si enim ex omnibus punctis cujuscunque figuræ ad aliquod punctum in qualibet distantia lineæ rectæ ducantur; inde rursum similiter protractæ, ut eadem servetur distantia cujusque radii à puncto illo protracti, quæ fuit à primo termino ad illud punctum, orietur à lineis ità terminatis necessariò eadem figura. & hoc verum habet tàm in regulari, quàm irregulari figura. Ità existimare oportet quasi tota illius cellæ cavitas sit unum punctum, in quo accidit confusio radiorum: figura autem radians tanquam principium motus, idealiter quidem continetur in specie sensibili, sivè organo specie informato, effectivè in Anima, terminativè in sensorio imaginationis.

Objicies similitudinem minùs aptam nos attulisse, ut, qui motu utamur in specierum evolutione, tanquam partes figuræ se ipsas transferant, sivè ad punctum commune, sivè inde ad opposita loca, quod minimè videtur speciei convenire, quæ qualitas est, neque ex uno loco in alium transferri aut subjectum mutare potest. Respondeo similitudinem in eo consistere, quod sicuti quælibet figura in uno puncto suis radiis collecta vim retinet, ut similiter protractis radiis eadem figura oriatur: ità quoque in memoria in illa specierum confusione manere in partibus cujusquè speciei virtualem, in ordine ad locum, distinctionem, ut, si inde incipiat protrahi, actu fiat quod inerat potestate. Neque tamen opus est, ut ipsa species extra suum subjectum feratur, sed sufficit quod similem speciem sivè ipsa, sive

Anima

108.

Anima producat cum actuali inclinatione, quam ipsa non nisi virtute continebat. Idem enim sequitur sivè radius inpunctum collectus se expandat, sivè alium de se generet, ità tamen sibi continuatum quemadmodum si ipse recto itinere per illud spatium decurreret. Quomodo autem fiat, cum duplex sit cerebri anterioris sinus, in quibus species recipi dicebamus, ut super expansam membranam, quæ cellulas investit, suam picturam explicare, ut species geminata eò producatur, facilè quidem esset determinare, si paulò accuratius partium illarum natura & cujusque vera magnitudo, & situs, & connexio ab anatomicis descripta fuisset, quemadmodum in partibus oculi diligenter accurateque hoc præstiterunt; oportet enim exploratum habere, an ab hoc canali species viâ rectâ decurrere possit usque ad organum imaginationis, an corpus aliquod in medio positum obstet, quo minus recto incessu eat: sivè à tali corpore refracta, sive tanquam à speculo reflexa obliquè inde feratur. neque enim frustra fecisse videtur natura illud corpus perspicuum, quod speculum dici consuevit. Sed quia neque nos ipsi hanc diligentiam in observando impendere potuimus, nequè ab aliis præstitum fuit: propterea nihil certi afferre possumus, solis conjecturis interea utentes, donec experientia dubium cum certitudine permutet. Et quia quod rectum est non nisi unum & simplex esse potest, quæ autem ab eo declinant infinita: nos hic superfluam multitudinem fugientes, cum veritas non nisi in uno consistat, simplicem radiorum progressum supponimus. Invento enim modo simplici radiationis, si fortè inventum fuerit corpus refringens, facilè ipsum huc transferre & accommodare licebit. Itaquè cum Analogia sit inter has & illas species, quæ proveniunt ab objectis, videndum an aliquid simile occurrat quod possit internis speciebus adaptari. Et videtur quædam similitudo consistere in visu: nam sicuti unum objectum duplicem facit speciem ad totidem oculos: ità ab una cellula poterunt duæ imagines ad duo organa imaginationis deferri. Verùm obstare videtur refractio quæ fit in tunicis atquè humoribus oculi; species autem ad imaginationem supponitur rectâ meare. deinde quia ad oculum ab uno puncto subjecti non unus, sed innumeri radii in cidunt ad singula tunicæ cor-

neæ pnncta, quæ beneficio refractionis rursum ad unum punctum reducuntur: at in speciebus internis, non videtur tanta radiorum multitudo admittenda, cum nullum adsit corpus, quod radios dissipatos suâ refractione uniat: unde à radiis ità allapsis summa confusio sensorio inducetur. Itaquè aliàm similitudinem afferimus à speciebus quidem externis, non tamen in oculos, sed per duo exigua foramina, in locum aliquem obscuratum deductis, ubi in oppositâ papyro gemina unius rei imago resultat. hîc enim exulat illa multitudo radiorum ab parvitatem foraminis ingredi prohibitorum, uno tantùm à singulis punctis radio admisso, qui omnes in illo foramine se intersecant, indeque protracti ad puncta opposita picturam exhibent eversam. Idem de internis speciebus dicendum: totum enim subjectum memoriæ se habet instar puncti, in quo omnes species sunt confusæ, quæ à septo ventriculos dirimente, in duo itinera, veluti per duo foramina, diducuntur. Aut etiam dicendum speciem recto itinere progressam à speculo occurente utrinque ad partes oppositas reflecti, atque ità geminari. similiter autem habet in hac & externa specie, ratio situs, ut si hominem videam corpore erecto, imaginatio talem quoque percipiet, propterea quod secunda intersectio eundem situm, quem prima evertit, restituit.

Dices rectiùs videri, si dicamus cellulam memoriæ esse veluti pilam crystallinam, in qua similiter species recipiantur & evolvantur, quasi imaginemur omnes species, quæ incidunt ad superficiem illius pilæ, posteaquam refractione totam illius crassitiem occuparunt, stabiliter insidere, inde verò alias atque alias species, præexistentibus similiter allapsas uniri: atque ità eò ordine quo fuerunt ingressæ, evolvi & radiare. ità enim clarè omnia intelligi videntur.

Respondeo rectè quidem tali modo species recipi, & rursum evolvi. at magnum periculum ità in memoria servatis creari. Cum enim corpus illud sit spirituosum & fluidum, facilè partes loco moveri & situm mutare videntur, unde partium summâ transpositione speciebus orietur confusio, ut nequè evolui, nequè aliquid repræsentate possint, qui enim eousque circumaguntur, & ex illa vertigine usu rationis privantur, incredibile videtur in tam impetuosa gyratione loco moveri illam internam auram; & tamen memoria talibus est superstes, quod minimè fieret speciebus eo modo

receptis

modo receptis. Quod si quis tamen hanc opinionem tueri velit, dicet spiritum nequaquam loco moveri, ita ut partes situm permutent, qualiter aqua in vase aliquo turbata, propterea quod non sit separabilis à ventriculis cerebri, sed alijs spiritibus in ipsius poris continuetur. Nec obstat quod spiritus insitus dicatur motu quodam irrequieto intrà & extrà ferri: etenim per talem motum partes à se non discontinuantur, sed unitæ manent.

Objicies Primò spiritus non esse animatos propterea quod sint fluidi, igitur nequeunt esse subjectum memoriæ. Consequentia patet ex dictis: Subjectum enim tale ab anima informari dicebamus. Verùm negamus illam propositionem quâ dicitur fluidum non posse animari: Etenim cum tria elementa, ex quibus corpus humanum suam habet compositionem sint fluida, necesse animam in illis tanquam in suo subjecto habitare, nisi fortè solam terram dicatur informare de quo alibi latiùs agemus.

Objicies Secundò frustra esse universa & otiosè à nobis conficta, quæ huc usquè attulimus, de modo quo species inesse & evolui dicuntur. Nam cum intelligentiæ habeant species rerum concreatas, neque tamen omnia simul intelligant, quæ species tales repræsentant, sed unum post aliud successivè; & tamen cum indivisibilis sint naturæ, nequeunt eiusmodi sedes distingui, ut alibi servari, alibi intelligi species dicantur. Nihil igitur repugnat in homine omnes species animæ esse præsentes, neque omnes simul, sed modo has, modo illas sentiri. Deinde quia species intelligibiles in anima recipiuntur, cum quibus anima non simul concurrit ad intelligendum. Respondeo ad primum negando paritatem: Non enim idem est modus intelligendi hominis & intelligentiarum. Pro quo adverte Angelos intuitivè cognoscere seipsos per suam essentiam, nam cum intimè sibi ipsis sint præsentes & per se cognoscibiles, non opus habent specie. Quæ non aliâ de causa requiritur, quam ut suppleat vicem objecti, quod vel nimis distat, vel nequit per se conjungi potentiæ intellectivæ, vel ipsi non est proportionatum. Et per hoc fit quod omnia accidentia atquè etiam species ab Angelo simul cognoscantur, in illius essentià repræsentatæ, cum nunquam desistat à sui ipsius cognitione. Alia verò objecta quæ species re-

præ

præsentant, non nisi confusè in illis ita cognitis elucent, unde liberè se ipsum applicat, ad hanc illamvè speciem, atque illius objecta distinctè cognoscenda. At verò hominis intellectus nequaquam se ipsum intuetur, neque ea quæ ipsi insunt cognoscit; unde nequit se ita determinare ad aliquam speciem, quæ prævenire solet illam libertatem intellectus. Et cum non appareat alius modus, eo, quē jam attulimus verisimilior, illi tantisper adhæremus, donec quis afferat his certiora. Altera pars objectionis supponit dari species intelligibiles: Quod, an verum sit, necesse prius explorare, cum etiam ad alia à nobis dicenda, hæc disquisitio utilis sit futura.

Circa hanc controversiam est prima opinio communis scholæ Peripateticæ, dari species intelligibiles, quæ sint principia sentiendi, quam præter alios, docet D. Thomas 1. p. quæst. 55. acti. 5. Scotus quæs. 6. quæ his nititur argumentis. Primò, ita se habet intellectus ad suam functionem, qualiter sensus; At sensus nequit percipere suum objectum absque speciebus, igitur neque intellectus. Secundò, cum intellectus ad hanc vel illam rem intelligendam sit indifferens & pura potentia in se spectatus, necessariò requirere videtur aliquam formam, qua actuetur & principium formale, à quo actus producatur, & ad hoc potius quam illud intelligendum determinetur: Hoc autem aliud esse nequit, quam dictæ jam species, nam quod phantasma ad hoc non sit idoneum, inde patet, quia in materia recipitur & nonnisi singularia potest repræsentare. Intellectus verò universalia cognoscit, & sicuti actum, ita quoque principium formale in seipso habere debet. Tertiò, ita argumentatur Ioannes Duns; Intellectus operatio est nobilissima, non igitur habet principium in corpore, potentiâ sensitivâ corpori immersâ; consequentia ex eo firmatur, quia talis dependentia magnam includit imperfectionem, quæ non videtur convenire summæ perfectioni. Quartò, si non essent species intelligibiles, neque esset memoria in parte intellectiva, neque recordaremus nos aliquando conceptus ullos elicuisse, quæ omnia experientiæ repugnant. Deinde obiici potest authoritas Aristotelis qui lib. 3. de anima cap. 4. tex. 15. docet intellectum possibilem fieri singula, videlicet species singulorum in se recipiendo & tex. 16. & alibi dicit intellectum locum formarum,

rum, quod species tanquam locus locatum in se contineat. Aliam rationem prioribus addit Toletus, quod si non essent species intelligibiles, eodem modo se haberet intellectus docti & sapientis, quo modo illius, qui primò incipit addiscere, siquidem utriusque intellectûs pura sit potentia, priusquam actu incipit contemplari, quod videtur absurdũ. Contrariam sententiã tenent ex Theologis Durandus in 2.dist. 3. quæst. 46. Henr. quodlib. 4. q.7. 8. & alibi Bachonus 9. 2.proleg. Gottfridus cui etiam nos accedim9, utpotè veriori, & magis firmis rationibus innixæ. Fundamentum nostræ opinionis est hoc, quod nihil superfluum inducere debeamus, præsertim quando illius productio nimis operosa & difficilis esse videtur. Secundò actiones sensitivas & intellectivas ab anima produci, & in ea, tanquam proprio subjecto recipi, prout à nobis fuit demonstratum. Tertiò in hac vita non posse aliquid à nobis cognosci absq; phantasia; unde omnes Ecstases viribus naturæ peractas pro phantasticis habemus. Deo enim hanc vim denegare impium ducimus, an verò defactò aliquando tales Ecstases immiserit, incertum; phantasiæ tamen conjunctas fuisse omnes visiones, tàm Prophetarum, quàm D. Pauli nihil repugnare, imò probabile nobis videtur.

Ex quibus ità argumentamur. Intellectio quæcunque absolvi potest cum sola specie imaginabili, igitur superfluæ sunt species intelligibiles. Consequentia deducitur ex primo fundamento. antecedens verò partim ex solutione oppositarum rationum, partim ex dicendis. Secundò causa productiva talis speciei vel est anima, vel species, vel ipsum phantasma, vel duo ex his, vel omnia, non enim apparet quid aliud esse possit. Sed nihil ex prædictis esse potest, nam de specie jam ante fuit ostensum non concurrere ad imaginationem effectivè, sed exemplariter tantùm, multò minus igitur producet speciem intelligibilem, quæ totâ naturâ ex toto genere ab ea differt, species autem expressa, sive actualis repræsentatio objecti subjectivè est in ipsa anima, atque per se ipsum ab ea cognoscibilis, non ergò aliam speciem de se facit, quæ cum vicaria sit sui objecti, locum minimè habet ubi per se ipsum cognoscibile est objectum. quod verò neque virtus animæ sit admittenda, quæ ad præsentiam speciei aut actus imaginationis intelligibiles species de se producat, ità probamus.

mus. Species intelligibilis vel repræſentat idem, quod imago illa, ad cujus præſentiam tanquam Ideam dicitur produci, vel aliquid ultra, quod non potuit talis imago repræſentare. Si idem, fruſtra erit, cum non magis hæc quàm illa determinet intellectum, ſi aliquid ultra ſpeciem ſenſibilem in ea relucet, cum diverſum repræſentabile, diverſam repræſentationem adducat, quomodo hæc ab anima produci poteſt? non enim ex ſe erat ad illam determinata, nequè à ſpecie eſſe potuit, quæ ponitur illud non repræſentare. Dices in phantaſmate aliquid contineri virtute, quod actu non repræſentatur, quia nimirum ſit involutum, quod intellectus poſtea evolvens ſpeciem diſtinctam exprimit. Ità enim docet Invellus 7. metaph. quæſt. 3. & Soncinus quæſt. 54. ejusdem libro, ex eodem accidentis phantaſmate duplicem elici ſpeciem, unam accidentis, alteram ſubſtantiæ, quæ tali accidenti erat involuta: quia enim phantaſma eſt inſtrumentum ſubſtantiæ cui tale accidens inhæret, poterit ejus virtute non modo ſuam, ſed etiam ſubſtantiæ imaginem procreare. Verùm reſponſio hæc nullius eſt momenti, etenim à veritate alienum nos ſpeciem recipere ſubſtantiæ propriam, quis enim unquam per talem ſpeciem ſubſtantiam introſpexit? deinde cum dicunt in phantaſmate idolum ſubſtantiæ involvi, quid nam intelligunt per tale involucrum? vel enim includit aliquid ſivè entitatis, ſive repræſentabilis ultra id, quod phantaſiæ repræſentatur, quod à ſolo intellectu, nō verò phantaſia ſit perceptibile: ſi nihil quidem continet entitatis, verùm ipſe intellectus ob ſuam perfectionem illud addit, quemadmodum pictor eximius nudæ exemplar picturæ ſuperat, addendo ea, quæ deeſſe videntur picturæ: malè dicetur ſub illa pictura deliteſcere, non enim deliteſcit, ſed verè deeſt perfectio & vivacitas illi picturæ. Si autem prius dicatur, quæro an illud, quod nequit niſi ab intellectu cognoſci, ſit pars ſpeciei, an aliquid ab ea diſtinctum, quemadmodum ſubſtantia ab accidente, quo involvitur, eſt diſtincta? quod ſi pars eſt ſpeciei, igitur ſicuti per eſſentiam tota ſpecies eſt repræſentata, ità quoque illius pars, cum enim actu ſit, actu repræſentare oportet, fruſtra ergo fingitur nova ſpecies ab intellectu produci, cum per hanc ſufficienter objectum repræſentetur,

Deinde

Deinde vel inest species phantasiæ secundùm totum esse quod habet, atquè ita anima erit sufficienter determinata ad totum objectum noscendum; eadem enim anima & intelligit, & imaginatur à se ipsa; vel si non inest totum esse, illud quod deest, malè dicetur esse involutum, cum nullo insit modo. Quod si verò non pars, sed aliquid præter speciem dicatur, quid nam erit? non enim alia species sive actu, sive potentia: Nam species actu, actu est repræsentativa, species autem in potentia dicitur quæ talis actu est futura: & illud quod involutum esse putatur, non erit aliquando species actu, cum non ipsum extrahi, sed alia species de novo produci dicatur. Deinde cum dicunt phantasma, propterea quod sit instrumentum substantiæ, posse exprimere illius speciem, quomodo hoc intelligi volunt? vel enim producitur illa species ab accidente & substantia simul, vel à solo accidente, & prius quidem est falsum, posterius repugnat naturæ instrumenti. Quomodo enim agere potest in illius virtute, quod penitùs est ab eo divulsum, qualiter phantasma se habet ad objectum, necesse enim ut instrumentum agenti, aut illius vim conjunctam esse instrumento. At species illa supponitur à solo accidente gigni, neque virtutem substantiæ ipsum comitari. Neque verò ex eo quod tale accidens fuerit conjunctum accidenti, sequitur illius instrumentum esse debere, alioquin etiam color in aqua erit instrumentum ad frigefaciendum. Deinde non concurrere substantiam simul cum accidente ad speciei productionem, inde probatur, quia substantia non est per se sensibilis, at esset, si tali modo faceret speciem; & quomodo dicatur convenire, an ex eo præcisè quia substantia, an, quia talis substantia? at primo modo non habetur species hominis, aut bovis, aut leonis, aut alicuius certæ naturæ, neque relatio, neque simile, aut dissimile, amicum, inimicum, bonum & malum, & alia infinita per talem speciem innotescunt: Quia hæc universa non substantiam absolutè, sed certam aliquam speciem substantiæ sequuntur: Si autem specificâ ratione hoc agit juxta gradum naturæ quem tenet talis substantia, sequitur pro diversitate substantiarum differre à se tales species; erit igitur species ab albedine sacchari producta essentialiter diversa à speciebus al-

alterius albedinis, quæ in calce, gypso, creta, farina, homine, bove conspicitur. Quod satis per se videtur absurdum. Præterea cum res non modo per species visibiles cognoscamus, sed etiam per alios sensus, an per singulas cuiusque sensus species substantia æqualiter se insinuat, suam imaginem veluti permiscendo ab intellectu postea eruendam? an per aliquos tantùm sensus, & qui nam illi sunt? an verò se ipsam quasi partitur, & unicuique sensui ratam distribuit portionem, ita ut demum per omnes sensus cognitæ substantiæ perfecta notitia habeatur? Hoc enim distinguere, & singula minutim declarare oportebat, si ipsi subtiles esse, nobis autem hanc veracitatem persuasam volebant. Probatur jam ulterius non esse necessarias species intelligibiles ∴ Vel enim hæc necessitas erit tanquam causæ producentis intellectionem, vel tanquam determinantis intellectum ad certam speciem intellectionis ∴ Vel tanquam eius quod conjungere debet potentiæ objectum ∴ Nulla autem harum esse potest ∴ Non prima, quia sicuti actus phantasiæ & potentiæ visivæ à sola anima procedit ita actus intellectus. Neque secunda, nam sicuti anima ponitur speciem producere absque aliquo superaddito, intrinsecè illam determinante; ita quoque ad intellectionem erit sufficienter determinata absque specie intelligibili, cum æquè sit ratio utriusque. Neque demum necessitas ex parte unientis ∴ Sufficienter enim animæ fit præsens objectum per speciem phantasiæ; quod si hoc non sufficit ad intellectionem, neque sufficiet ad imaginationem, cum uterq; actus in ea reciprocatur, & eadem sit animæ virtus quæ intelligit, cum ea, quæ imaginatur. Præterea si dantur species intelligibiles an erit necesse, quicquid repræsentat verbum mentis, idem à specie repræsentari? an intellectus ob suam perfectionem exprimit, quod in specie non elucebat, quemadmodum virtus æstimativa in brutis, multa exprimere solet, quæ non continebantur in speciebus, ut amorem, odium, amicitiam, hostilitatem &c. quod si ita: nulla jam erit necessitas specierum; nam sicuti æstimativa, quia sensu perfectior non tantùm speciem imitatur, sed etiam superat, cum v. g. ovis per talem speciem non modo lupum cognoscit, sed etiam ut inimicum appræhendit; ita inquam anima rationalis, quia ob spiritualem naturam reliqua animantia excellit,

non

non modo ea, quæ bruta, modo perfectiori, sed plura alia ultra speciei picturas poterit adumbrare. Quod si perpetua æqualitas esse debet in repræsentando expressæ & intelligibilis speciei, erit intellectus in suo genere minus perfectus, quam sit virtus æstimativa, ut qui nihil addere possit ad perfectionem talis speciei. Quin impossibile ita esse videtur, vel enim omnes species produci oportet ante intellectionem, vel potest aliqua intellectio esse ante productam speciem .· & ex hoc sequetur non fore commensum & æqualitatem inter species & membrum mentis; nulla enim species ponitur ante talem intellectionem. Igitur cum neque sine specie intellectio produci, & ea quæ intellectionem præcedit non sit intelligibilis, ex suppositione, neque omnia possit repræsentare quæ habet intellectio, non erit æqualitas in repræsentando. Quod autem omni intellectione sit prior species, quæ idem objectum eodem modo repræsentaret, quo membrum mentis ab ea productum, fieri nequit. quomodo enim propositio negativa habebit speciem seipsa priorem, ut cum dicimus, homo non est lapis, certum enim hanc enuntiationem esse actum simplicem, & tamen neque species hominis & lapidis coalescere queunt in unam speciem, neque negatio unius de altero in illis actu contineri; non itaquè sive utraque, sive una exillis poterit exprimere in verbo mentis formalem negationem, negatio autem per se nullam habet speciem. Deinde si intellectus cudit species intelligibiles, quæ postea exprimunt verbum mentis sibi per omnia simile, idem verò intellectus species desumit à phantasmate, sequitur necessariò omnes homines intellectu æqualiter pollere, aut certè qui magis expeditas habent imaginationes, aliis præcellere, quod experientiæ repugnat, viri enim fæminis, sapientes mechanicis virtute & efficacia imaginationis cedunt: at potestate intelligendi longè superant: quod autem illud sequi debeat, ex eò patet, quod omnia agunt non liberè sed necessitate naturali; nam species intelligibiles phantasma ex quo ortum habet, necessariò imitatur, speciem verò intellectio, igitur à primo ad ultimum perfectam imaginationem sequitur intellectio perfecta. Ulterius experimur nos nullum actum elicere absque phantasia, sed quod idem actus intellectus sit

phantasticus, patet enim nos vera dicere si quis super tales actus se reflectat: & ità fieri minimè debebat, nam cum a sola specie intelligibili produci dicatur, purum & à permistione phantasiæ liberum esse decebat, quod cum minimè fieri possit, dicendum species imaginabiles intellectum determinare ad tales actiones. neque alia ratio assignari potest hujus cum illa connexionis: quid enim prohibere potest potentias separatas agere separatim. Et verò si necessarium intellectui phantasiam cooperari, vel idem prorsus objectum formaliter effingit, & actum per omnia similem intellectioni producit, vel sufficit, dummodo ipsa aliquid agat, socia quidem operis, sed tamen non unius, neque eodem modo; at illud fieri requiritur impossibile: quomodo in phantasia in se ipsam reflecti, suosquè actus cognoscere aut universales rationes resq; immateriales speculari potest? etsi demus hæc à phantasia cognosci, erunt superfluæ species intelligibiles, siquidem per phantasmata sufficienter expressa dicuntur. Quod si dicas sufficere qualemcunque concursum, & cooperationem phantasiæ, inde refellitur: quia si operatio mentis dependet ab illius operatione, igitur hæc operatio mentis ab hac phantasia: absurdum enim rem certam ab aliquo incerto naturâ suâ dependere.

Ex his itaquè satis liquet nos nullâ necessitate cogi ad species intelligibiles admittendas: quod adhuc magìs elucescet in solutione adversæ partis rationum. Ad primam igitur respondemus, majorem illam propositionem, quâ ponitur, intellectus cum sensu æqualiter se habere ad suam actionem, esse æquivocam, & plures admittere significationes: nam si volunt omnimodam similitudinem esse inter hunc & illum in ordine ad tales actiones, negamus: si verò in eo consistere putant, quod utriusque actio procedat à specie, hæc quidem sensibili, illa verò intelligibili, id quod controvertitur assumunt pro robore argumenti: si enim aliam quampiam similitudinem intelligunt, non poterunt inferre quod intentebant. Deinde esto demus hanc similitudinem quam ipsi quærunt, non tamen erit necesse speciem hanc ab illa

differre, una enim numero species respectu sensûs dicetur sensibilis, respectu intellectus intelligibilis, quemadmodum idem objectum utramque nominis rationem admittit. Ad Secundam dicimus rectè quidem ex indifferentia intellectus colligi aliquid per modum formæ ipsum determinare, at quod hoc esse debeat inimicum animæ, vel species intelligibilis, negamus. Sufficit enim ad hanc determinationem quæ fit modo exemplari species objecti quæ animæ subjectum occupavit. Quod autem pro confirmatione adducunt, phantasma non nisi singularia repræsentare, intellectum verò etiam universalia cognoscere; & propterea quod nihil possit operari per virtutem non in se existentem? phantasma autem in corpore non in Anima subsistere. Ad primum dicimus, universale materialiter esse in ipsis rebus, & eo modo per speciem singularium repræsentari; unde non opus novâ specie ad formalem repræsentationem: Natura enim repræsentatur universalis, cum sine differentia cognoscitur; itaquè intellectus ab uno objecto per speciem integrè repræsentato quasi partem abstrahere & per se ipsum ita contemplari solet. Ad Secundum demus libenter, intellectum non posse operari nisi per virtutem in se existentem, at phantasma negamus illius esse virtutem, aut per se ipsum operari, sed solùm exemplariter moveri. Ad argumentum Scoti dicimus repugnare perfectioni intellectus principium effectivum intellectionis esse extra ipsum, at quoad determinationem ab aliquo in corpore existente ipsum dependere, non majorem arguere imperfectionem, quam legibus corporis ipsum alligari. Et cum anima etiam secundùm gradum rationalitatis, sit vera hominis forma, sicuti essentialem ordinem dicit ad corpus essendo, ita quoque in operando. Deinde idem argumentum potest contra ipsum fieri; nam phantasma necessarium est ad species intelligibiles producendas, igitur etiam ad intellectionem, quod enim est causa causæ, est quoque causa causati; sequitur itaque in illa quoque opinione non minus, imò magis principium operationis extra animam esse, & à corpore dependere, cum ipsi dicant species efficere intellectionem, illas verò à phantasmate ortum habere.

Ad Quartam, ubi dicunt ex eo quod negamus, species intelligibiles sequi non esse memoriam intellectualem, dicimus, quod si per

per memoriam intelligunt conſervationem specierum intelligibilium, nos ultro affirmare nullam extare talem memoriam: Quod inferunt non poſſe meminiſſe rerum ab intellectu cognitarum, negamus. Nam ſicuti res cognoscimus cum ſolis ſpeciebus ſenſibilibus, ità quoque per easdem recordamur; de modo autem poſtea dicetur ſuo loco;

Ad rationem Toleti, qui dicit ex noſtra ſententia ruſtici intellectum non differre ab intellectu ſapientis, cum uterque ſit pura potentia, priusquam actu incipit operari, respondemus, ſi per puram potentiam intelligit nullam picturam in ſe continere, nihil mirum eſſe debere, cum repugnet talem picturam ipſi in eſſe. Etenim intellectus ſibi ipſi transparet, & cum omnem motionem in ſe ipſo perſentiscat, non poſſet talis pictura ipſum latere. Si autem vult animum ſapientis absque illis ſpeciebus, nihilò magis diſpoſitum ad tales actus, negamus. Etenim intellectus non per ſpecies efficitur potens ad intelligendum, sed ex ſe ipso talis eſt, neque in hoc differt ruſtici intellectus. At verò ut cum actu & facilitate poſſit operari, debita objecti præsentia requiritur, quæ fit per ſpecies à phantaſia comparatas, per quas intellectus efficitur potens, non ſimpliciter, ſed determinativè & exemplariter; & in illis ritè diſpoſitis ſcientia habitualis conſiſtit. Itaque ruſtici intellectus non defectu virtutis intellectivæ, ſed objecti per ſpecies ritè accommodati, ſcientiâ dicitur carere. Cum ergo dicitur ruſtici intellectus habere potentiam proximam ad intelligendum æquè ac ſapientis, ſi per potentiam proximam accipitur ea, quæ intellectui ineſt formaliter, concedimus. At tum minimè ſequitur, poſſe ſi velit æquè ac ſapientem Philoſophari: nam potentia illa non ſufficit, ut actus ſequatur, niſi illa externa idea intellectum quaſi figuret, & ad certa objecta cognoſcenda diſponat. Ad Ariſtot. authoritatem dicimus poſſe explicari de ſpeciebus expreſſis, ſivè actuali ſimilitudine objecti, vel intellectum accipi pro phantaſia. Quod ſi tamen quis omninò putet Ariſtotelem nobis adverſari nihil moramur, quia hîc ſola veritas, non verò Ariſtoteles, nobis pro regula Lesbia eſſe debet. Adverte tamen nos, cum ſpecies tollimus, nequaquam de ijs loqui, quæ à Deo infuſæ dicun-

dicuntur, neque per hactenus dicta tolli habitus intellectuales, nisi juxta illam sententiam, quæ putat, nihil differre à speciebus, sive simpliciter, sive certa lege & modo coordinatis; an verò dentur nec ne, nihil hîc dicimus, sed ad proprium locum reservamus.

Objicies sequi Animas à corpore solutas nihil reminisci eorum quæ in vita egerunt, aut didicerunt: frustra igitur nos indefesso labore scientias comparare, quæ uno temporis momento sint ruituræ. Respondeo Scientias hîc acquisitas perficere statũ præsentem, in quo non nisi per ænigmata res intuemur, quæ, quia magnam habent imperfectionem, non dicere statum Animæ separatæ, quæ jam transit ad ordinem spiritualis creaturæ, ac proinde sicuti alium ordinem essendi, ità quoque novum modum operandi, similem modo intelligentiarum acquirere debet; qui modus fit per essentiam & species, sivè ab anima, vi æternæ prædestinationis, positâ iam conditione per animæ separationem, emanare sivè à Deo creari dicantur, ita illo statu exigente; beatis quidem ad Gloriam, malis verò in pœnam & confusionem, ut & Dei justitiam agnoscant, & unde exciderint, & ob quæ ipsi malè torquentur, meminerint. Nec sequitur nos frustra studiis insudare, cum hæc sit perfectio animæ pro hoc statu, & quædam inchoata beatitudo, & veluti semen ad futuram felicitatem.; pro mensura enim scientiæ hîc acquisitæ, cæteris paribus, scientiam quoque illam metemus uberiorem, juxta illud Eccles. fulgebunt docti sicuti stellæ firmamenti. Sed jam tempestivum erit, posteaquam in communi de modo cognoscendi sufficienter egimus, ad explorandum singulas actiones gradum promovere hoc ordine servato, ut à simplicioribus ad magis compositas ingrediamur. Et prius quidem de illis actionibus quæ nobis cum brutis sunt communes, inde vero homini magis proprias, juxta illam rationem quâ intellectu & voluntate, & quæ illam sequitur libertate, is pollet.

Cap. XIX.
De Actionibus, tùm quæ brutis sunt communes, tùm homini propriæ.

Est autem prima & simplicissima actio non tantùm in se, ità non

omnes actus animæ sunt simplices & absque compositione, sed etiam in ratione objecti, sive conceptus objectivi, quâ anima similiter eo modo quo sensus objectum præsens intuetur, ipsa illud idem absens, vel independenter ab objecto sive externa imagine sibi effingit: ut cum hominem aut bovem aut plantam, aut aliud quid sensu perceptum nobis imaginamur. Et in hac nulla esse potest deceptio neque error, aut inæqualitas; phantasia enim speciem à sensu productam perfectè imitatur & hoc modo dicebamus essentialiter non differre à sensu, propterea quod idem objectum, eadem repræsentatio, & eadem sit anima. Itaque illa tantùm objecta, quorum species recipit sensus, ità possunt animæ repræsentari: quæ omnia sunt positiva & sensibilia per se, atque singularia: cui verò deest talis conditio, nullam speciem sensui imprimit. nam neque res spiritualis, neque universale, neque privatio hoc modo cognosci potest; quin neque dulce & candidum simul per modum unius objecti: quia non per unum sensum sed per plures cognita & à se veluti divulsa ope phantasiæ rursum uniuntur, quod non fit absque aliqua compositione.

Dices, tametsi objectum per plures species distrahitur in totidem sensus, omnes tamen in phantasia colligari juxta à nobis dicta. Unde sequitur notitiam speciei ita colligatæ & quasi compositæ priorem esse, quam si unam absque alia & quasi divulsam cognosceremus: Propterea quod ad talem cognitionem abstractio fit necessaria, quæ utrumque supponit, & quod abstrahitur, & à quo fit abstractio, jam esse nota. Respondeo aliud esse species sensuum diversorum cognosci simul, aliud per modum unius cognosci; nam primo modo non solùm quæ uno aliquo sensu, sed etiam diversis simul tempore à nobis percipiuntur, etiam simul in phantasia inter se colligata recipiuntur. Itaquè species mellis visi & simul gustati, à phantasia simul cognoscuntur, sicut species montis & auri ex eo quod simul sit, non sequitur per modum unius cognosci, non enim aurum ipsi monti attribuitur, sed utrumque per se & distinctè repræsentatur, ita species dulcedinis & coloris mellini potentiam simul movent, neque tamen unum alteri attribuitur ex vi talis perceptionis. Operatio hæc

Animæ

Animæ non excedit perfectionem, quam habent ſenſus externi omnes ſimul ſumpti: & tametſi una ſit anima, quæ omnia in nobis operatur: Neque enim potentias ſuperadditas veriſimile putamus, quæ vel à ſe, vel ab anima differunt plusquam rationis: Quemadmodum rectè docet Scotus in 2. d. 16. qu: unica. D. Bonaventura in 1. diſp. 3. qu: 3. & ex parte accedit Durandus, quoad potentias animæ vegetativæ. Non tamen negamus ob varios operandi modos, varias potentias animæ eſſe attribuendas, quæ ex ordine quo in ſuum quæque fertur objectum, nomen & formalem rationem deſumit, quomodo in unaquaque re plures gradus diſtinguere ſolemus, ut cum hominem dicimus animal rationale, & corpus ſenſibile, & ſubſtantiam animatam. Juxta hoc fundamentum enitemur cuique potentiæ cognoſcitivæ proprias actiones aſſignare. Hanc autem animæ vim, qua ipſa ſenſus externos aſſequitur, illorum objecta per ſpecies ſibi communicatas percipiendo ſenſum communem rectè dici putamus, qui ex eo ità dicatur, non quia ſit participabilis à pluribus, non enim poteſt prædicari de aliquo ſenſu particulari; ſed communis dicitur tanquam reſpublica & totum, in quo omnium partium perfectiones ſint collectæ. Quia verò ad ſenſum communem pertinere dicunt, non ſolùm externorum ſenſuum objecta, ſed etiam illorum differentiam cognoſcere. nam ſicut album à nigro, & magnum à paruo viſus, & dulce ab amaro guſtus diſcernit: ita ſenſus communis tùm hæc eadem à ſe, tùm verò colores à ſaporibus diſtinguit, quod nulli ſenſui particulari eſt conceſſum. Videndum qualis ſit hæc actio, quæ differentiā hoc modo attingit. Et videtur quædam comparatio intervenire; nam cognoſcere album à nigro differre, æquipollet huic enuntiativæ, album non eſt nigrum, vel indefinitè album eſt non nigrum: Et quia repugnat ſenſibus externis notitia comparativa, neque ſenſui communi illam concedimus; par enim utrobique videtur ratio. Itaque cognoſcere unum ab alio differre cum ſua differentia, quæ quaſi materialiter & virtute continet alterius negationem; quæ deinde formaliter & ex preſſè cognoſcitur à ſuperiori facultate, ſivè æſtimativâ, ſive ab intellectu. Dicitur verò ipſe ſenſus diſtinguere inter huiusmodi objecta, quia princi-

pium

pium facit talis distinctionis, quam virtus illa superior perficit & absoluit. Præterea dicunt sensum communem externis sensibus cooperari, & tanquam causam essentialem influere ad singulorum actiones, ita ut sine hoc concursu nihil agant sensus externi. Verùm quia hæc opinio ex falso procedit fundamento, supponunt enim realiter à se differre potentias animæ, eo à nobis jam everso, spontè & ipsa corruit. Et licet daremus ita esse, non tamen videtur necessarius talis concursus, nihilominus rectè dici affirmamus, quando negant sensum externum absque interno posse operari, nam cum idem sit cum illis non potest à seipso separari: una enim virtus animæ objectum sentit & imaginatur; quia tamen diversis principijs ad hoc movetur, diversas inde recipit denominationes. Et hæ actiones nobis cum brutis sunt communes; an verò dentur similes à solo intellectu productibiles ambigi potest; nam cum operatio intellectus distingui soleat in primam, secundam, & tertiam, videtur illa quæ prima dicitur huic esse similis: Nam cum careat falsitate, carebit & omni compositione, erit igitur omnium simplex; quod enim compositum, errori obnoxium esse videtur, deindè multa sunt objecta quæ effugiunt sensum, ut quæ nullam speciem ipsi transmittant, v. g. Deus, bonitas, sapientia, qualitas, anima, intelligentia: quæ intellectus cognoscendo nullam facit compositionem; igitur ad actiones simplices referri debent. quod ut expediamus, adverte in potentiis esse veluti gradus perfectionis, quâ una alteram excellit, ità ut, quæ dignior, contineat totam alterius perfectionem, & insuperaliam sibi propriam, sivè illa in perfectiori modo eadem objectâ cognoscendi, sivè in extensione ad plura objecta consistat. Numerum verò potentiarum cognoscitivarum hac fere ratione inimus. Omnis cognitio incipit à sensu, sensus autem fit per speciem ab objecto illi transmissam, vel itaquè illa tantùm objecta, quæ species sensibiles repræsentant, cognoscuntur, eo prorsus modo, quo à sensibus externis cognosci solent, vel aliquid ultra cognoscitur, quod quidem species transferre non potuit, in objecto tamen continebatur; vel demùm quod neque erat in objecto, neque inspecie repræsentatum. Et à primo modo operandi dicitur sensus communis; à secundo phantasia, sive

sive æstimativa, aut etiam cogitativa; (sicut enim hæc unius rei plura nomina) tertius modus constituit intellectum, sicut perfectio in eo consistit, quod præter illa omnia quæ phantasia & sensus communis cognoscit; insuper multa alia, & potissimùm proprios actus, & modum cognoscendi attingit, quæ summa est perfectio rationalis creaturæ. Frustra ergo quærunt an intellectus cognoscat singularia; cum enim una virtus sit animæ, necesse omnia cognoscibilia ipsum percipere, & cum ipse sit phantasiâ & sensu communi superior, attinget illorum objecta, quæ non possunt esse nisi singularia. Ad perfectionem autem æstimativæ pertinere dicimus insensatas rationes cognoscere, talia nimirùm quæ nequeunt species repræsentare, ut bonum, malum, jucundum, molestum, amicum, inimicum; Deinde ipsa quidem objecta per species repræsentata, non tamen prout sunt re ipsa, sed prout esse possunt variis modis inter se permista & complicata, ut cum speciem auri & montis conjungentes montem aureum effingimus. hoc autem tribus modis fieri potest; objecta omnia sensata, vel omnia insensata, vel hæc cum illis permiscendo.

Objiciet aliquis, falsum videri objectum tale esse potentia, quale ipsum effingit phantasia, non enim possibile Chymeras, Centauros, Actæonas, & alia monstra innumera eo modo esse, quo ipsa effingit phantasia. Respondeo duplex esse objectum per se, & per accidens, & huic quidem repugnare talem modum existendi, cum substantiæ nequeant taliter misceri; at quod per se & propriam speciem sub sensum cadit, non repugnat, imò necessarium omnem illam mistionem subire, quoniam species repræsentare solent. Hæc de numero potentiarum; nunc rursùm de actibus dicamus. Et quod attinet propositam de prima intellectus operatione dubitationem, eam rejicimus ad illum locum, in quo actiones intellectui proprias expendemus. Hîc enim magis commodum videtur absolutis jam functionibus sensus communis, ad actiones æstimativæ progredi, propterea quod hæ cum brutis nobis sunt communes, commune autem privatò anteferendum. Igitur post actionem sensus communis, aliam actionem propriè sequi ponit Hieronimus Fracastorius, quam ipse subnotionem appellat, eamque ita describit; quod sit cognitio

qua sub uno quodam apprehenso, multa alia simul confuso quodam ordine sese offerunt: Ad quæ consequenter movetur anima unum post aliud ceu inspectura. Quod ille duobus modis fieri dicit, uno quidem actu, operante sc. circa illa sensibilia, altero per solas species in animo reservatas; rationem subdit, quia sensibilia animæ offeruntur, eo pacto quo sunt in re, sunt autem ferè semper unum per accidens, in quo multa sunt conjuncta, ceu in toto quodam: hinc fieri ut Anima prius totum apprehendat, conjuncta verò quæ simul offeruntur, veluti de longè & confusè sentiat. Ad quæ distinctè percipienda quodam ordine feratur. Hoc ille exemplo nemoris ita conspecti declarat: Viso inquit nemore ceu toto quodam, in quo & hæ pinus, & hæ fagi, insunt, non cessat anima, donec & has pinus, & has fagos norit: & rursus spectata fago ceu toto, in quo truncus, rami, folia, baccæ continentur, ad singula spectanda se convertit. Exemplum verò alterius motus non jam existente sensu, ut, si viso nemore mox inde digressus, postea per partes ipsum evolvat. Et licet videatur per illa exempla de uno aliquo objecto determinare, cujus partes ità confusæ per illum motum animæ explicentur: nihilominus de omni progressu, quo anima ex una specie in aliam fertur, hîc agere, confirmant ea, quæ postea subnectit in reddenda causa, cur non omnes species, neque semper, neque æqualiter moveant, cum omnes animæ sint præsentes & simul in uno puncto. Itaque quid ipse de hoc, & quàm rectè sentiat, sit videndum; supponit autem veluti principia dicendorũ: Primò, non omnes species æqualiter animam commonere, sed illas prius & fortius, quæ magis sunt actu. Secundò ad intellectionem non sufficere præsentiam speciei, sed insuper requiri applicationem seu attentionẽ. Tertiò sicuti ad oblatum bonum & habitum lætitia fit, ità ad oblatum, sed non habitum, vel non bene habitum, tristitia: ex tristitia autem nasci appetitum & prosecutionem illius boni. His præmissis, dicit ille, animam se movere nihil aliud esse, quàm applicari ad unum aliquid: verùm cum ille idem dicat, animam intelligendo nihil prorsus agere, sed tantùm pati, intellectionem verò esse meram repræsentationem factam animæ à specie ità recepta, erit supervacanea talis attentio. Cum enim dicitur speciem objectum animæ repræsentare

fare, vel idem est repræsentare, quod esse in subjecto animato; vel præter informationem subjecti requiritur aliqua nova actio; priori modo cum omnes sint in uno subjecto, omnes actu repræsentabunt. si autem posterius dicatur, cum omnis actio sit productio alicujus, vel illud erit similitudo objecti, vel aliqua alia entitas; & per hanc quidem Anima nihil intelliget; illa autem cum sit species objecti, quomodo & ipsa ab anima cognosci possit, non minus erit dubium. Deinde cum non liberè, sed ex necessitate agant species, nō est ratio cur hæc potius quàm illa agere debeat. Quod si dicas, ad hoc ut sequatur effectus, requiri dispositionem subjecti, quæ alia in aliis, in anima verò sit ipsa attentio; & cum anima non ad omnes simul attendat, non omnes producere suos effectus, refellitur ex eo; vel enim sufficit attentio ejusmodi ad omnes species noscendas, vel pro numero specierum tot esse debent attentiones, quemadmodum ad formas diversas diversæ exigi dicuntur dispositiones: at hoc quidem incredibile, neque explicabile, in quo consistat ratio cujusque attentionis, & quo modo à se differant. si prius sufficit, igitur cum anima se veluti applicavit, omnes species æqualiter sua objecta repræsentabunt. Respondet ille, non omnes species æquè fortes esse, ac proinde fortiores animam præoccupare. Sed contra, quia si ità species minus fortes nunquam possent ab anima cognosci, utpotè à fortioribus impeditæ; quam objectionem quis ità diluet, cum illis speciebus, cognosci quoque species minus fortes, sed obscurè magis & minus, prout aliæ aliis agendi efficaciâ præcellunt. Itaque quia per modum boni, & non habiti repræsentantur, oriri ex illa obscuritatis umbra, in anima tristitiam, & inde appetitum, quo nova acquiritur attentio ad ulterius distinctiusquè illam speciem introspiciendum. Verùm hæc otiosa sunt figmenta, in quibus plures errores, quàm verba continentur. Nam quæro inprimis an simul omnes species quæ insunt animæ, ipsam movent ad actum intelligendi, ità nimirùm, ut aliæ quidem distinctè, aliæ confusè, idq; magis & minùs, omnes tamen aliquomodo percipiantur: an ad certum usque numerum excrescat illa multitudo, ut v. g. species fortissima distinctissimé sentiatur, reliquæ eo ordine quo viribus agendi cedunt debilius, donec aliqua nequeat tandem cognosci.

Et

Et illud quidem incredibile videtur infinitas quasi species, tametsi confusè, simul tamen radiare, & ab anima cognosci; quod nemo unquam in se fuit expertus. Deinde sequeretur talem seriem debere esse inter objecta, quæ phantasiæ tum offeruntur, ut illa prius occurrat, quorum species magis sunt fortes, quod ipse libenter admittit: At verò experientia reclamat, nam species privationum fortitudine cedunt speciebus formæ oppositæ, & earum, quæ per accidens cognoscuntur, rerum, speciebus per se cognitarum; & color luce speciem minus fortem facit, & tamen illa prius quam hæc sæpenumero occurere solent. Quod si non omnes species actu movent intellectum, tametsi demus posse progredi animam ab his quæ clarè & distinctè intuetur, ad ea quæ licet obscurè, aliquo tamen modo ipsam movent, cum & appetitum & desiderium sui dicantur excitare: Ad illa tamen objecta, quorum species veluti tenebris sepultæ delitescunt, nequaquam poterit anima seipsam promovere: Quod enim nullo modo cognosci, neque ullum appetitum excitare potest.

Dices, quando anima se applicat ad clarius intuenda quæ non nisi obscurè allucebant, deserere illa objecta jam fastidita, quibus ante fruebatur. Itaque fieri ut novæ species tanquam Proci incipiant se insinuare & animæ cubile tentare. Verùm nulla ratio assignari potest, cur inter tot species hæc potius quàm illa succedere debeat in locum vastæ repudiatæ; non enim potest esse illa, quam isti fingunt, major minorvè agendi efficacia, propterea quod indifferenter, nullo tali ordine servato, modo fortes, modo debiles species nobis occurrant. Deinde quid causæ erit, quod sivè audito, sivè viso Leone protinus occurrit Leo à Samsone discerptus, aut à Semiramide confossus, aut à Hercule collisus? quod si enim dicas speciem Leonis præexistentem, accessu similis speciei robur acquirere, dicetur species Samsonis, aut Herculis, aut Semiramidis, ut & hæ præ alijs nobis occurrant? Præterea quomodo fieri potest, ut fortissima species ab intellectu deseri & separari possit? Ridiculum enim propterea quod ipsam fastidit intellectus, tanquam accepto repudij libello sponte subire exulatum. Quin sæpè experimur quasdam species tàm pertinaciter animo insidere, ut nulla vi obsistere aut eas impedire valeamus; Ità enim quandoque evenit ut alicuius Poëtæ versum,

ſum, aut ſententiam, aut cantionem, etiam nobis invitis, in animo hærere, aut repulſa identidem redire ſentiamus. Cum igitur ſpecies neque ſua ſponte inhibeant actionem, neque ab anima ad hoc cogi poſſit, erit ſemper talis actu: Nam ex parte animæ requiritur ſola attentio ad effectum ſivè producendum, ſivè productum conſervandum. Sed cum dicitur anima ad aliam ſpeciem ſe applicare, manet ſemper illa attentio. Quod ſi dicas aliam eſſe, nihil refert, vel enim erit talis attentio major, vel minor, vel æqualis priori, ſed ſivè hæc, ſivè alia eſſe dicatur, erit quæcunque magis idonea ad impreſſionem fortis, quàm debilis ſpeciei recipiendam. Neque dici poteſt attentionem ab una ſpecie avocatam transferri ad aliam, quemadmodum à re nobis moleſta viſum transferre ſolemus: Propterea quod omnes ſpecies dicantur eſſe ſimul in uno puncto, & quæcunque attentio unam reſpicit, neceſſariò omnes alias reſpicere debet. Occurrit Fracaſtorius, animam intendi vel applicari ad unum aliquid, nihil aliud eſſe, quam illius inſtrumenta moveri & veluti aptari: Hæc autem inſtrumenta eſſe ſpiritum, nervos, & membranas; in illa itaquè attentione multùm ſpiritus in unum coire, nervos autem & membranas tendi, atque omnem animæ virtutem ad illud unum applicari. Sed ineptè hæc omnia, non enim ſatis eſt, ſi quis dicat ad ſpeciem unam præ aliis ſentiendam, nervos aut membranas intendi, aut ſpiritum ità coire: Sed adjicere oportet quèm uſum unaquæque particula adferre debeat ad illum finem: Quid enim refert nervos intendi, an ut ſpeciebus per illos iter expeditum eſſe poſſit, an ad aliquam motionem obeundam? & ſimiliter an propterea tenditur membrana, ut ſpecies in ea æqualiter & inoffenſè recipiatur, an ut per illam tenſionem tranſparens effecta ſpeciem transmittat? Oportet enim aſſignati à ſe officij uſum tenere, niſi nugator otioſus, quàm Philoſophus ſubtilis dici velit. An profectò cum omnes ſpecies ſimul in uno puncto conſiſtant, mirabile, quomodo hæc qualiſcunque inſtrumentorum aptatio ad unam & non ad alias ſpecies ſe extendat. Hæc de progreſſu in communi, quem Anima dicitur ſervare in ſpeciebus ordine quodam recognoſcendis. Nunc de particulari progreſſu objecti unius confuſè cogniti agamus. Dupliciter autem hoc fieri dicitur. Primò ſenſu operante; Secundò

 per

per se abque illius concursu. Exemplum primi adducit nemus, quod ita visum, primò speciem confusam exhibet sensui, quæ neque pinum, neque fagum, neque aliam arborem distinctè repræsentat; postea incipiunt singula evolvi, & clariùs elucere; nam & pinus, & fagos, & abietes anima discernit, tùm cuiusque arboris partes & ramos, & folia, & baccas. Hunc autem modum negant à sensu proficisci, sed ab interiore anima, quæ simul cum sensu fit actu. Conjuncta verò, in quibus fit talis subnotio, appellant ea omnia quæ communi loco, situ, figura, subjecto, actione, similitudine, vel etiam aliter fuerunt conjuncta: Itaquè non modo in his quæ sunt unius sensus, sed etiam in diversorum sensuum speciebus fieri subnotionem. Si itaque hanc evolutionem ab anima, dependenter tamen à sensu fieri putat, ut illud objectum, vel partem objecti distinctè percipiat, cuius distinctam speciem sensus recipit, non est quod ipsi contradicamus. Sed quid tandem ita dicens novi attulit, ut oportuerit tanquam novum inventum, novo nomine insignire? Videtur tamen non hoc ille dicere, sed aliud longè magis incredibile, ut posteaquam Anima speciem à sensu recipit, tametsi confusam, possit nihilominus talis objecti partes, & quæcunque illi per accidens connexa sivè ad unum sivè ad diversos sensus pertineant, evolvere, & distinctè citrà opem sensus imaginari. Hoc enim illis verbis declarat, cum dicit idem fieri non existente sensu, servatis in anima speciebus ut si viso nemore contingat mox abire. Sed quàm falsum hoc sit, experientia quemque docet: Quis enim unquam inspectis ita confusè litteris, singulas postea evolvit, aut didicit? felices nos, si ità esse possit, brevi enim grandia volumina inspectis solùm obiter singulis paginis, animo recipere possemus, quæ postea anima per otium evolvat. At ille hanc animæ vim etiam ultrà extendit ad illa omnia, quæ loco, situ, subjecto & alijs modis fuerunt conjuncta. Itaquè, si quis hortum aut pratum aspexit, omnes arbores, omnes flores, omnium folia, fructus, & in illis singulos colores, odores, sapores, & qualitates actu perceptibiles distinguere licebit: Quod quàm falsum & impossibile nemo nescit. Etenim cum ipsi eadem species sit in imaginatione, quæ erat in sensu, hæc autem partes objecti non nisi confusè repræsentârit, quomodo poterit easdem ali-

aliquando distinctè repræsentare ? quod si quis enim ad rem nimis dissitam, unde non nisi confusè videri potest, aciem intendat, & dies totos ita laboret, nihilo melius videbit, neque partes à se discernere, nisi aut ipse propiùs accedat, vel obiectum eousquè admoveatur, unde species distinctè possit allabi. Igitur multò minûs in sensu interno proficiet species, ut, quæ jam longiùs à sua origine recessit: & quid attineret tàm curiosè objecta intueri, si anima speciem quomodolibet confusam postea distinguit? Dices experientia constare, nos ubi nemus taliter aspeximus, continuò in eo quasi versari, diversasque arbores coram & distinctè intueri: Quod non videtur alia fieri ratione, quam per talem partium evolutionem. Respondeo esse quidem in Anima talem motum, non tamen evolvi species illius nemoris ità confusè à nobis conspecti, ut quibus repugnet talis evolutio: Verùm alias species in Anima delitescentes à specie nemoris recenter appulsa, tùm excitari: Nam quia aliàs diversa nemorá, & in illis varias arbores fuimus conspicati, viso rursum nemore, illius species quomodocunque admissa excitat, ob similitudinem naturæ, species nemoris atque arborum jam ante à nobis cognitarum: Inde verò aliæ atque aliæ eo ordine succedunt, quo priùs fuerunt admissæ. Non igitur species arborum distinctè apparentes referri debent ad nemus, ità confusè visum, sed ad aliud nemus distinctè à nobis sensu perceptum. Cuius signum evidens hoc esse potest, quod inter simulacra illarum arborum nonnullas intuemur, quæ in toto nemore nequeunt reperiri: Deinde quia illud tantùm dicitur evolvi, quod confusè ad sensum defertur: At nos in media sylva videmur nobis versari, unde nulla species ad sensum transmitti potest. Vana ergò sunt omnia quæ ille de subnotione fingit. Nihilominus tamen dicimus esse talem motum in Anima, quo ipsa à toto ad partes, & à specie confusé ad distinctam fertur: Nequaquam tamen phantasiæ attribuendum, aut brutis posse convenire, neque simplicem notitiam ad hoc sufficere; ut, cum nobis se se offert imago leonis ita confusa, necesse prius cognoscere intellectum, quod talis imago sit confusa, qui ubi proposuit utilitatem ex clara illius apparitione, protinus nascitur appetitus, & quidam animæ conatus ad distinctè illam speciem habendam. Quod quomodo

fiat in ſententia Fracaſtorij, qui omnes ſpecies ita confundit, nemo expedire poteſt. Nos verò quia ſupponimus alio loco ſpecies aſſervari, alio recognoſci, dicimus hunc animæ conatum, quam motionem organi ſentientis, quâ ipſi ſpeciei occurere geſtit, & veluti manum porrigit, eo prorſus modo quo docet Scheinerus tunicam retinam atque cryſtallo idem variè ſeſe configurare, & ad ſpeciem diſtinctè recipiendam coaptare. Dupliciter autem conſequitur intellectus ſpeciem diſtinctam, uno modo, cum illa ipſa ſpecies confusè recepta, debitâ organi aptatione veluti explanatur, eâ ratione, quâ charta cùm vel longiùs remota, vel minus vicina foramini picturam aſſequitur exactam, eum juſto incipit abeſſe intervallo: alio modo, cum non eſt poſſibile organum ita diſtendi, ut pictura incidat diſtinctè, quia videlicet talis imago naturâ ſuâ eſt diſtorta vel confuſa, unde in omni diſtantia talis apparet. Cum igitur aliæ atque aliæ imagines in anima excitantur, donec, qualem expetebamus, ſeſe offerat. poſſunt enim plures ſpecies unius rei non uno modo ineſſe, prout clarè vel obſcurè, diſtinctè, vel confuſé, diverſis vicibus fuit à nobis percepta. Cur autem fiat quod interdum non aſſequimur diſtinctam rei quæſitæ ſpeciem, interdum facilè & quaſi ultrò ſe nobis offerat. Hoc enim pictoribus uſu venire ſolet, quibus non omni tempore licet pari felicitate eſſe ingenioſos; hanc afferimus cauſam, quod plures ſint ſeries ſpecierum, atque una quælibet ſpecies puncto ſimilis habeatur, unde multæ lineæ quaquaverſùm excurrunt, quia itaqué in aliqua tali ſerie confuſam unius rei ſpeciem non alia ſequitur diſtincta, fruſtra illam ibi inquirimus. Illud autem propterea fit, quod talis ſeries & ordo exiſtit ſpecierum, qualem nos aſſerimus in recipiendis ſpeciebus: At non ſemper poſteaquam rem-quampiam confuſé aſpeximus, eiusdem phantasma diſtinctum exprimere curamus, ſed ab illa re confuſé cognita ad alia atque alia objecta deferimur. Ut ſi quis ſyluam eminus aſpiciat, inde campos & prata, & valles, & montes, rurſumque ſyluæ propior factus eandem, nec dum tamen, claré intuetur, & mox vallem ingreſſus, aſpectum talis ſilvæ amittat, nunquam poſtea toto itinere videndæ. Econtra fit ut aliquando diſtinctam ſpeciem recipiamus, abſque eo quod prius confuſé rem intuiti ſumus, ut ſi quis in itinere varia

varia phantasmata retractans, quæ vel objecta, vel ſpecies internæ excitàrint, repenté leonem aut feram aliam, aut latrones propé ſe videat, protinus à tali objecto diſtinctè ſenſu percepto ſpeciem diſtinctam interno ſenſui committet. Cum itaque pictor ſylvam aut leonem depingere volens, illius quaſi ideam quærit à memoria, prius quidem ſilvam aut leonem confuſè apprehendit, aut etiam ſolius vocis ſimulachrum, ut ſi quis ab eo tale quid fieri petat, hoc itaque ſimulachrum memoria ita receptum cum omnibus ſpeciebus, quæ quomodocunque leonem aut ſilvam repræſentant, unitur: non aliter ác punctum in circulo deſignatum omnes ſimul radios attingit, non tamen omnes ſpecies excitat, ſed illam quæ magis erat prompta excitari. quod ſi itaque ſpecies illa excitata, in tali ſit ſerie, in qua nulla diſtincta ſpecies occurrit illius ſilvæ nunquam phantasma diſtinctum habetur, ſed interdum in ſilvas magis minusvè confuſas, interdum in alia objecta incurret.

Rursùm igitur à confusa illa ſpecie quaſi rediens & aliâ viâ ingreſſus novam ſeriem excutiet, donec tandem in aliqua ſpecie, vel tali, qualem petebat, vel quali contentus eſſe debet deſperatâ meliori, conquieſcat. Verùm hic motus non eſt à phantaſia; non enim illa ſiſtere poteſt ſuum motum: Sed intellectus qui præſidet imaginationi, aptasque ſpecies ad finem à ſe intentum ſeligit. Neque tamen intellectui omnimodè patet ille motus, sed tantum indirecté, quatenus occaſionem dare poteſt, ſive ſiſtendi, ſive producendi talem motum. Occaſio autem dupliciter fieri poteſt, interné & externé, & hoc quidem modo per sensus, ut ſi v. g. ad Leonis phantaſma diſtincté habendum ipsum leonem, aut excellentem picturam intuemur, ita enim pictores per alias picturas, suas juvant phantaſias. Et qui Cæleſtium rerum contemplationi ſe ipſos conſecrârunt, eiusmodi objecta ante oculos compararo, quæ non niſi ſpecies rerum ſacrarum excitare valent. quod autem non omnes æqualiter per hæc moventur, alius enim viſâ tali imagine ſe ipſo melior effectus inde diſceſſit, alius nihilum profecit, alius inſuper in Deum fuit blaſphemus, horum omnium hæc eſt causa, quod ſpecies non excitentur niſi à ſimili, vel ab ea, cum qua fuerat colligata. Nihil ergo proficiet crucis aut Chriſti aut ſanctiſſimorum pictura in

 illo-

illorum animis, qui talem picturam cum sanctis cogitationibus nusquam colligarunt. Loquimur autem hîc de motu naturali, non verò de illa supernaturali motione, quâ Deus suâ immensâ bonitate nos inclinat & veluti trahit ad bonum. Occasio interna fit ex retenta specie objecti, cujus adjuncta, vel illius speciem magis distinctam inquirit intellectus, ut cum v. g. leonem concipimus confusè, quem distinctè volumus imaginari, non dimissâ illa Leonis specie seriem evolvit intellectus & singulas species concurrentes comparat ad illam primam; quod si jam tales species comparere incipiant, cum quibus probabile sit nihil commercij vel unionis habere speciem Leonis, protinus deserit illam seriem, & ad aliam ab illa quoque specie exortam se convertit.

Duo autem hîc sunt explicanda. Primum quomodo intellectus phantasma remorari possit; alterum quomodo species à sensorio excludere, vel nondum ingressas impedire. Ad hoc verò noscendum faciet analogia sensus externi: nam sicuti visus posito ante se objecto non omnes illius partes æqualiter intuetur, sed illud quidem quod determinat axem oculi distinctè, alia verò quæ circa axem orbes suos colligunt magis ac magis confusè pro ratione distantiæ cujusque: ità quoque in órgano interno se res habet, non enim omnia simulacra quæ illa sentiente membrana recipi dicebamus, distinctè sua Objecta repræsentant; sed illa tantùm, quæ in parte axi analoga sunt sita: reliqua verò confusè, ad quæ distinctè percipienda axem transferimus. Quod si petas quid nam sit ille axis & quomodo transferatur? Respondeo ad primum omissis aliorum sententiis, quas alio magis commodo loco expendemus, nobis probabile videri in eo consistere rationem cur plura æquè distinctè intueri vel imaginari non liceat, videlicet animæ substantiâ limitatâ, siquidem Deus omnia in numero, pondere, & mensura dicitur fecisse. Sicuti ergò omnes aliæ potentiæ suos actus producunt intra latitudinem præfinitæ perfectionis, ità virtus intellectiva, illud quod summum est nequit transilire. Est autem duplex perfectio intellectionis, intensiva & extensiva; prior quidem cum idem actus plura objecta respicit: altera in pluralitate actuum simultanea consistit. quod itaque hæc perfectio sit finita, docet experientia; nam cum aliquem sermo-

sermonem auditu excipimus, non possumus omnes illos conceptus à tali sermone causatos conservare, sed ad certum usque numerum, & tamen necesse habemus totidem dimittere ex primis, quot de novo acquirimus. Quod si quis prioribus conceptibus inhærescere velit, nequaquam percipiet reliquum sermonem. Idem fit in sensibus diversis, si quis enim uni sensui sit immersus, non percipiet alterius sensus objecta. Si ergò perfectio extensiva, quæ minor est, suis limitibus continetur; multò magis perfectio intensiva, qualem esse dicebamus, cum plura objecta per unum actum repræsentantur. Nam speciem, quæ plura repræsentat, esse perfectiorem, inde liquet, quod per tales species intelligentiæ ordinis superioris ab aliis differre dicantur. Ex his itaque fit, quod nequimus perfectè imaginari objectum secundùm omnes partes, sed ita quidem non nisi confusè, partem verò aliquam distinctè: Non enim potest simul stare cognitio distincta, cum pluralitate objectorum; sed pro illorum numero claritas crescit, & decrescit. Quæres an omnes animæ quoad hanc intelligendi perfectionem inter se sint æquales, an aliæ aliis plura, & magis distinctè intelligant? & videtur quidem cum una sit essentia animæ rationalis, neque illius actum differre: non enim in materia recipitur, sed in anima tanquam suo proprio subjecto. Unde nihil hîc facit varia dispositio subjecti. Nihil ominus experientia constat alias alijs perfectiùs intelligere, & plura simul objecta, & magis distinctè percipere. Nam de origine testatur Vincentius Lyrinensis, ipsum eodem tempore, diversa simul dictando, totidem calamos celeritate æquâsse. Et Julium Cæsarem ferunt inter legendum responsa quoque simul dare solitum. Itaquè ex hac inæquali perfectione fit, quod alij non facilè turbantur, & inter clamores & strepitus nihilo impeditius commentantur. Hinc Cæsar

——— ——— Media inter prælia semper,
Stellarum, cælique plagis, superisque vacavit.

Alij verò facilè turbantur, & vel sibilo vel motu prætervolantis muscæ excidunt à suis conceptibus. Unde talibus solitudo & silentium amica, quia nimirùm ob imperfectionem nequeunt intendere ad plura. Quod si idem quandoque evenit ijs qui perfectione intelligendi præcellunt, dicendum in talibus toto conatu animam

ferri

ferri ad similes actus, & vires colligi ad intensionem talis actus. Unde accedente alio objecto, si anima ad illud cognoscendum se convertat, necesse desinere illum actum, qui omnes animæ vires occupabat. Quæ autem est ratio huius discriminis & inæqualis perfectionis? an dicendum, tametsi omnes animæ una specie atoma continentur, differre tamen à se individuali perfectione? ita enim habet articulus Parisiensis, si quis, inquit, dicit omnes animas ab origine esse æquales, errat. Quoniam aliàs anima Christi non esset perfectior quam anima Judæ. Idem videtur sentire D. Thomas nam in 9. sententia dist 8. 9. 5. a. 2. ait animam, quæ ad corpus melius dispositum ordinatur, esse perfectiorem. Et in 2. dist. 21. q. 2. art. 1. Affirmat ob hanc proportionem animam primi Parentis digniorem fuisse quam animam Evæ.

Item Capreolus Hispalens. Joannes Major. Richandus, Albertus Ægidius Ferrariens. Javellus. Cajet. Abulens. à Conimb. citati libro 2. de anima qu. 5. art. I. Quæ sententia si vera esse admittatur, facilè se expediet ab hac difficultate: perfectiorem enim modum essendi, sequitur perfectior modus operandi. videtur autem his argumentis posse stabiliri. Primũ deducitur ex hoc ipso quod in controversiam fuit adductum, & cujus causam inquirimus, videlicet ex diverso & inæquali modo operandi; nam cum animæ aliæ aliis perfectiùs operentur, non tantùm quoad actiones in materia receptas, sed etiam immateriales, quales intelligendi & volendi actus, neque talis inæqualitas ad materiam referri possit, reliquum est ut in anima consistere dicatur radix inæqualitatis, quæ nequit alia esse, quàm singularis jam dicta perfectio. Secundò, anima habet ordinem ad corpus qualecunque, sed certum & determinatum, igitur ex inæquali corporum, ad quale unaquæque ordinatur, perfectione, erunt Animæ inter se inæquales, & perfectior illa quæ corpus respicit magis perfectum. hæc autem perfectio, unde oritur talis respectus ad diversa corpora, non potest aliunde nasci, quàm ab essentiali Animæ perfectione Quod autem Anima respiciat certum aliquod corpus, probatur ex absurdo quod sequitur partem oppositam: quia si anima indifferenter se habet ad quodcunque corpus, poterit Deus absq; miraculo in corpus quod erat Socratis mittere animam Platonis, atque

ità

ità loco Socratis Platonem generare Sophroniſcus. Ex quo ſequitur eundem effectum ſingularem poſſe produci à duabus cauſis totalibus; quod plures rectè ſentientes fieri poſſe negant. Tertiò ſi differentiæ individuales eſſent æquè perfectæ, convenirent inter ſe univocè, æqualia enim in hoc in quo ſunt æqualia, inter ſe conveniunt. at hoc eſſe in conveniens probatur: nã illud in quo conveniunt oporteret iterũ dividi per alias differentias, de quibus eadẽ quæſtio redibit proceſſu infinito. Quartò: Idem videtur probari ex diverſis hominũ ſtudijs, & varijs in clinationibus ab ipſo ortu contractis: Non enim eadem omnibus vel ſimpliciter, vel æquè bona appetibiliaque videntur: Quod aliunde nequit proficiſci quam extali differentiâ eſſentiali: Quid enim aliud cauſæ, quod ob hanc illamvè artem excolendam ferimur? alij quidem remigare, alij agros colere, alij montes ſuffodere & terræ viſcera, abſconditasquè in ea opes rimari, alij per inacceſſa & præcipitia montium juga feras ſequi, alij Æthneis ignibus inter Cyclopas deſudare & cum ferro luctari, alij Scientias & Philoſophiam colere & in delitijs habere, alij hæc eadem deteſtari, & veluti ſaxum Siſyphi aut rotam Ixionis fugere. Neque enim hæc tanquam reliqua vitia corporis humani cum ſemine transferri poſſe videntur: Cum ſæpè diſſimiles & contrarias inclinationes in prole videamus, quæ Parentum ſtudia & mores deteſtata, contraria ſequitur. Quod autem dicit Galenus mores animi ſequi temperamentum, de illis tantùm actionibus intelligi debet, quæ ex corpore oriuntur, & à corpore dependent, non verò abſolutè de omnibus. Quid enim corporis temperamentum proficere poteſt ad hoc, ut Anima ſe, ſuosque actus, in quibus conſiſtit perfectio intellectus, melius aut deterius cognoſcat? Non enim per ſpeciem talia cognoſcit, quemadmodum alia obiecta, quæ ſolùm in actibus directis cauſare poteſt eiusmodi imperfectionem. At eſto quod tales actus ſint imperfecti, qui pendent à ſpecie corporeis affectionibus obnoxia, poteſt nihilominus cum illis actibus ſtare perfectio intellectus in reliquis illius actibus. Etenim conſtat eos, qui phantaſiâ minus pollent, ſapientiâ alijs præſtare. Quin potens phantaſia videtur obſtare cognitionibus à materia ita abſtractis, propterea quod anima à rebus ſenſu perce-

X ptis

ptis præoccupetur. Itaquè fit ut difficultatem experiantur ad tales conceptus, qui vel in Metaphyſicis diu verſati, ad mathematicas diſciplinas, vel inde ad illa ſe conferunt. Non igitur perfectio ad actus reflexos pendet à temperamento, cùm non ſequatur perfectionem ſpeciei, quæ ſola poteſt tale diſcrimen in actibus directis cauſare. Et cum nihilominus etiam in his magna ſit inæqualitas, ſuppoſitâ quoque æqualitate phantaſiæ conſequens eſſe videtur, ut ex inæqualitate Animæ oriatur. Sed eſto hæc ſententia ſuam habeat probabilitatem, oppoſitam tamen magis probabilem & veriorem iudicamus: Quam inter alios tenent Durandus, Argentinas, Soncinas, Scotus, Zimara locis à Conimb. ſuprà citatis; non enim perſuadent ſupra dictæ rationes, ut patebit ex illarum ſolutione.

Poteſt autem his argumentis ſuaderi. Illa inæqualitas perfectionis, vel erit neceſſaria, vel contingens, id eſt vel ita ſe habebit ut antecedat actum liberæ voluntatis in Deo, vel illum præſupponat, at neutro modo erunt Animæ ita inæquales: nam ſi ex eo Anima primi Parentis perfectior eſſe dicitur Anima Evæ, quia Deus voluit illam hâc eſſe perfectiorem, ſequitur connexionem hominis cum Anima perfectiori non eſſe neceſſariam, ſed contingentem, ut pote quæ abeſſe potuerit, ſi Deus ita noluiſſet, non igitur erit differentia eſſentialis; quod enim idem eſt cum eſſentia, inſeparabile manet per omnem potentiam. Neque dubium eſſe poteſt ex libertate actus contingentiam oriri, eſt enim liberè velle, ita velle, ut potuerit nolle aut contrarium velle: At quod neceſſarium eſt, quia tale non ſubjacet libertati, alioquin erit haud neceſſarium. Itaque ut homo exiſtat, procedit à libera Dei voluntate; at verò ut homo exiſtat animal rationale, antecedit actum liberæ voluntatis, neq; ex illa pendet. Si ergo differentia individualis non eſt aliquid ſuperadditum eſſentiæ animæ, non poteſt illi ineſſe contingenter: ac proinde non minus æternæ veritatis erit huius perfectionem differentiæ eidē convenire, quam conveniat animal aut rationale. Nō eſt itaq; contingens has illasvè animas à Deo creari cū inæquali perfectione, ſed neceſſarium. At neq; ità differre probatur quia hæc perfectio individualis vel addit novam perfectionem ultrà omnia prædicata eſſentialia unius ſpeciei,

ita

ità ut v. g. primo Parenti illius ratione conveniat novum prædicatum, quale non convenit Animæ Evæ, vel solùm perficit illa prædicata, sive omnia, sive aliqua, sivè unum tantùm; at nihil horum esse potest: nam si illa perfectio est extra omnes gradus essentiæ, sequitur cum non perficiat ità animam, quâ rationalis vel sensitiva, nihil conferre ad perfectionem actûs sivè intellectus, sivè potentiæ imaginativæ. malè ergo colligunt ex perfectione actus perfectionem substantiæ: siquidem perfectio intellectus non desumitur ab anima simpliciter, sed quà est rationalis. Sicuti ergo si Anima perficiatur in virtute naturali, ex hoc præcisè non oritur perfectio alicujus sensus; ità neque ex singulari perfectione oriri potest actio talis speciei magis perfecta. Deinde positâ tali entitate, quâ à se differunt, individua, sequitur non tantùm numero sed essentialiter à se differre: quia à nova entitate novum prædicatum desumi potest. Et cum unaquæq; Anima non minùs ex ratione substantiæ fundet tale prædicatum, quàm gradum rationalitatis vel animalitatis, sicuti tales gradus speciem mutant, ità quoque illud prædicatum. Erunt itaque duo individua specie à se diversa: quod ulterius confirmatur; non repugnat duas animas creari cum æquali perfectione etiam individuali, ita ut solo numero à se differant; at hoc dato poterit de illis prædicari illa communis ratio, quæ desumitur ab individuali differentia utrique communi; erit igitur species; & cum non conveniat aliis individuis quæ careant illa perfectione individuali, different ab illis specie. Quod si verò illa individualis perfectio attingit prædicata essentialia, sivè omnia, sive aliqua, erit gradus ille, quem perficit v. g. rationalitas in sua formali ratione magis perfectus, ac proinde inæqualis erit prædicatio rationalis de individuis: erit enim aliud alio magis rationale, quemadmodum magis album, quod perfectiorem habet albedinem. Deinde hæc differentia vel comitatur animas cum tali ordine, ut alia alium sequatur, vel semper magis perfecta, vel ut continuò decrescat illa perfectio, vel indifferenter, ut modo Patris, modo Filij anima sit perfectior. At utramque partem priorem experientia redarguit: cum & fatui sapientibus nascantur, juxta illud; magnorum virorum filij noxæ, & vicissim ex obscuris Parentibus & interdum

naturæ belluinæ, ingenio clari, & moribus conſpicui ortum habeant. Itaque anima Socratis perfectior fuit anima Sophroniſci. At verò Ariſtotelis & Ciceronis Anima perfectione antecellebat, hæc quidem alterius Ciceronis Filii, illa verò Nicomachi animam. Quod ſi poſterius dicant, quæ cauſa erit hujus inæqualis à Deo communicatæ perfectionis? non enim exiſtimandum temerè & fortuitò ità fieri à ſapientiſsima cauſa, quæ omnes etiam modos ad optimum à ſe cognitum finem dirigit. An igitur dicendum, quemadmodum alia dona naturæ conferre ſolet ex mera ſua bonitate, ità quoque hanc perfectionem absque intuitu alicujus convenientiæ? quid itaque repugnat, ſi ità ſit, perfectiſſimam animam fore in corpore maximè imperfecto, è contra, corpora valdè perfecta animas ſortiri minùs perfectas? At nunc nullum ſupererit fundamentum, ex quo colligere poſſint illam inæqualitatem; neque enim corporis fabrica, neque actionum perfectio ſufficere poteſt, propterea quod animæ actio ſit independenter à corpore ità ut illius ratione anima perfecta malè, & minùs perfecta benè poſſit operari. Si verò arbitrantur ipſum corpus eſſe menſuram talis perfectionis, ut perfectiſſimo corpori, perfectiſſima anima debeatur, minùs perfecto talis quoque anima à Deo conferatur; quæro an Deus reſpiciat corpus quale tum in utero formatur, vel quale poſtea futurum? Si prius, ergo cum multis modis tale corpus poſſit degenerare à primæva perfectione, ſive adhuc in utero ex variis impreſſionibus à Matre profectis; ſivè extra uterum à cælo, aëre, cibo, potu, & rebus nonnaturalibus, erit multoties anima perfectiſſima in corpore ità depravato, & interdum monſtroſo, cui propterea actiones vitioſas & imperfectas oportet reſpondere. Sed neque corpus quale poſtea futurum, pro regula aſſumi poteſt; nam quodcunque tempus eſſe dicatur, erit incertùm: quia priusquam adveniat tale tempus, poterit homo extingui, & quia corporis conſtitutio pro tali differentia temporis eſt incerta à rebus fortuitò evenientibus dependens: non igitur certam animæ perfectionem poteſt regulare. demùm cum individua aliarum ſpecierum ſint æqualis perfectionis, erunt & individua humanæ ſpeciei æqualiter perfecta. neq; enim aliquam diſparitatem afferre poſſunt; nã quod in

primo

primo argumento adducunt esse actiones in æquales alias magis, alias minùs perfectas: ac proinde radicem esse debere talis in æqualitatis, quæ nequeat referri ad corporis dispositionem, propterea quod actus mentis non sint organici, sed à principio immateriali eliciantur, & in eodem recipiantur. Respondeo ita esse, quod actus sint immanentes, & à corpore neque vitiari, neque meliores reddi possint: Nihilominus diversimodè elici ab anima tales actus, pro diversa corporis, quod in format, ratione. Nam cum anima rationalis non modo sit substantia spiritualis, sed & vera hominis forma: quam diu corpus informat, manet quasi extra statum spiritualis creaturæ, & aliarum formarum legibus subjecta, unde pro ratione corporis benè aut malè operatur; actus enim mentis qualem in hac vita obtinemus, est quidem spiritualis ex vi principij efficientis & subjecti; Non tamen competit animæ quà spiritualis est substantia, sed quà talis corporis forma. Itaque licet per organa corporis non fiat actus, recipitur tamen in organo illud, quod est conditio & veluti norma talis actus. Secundum argumentum assumit animas respicere non qualecunque corpus, sed certum & determinatum: Quod quia multam habet ambiguitatem, indiget aliqua distinctione: plures enim sensus admittit illa propositio; vel enim ita intelligi debet, quod corpus perfectè formatum v. g. Petri non possit informari ab anima Pauli, vel quod idem corpus si magis perficiatur nequeat in habitare illa anima, quæ tale corpus, cum esset minus perfectum, in habitabat; quia videlicet perfectius, quam illud, ad quod anima ordinem habuerit; vel demum abstrahendo ab omni accidente, sicuti una numero est anima, ità unum numero esse subjectum; atque illa materia quæ fuit Socratis non potuerit esse materia Sophronisci. At in primo sensu tametsi demus ità esse, non efficient quod volunt; nam factâ separatione animæ & corporis, nequit illa unio viribus naturæ rursum obtineri, & anima semel corpus egressa, non modo in alienum, sed nè in proprium reverti potest sicuti ergo non bene colligitur ex eo, quod anima nequeat reduci ad suum corpus, non habere ad ipsum ordinem: ità neque ad diversa corpora relatâ defectu actus, amittet potentiam. Cum itaquè dicitur anima Petri non

 posse

posse informare corpus Pauli, si absolutè hoc dicunt, nullâ factâ suppositione, negamus. Anima enim ex se est indifferens ad quodcunq; corpus informandum, ex solâ autem Dei voluntate cum hoc illovè habet necessitatem. quod autem dicitur sequi ex tali indifferentia animæ ad corp9, potuisse animam Platonis informare corpus Socratis, atque ità Platonem generare Sophroniseus: Respondeo si de rebus loquamur absolutè abstrahendo ab æterna Dei voluntate, nihil repugnare animas proavorum infundi corporibus nepotum, & vice versa. non enim generans, neque semen, neque materia, neque ullum accidens determinare potest causam primam ad hanc illamvè animam creandam. absurdum enim ad aliquid determinari, quod nunquam est futurum: potest enim fieri ut illis omnibus jam positis, anima haud sequatur ob interruptum naturæ motum. Verùm ad perfectam solutionem hujus difficultatis oporteret metum transilire non tantùm operis; sed etiam ingenij: quis enim nobis expedietquod futurum erat, si tot mille abortus prohiberentur, an illæ quoque animæ quæ erant successivæ illis corporibus, tum prohibitæ nasci, aliquando postea sint creandæ? quin tot myriades hominum, qui vel sponte sequuntur vitam cælibem, vel ad eam coacti, aut quos, priusquam apti essent generationi

Abstulit atra dies & funere mersit acerbo.

Ab his inquã omnibus infinita multitudo natorum cũ producibilis esset, quid existimare oportet de illis animabus producibilibus quidem, nec tamen productis? necesse enim vel ab æternoDeum proposuisse certum numerum animarum creare ità quidẽ, ut cum infinitæ essent à Deo creabiles, ipse illas tantùm, quæ sunt futuræ, delegerit, quemadmodum constat Christi animam ab æterno fuisse decretam. Et tùm quidem ex vi talis decreti, quod sequitur Scientiam Dei conditionatam, oritur ille ordo, ut hiquidem Patres, illi verò filii, dicantur. Nam cum anima v. g. Socratis necessariò aliquando esse debuerit, quia Sophroniscus liberè, & non ex necessitate ipsum generabat, si vel cælibem vitam elegisset, vel ante tempus extinctus fuisset, anima quidem Socratis, non Sophronisco, sed alio quopiam generante fuisset à Deo creata. Vel ità se res habebit, ut Deus quidem non absolu-

absolutè elegerit has illasvè animas creare, sed conditionaliter & dependenter à variis circumstantiis, cum his quidem hanc animam, cum illis aliam creando. Itaque contingens erit animas ità creari propter fortuitum causarum concursum. Quod si enim Sophroniscus nolit generare, nusquam erat futura anima Socratis, quia Sophronisco, & quidem cum tali conjuge & tali loco, non alio generante, constituit Deus illam animam creare. Incertum verò si ità res haberet, quid nam esse possit, ex quo creatio talis animæ dependeat: nam vir idem cum pluribus coire, & diversis locis, & non uno tempore, & cum eadem conjuge plures generare potest, an igitur cū Socrates generabatur, si alteri mulieri se tùm miscuisset, vel in diem sequentem generare distulisset, nequaquam anima Socratis verùm longè alia fuisset creata. Eadem dubitatio esse potest de omni alio effectu, ut si v. g. loqui velim, an talis locutio, eadem sit futura, si paulò post & non jam essem locutus. Hæc inquam omnia determinare hominis est non agnoscentis ingenij sui imbecillitatem.

Breviter autem ad argumentum in primo sensu acceptum respondemus, quando dicunt animam respicere corpus non qualecunque, sed certum & determinatum, duplicem esse respectum animæ, tanquam formæ simpliciter, & tanquam formæ jam actu? & prior quidem respectus non adstringit ad certam numero materiam informandam. Alter verò quia oritur ex actuali informatione, cuius vi effecta fuit corporis fabrica, ad idem corpus, quod informat, necessariò ipsam determinat: Neque enim si Anima Petri corpus Pauli informaret eadem numero accidentia inferret: Quemadmodum ignis quilibet producere potest calorem in quacunque materia; calor tamen productus ab hoc igne numero differt à calore producto ab alio igne. In secundo & tertio sensu non esse veram propositionem inde patet; quod cum partes materiæ continuò diffluant, aliæ verò atque aliæ succedant, quæ omnes ab Anima informantur, non erit illius subjectum determinatum. Nam si omnes partes quæ diffluxerunt & quæ postea fuerunt aggeneratæ ordine essentiali ab anima respiciuntur, recipiet omnes illas partes in corporis regeneratione, atque ita omnes gigantes efficientur. & cum augmentum corpori acce-


accedit ab alimento, tale verò ſit in certum, indifferenter enim rebus veſcimur quibuſcunque, anima eſſentiali ordine reſpiciet materiam incertam, & tamen numero definitam. Corpus demum ſe ipſo perfectius redditum obſtare, quo minus anima illud informet vanum exiſtimare. *Ad tertium reſpondeo* in primis hoc argumentum valere contra omnia individua cuiuſcunque naturæ etiam homogeneæ, erit enim differentia huius aquæ, ab alia aqua, & quantitas & qualitas ab alia quantitate & qualitate ſimiliter intenſa inæqualis. Secundò dicimus individua unius naturæ differre à ſe, non per aliquod ſuperadditum, ſed tota: non enim Petro ineſt aliquid commune Paulo, & aliquid illi proprium: Sed hoc opus eſt intellectus qui rem unam à ſe ipſa diſtinguit, & veluti diſtrahit, diverſimode per plures & inæquales conceptus repræſentando, tanquam non idem ſit convenientia & diverſitas in tali re. Itaquè nec idem eſt in Petro v. g. talem eſſe naturam & eſſe ſingularem, verùm quia res una virtute pluribus æquipollet, intellectus modo ſub hac, modo ſub illa concipit perfectione, atque ita à ſe conceptæ, & aliter atque aliter elucenti diverſa attributa juxta cuiuſque modum aſſignat. Etſi itaque eadem natura individua conveniat ſimul & differat ab aliis individuis: quia tamen ſub ratione differentis concepta nihil includit convenientiæ, non eſt abſtrahibile à tali differentia aliquid commune; quis enim abſtrahat, quod in re non eſt? quod verò dicunt, ſi tales differentiæ ſunt æquales, atque ità diſtrahibilem communem illam rationem convenientiæ; dicimus differentias primò intentionaliter ſumptas, nullam convenientiam habere, ſed ſe totis à ſe differre: at pro ſecundis intentionibus acceptas poſſe fundare novas ſimilitudines. quemadmodum genera ſumma dicuntur primò diverſa & in nullo univocè convenire; nihilominus ſub ratione generis habent convenientiam, & comunem rationem generis participant, dicitur enim genus de hoc & illo genere, tanquam ſpecies.


FINIS.

CONSILIA MEDICA TRIA

JOHANNIS MARCI MARCI.

AN. M. DC. LXXVIII.







CONSILIUM PRIMUM.
Pro Illustrissima Persona in causa læsæ Generationis.

Affectus ab Illustrissimo Patiente expositi sunt hi, videlicet 1. *Memoria diminuta*, 2. *deperditio carnis musculosæ circa suras, quæ tamen non attingit reliquas corporis partes* 3. *Catharrus qui fertur ad pulmones, indequè materiæ crassæ flavæq;, interdum nigræ rejiciuntur*, 4. *frigiditas quarundam partium ut nasi, occipitis, natium, pudendi.* 5. *Impotentia coëundi, quia nunquam volenti erigitur virga, & si quandoque sponte erigatur, priusquam semen emittatur, collabitur, atque juxta illud dictum frangitur ut stramen cum venerit ante foramen, semen tamen, ubi se ipsum coëgit, profluit album, spissum & benè concoctum.*

A postremo incipiemus quia tempore alios antecessit, multùmque Medicos ingenio & arte præstantes defatigavit, ipsum verò Patientem Illustrissimum molestissimè exercet. Prius verò quid aliis visum & quibus rationibus ad suam quisquè sententiam sint perducti, expendemus.

Est autem *prima sententia* quorundam Medicorum in consultatione numero primo habita, hunc affectum ex frigida intemperie partium naturalium provenire, ratione cuius non fiat sufficiens attractio sanguinis ad illas partes, ipsa verò pars, quæ sanguinem attrahere debet, ipsum non satis perficiat, unde semen efficiatur minus probum frigidumque, quia verò semen caliditate debitaque spirituum copia destituitur, hinc est quod partes genitales non erigantur, neque solitam afferant delectationem; vias quoque à frigore angustatas, virtutemque expultricem debiliorem effectam, huc facere

cen-

censent, quia nimirûm non impetuosè sed paulatim semen excernatur; Porrò illa frigiditas partium naturalium (genitales intelligunt) ad causam ne aliquam naturalem, an verò supernaturalem referri debeat, dubitant; & cum corpus universum probè sit constitutum ità ut à nulla parte principe videatur posse deduci, neque constet de causa externa, magna oboritur suspicio, aliquid divini subesse, præsertim cum illa impotentia tempore nuptiarum dicatur cepisse. Quod attinet curationem, putant necessariam esse sanguinis probi spirituumque copiosam generationem, partium principum corroborationem, victus deniq; probam institutionem. Deinde ut sanguis & spiritus ad illas partes transmittatur & attrahatur, attractus demum perficiatur. Hoc autem non fit nisi corrigatur frigida intemperies, partes ipsæ corroborentur, musculi penis à semiparalysi liberentur. His præsuppositis rationem victus ineunt, aërem temperatum, exercitium moderatum, alimenta multum nutrientia, moderateque calefacientia, ac humectantia, flatuosa demum, quorum flatuositas duret ad tertiam usque coctionem. Huiusmodi alimentorum catalogum subijciunt. Remedia quoque tâm intrò per os assumenda tàm foris ad hibenda ab ex perientia longoque usu approbata, quæ venerem segnem sopitamque excitent. Postremò cautelam adhibent, quia nimirùm, cum eiusmodi medicamenta calida sint, ne fortè corpore repleto inflammatio ex illorum intempestivo usu oboriatur, præmittendam esse totius corporis Evacuationem.

Secunda sententia D.N.N. in literis ad Doctorem Hœrrag Medicum Egrensem, hoc modo habet. Affectum nimirum esse symptoma in genere noxæ functionum animalium aut naturalium, nempè potentiæ motricis ablatæ ipsius pudendi, quia vel non erigitur, vel si quando erigatur, confestim antequam peragatur actus flaccescit, Causam agnoscit inopiam seu defectum spirituum flatuosorum, vel certè resolutionem levem ipsius colis ortam à frigida intemperie. rationem affert quia semper friget aliqua corporis pars, modo extremitas nasi, modo occiput, modo scrotum &c. neque referri potest ad seminis defectum cum quandoque etiam sponte effluat, igitur ad frigiditatem vel resolutionem. Quod verò non dependeat ab alicuius partis, quæ in corpore principatum tenet, defectu, probat ex totius corporis constitutione vegeta atque robusta. Horum causas

magis

magis principales ſtatuere ſe una cumDoct: Rechpergero obſtructionem meſenterii & lienis atque intemperiem calidam hepatis. Ab his verò affectibus in cöeundi impotentiam dependere, naturam verò Illuſtriſſimi Patientis ad conſtitutionem Melancholicam vergere. Et quia neque hic affectus neque illæ obſtructiones per medicamenta ab ipſis uſurpata tolli potuerint, ad magis potens auxilium, videlicet Carolinas thermas, confugiſſe, quæ largiùs potæ tollerent obſtructiones, caloremque hepatis contemperarent. Nequè verendum per acidulas partium genitalium frigidam intemperiem auctum iri, ſiquidem hæc pendet à dictis obſtructionibus. Et ſi quid erroris oboriretur, per thermas Carolinas tùm potas tùm extra adhibitas corrigi poſſe.

His jam peractis videlicet hepate contemperato, ſublatis obſtructionibus, corroboratisque partibus tùm aliis, tùm verò veneri dicatis, veniendum cenſet ad remedia particularia, hactenus uſurpata, quæ fuiſſe dicit apozemata, deobſtruentia, alterantia, & per epicraſim purgantia; poſtremò ea quæ Venerem ſtimulare augereq; dicuntur. Quod ſi poſt hæc omnia malum non deſierit, maleficij magnam fore tùm ſuſpicionem.

Tertio loco ſententiam affert D.N.N. qui ut demonſtret vitioſum corporis ſtatum, in quo læditur coitus, qua ratione & modo ſecundùm naturam perficiatur, copioſè deſcribit ex Galeno. Duo, inquit ille, neceſſaria ſunt ad coitum, erectio colis, & ſeminis profuſio, ad erectionem verò tria ſufficiunt, ſpiritus nimirùm, ſanguis, & inſtrumentum; & quia erectio opus eſt non merum voluntarium, ſiquidem nobis invitis quandoque contingit, erit partim naturalis, partim animalis functio, atque ita ab utroque ſpiritu, nempe vitali & animali dependens, & ſi detur naturalis, quod in dubio relinquit, etiam ab hoc ſanguinem neceſſarium eſſe ob partium illarum nutritionem, ne videlicet gracileſcant, quod fieret, ſi vel non probus generaretur, vel eò non perduceretur. Inſtrumentum materiæ ſpirituoſæ eſſe triplex, generans, & ſunt partes principes; deferens; & ſunt nervi, venæ, atque arteriæ; recipiens; & ſunt muſculi atque ipſum pudendum. Teſtes negat ſpiritum generare, ſed tantùm ultimam formam ſemini conferre. Inſtrumentum generans debet eſſe absque culpa tàm ſuâ quàm alienâ; deferentia verò pervia; recipien-

 tia

tia demum deoppilata, atque eo modo constituta ; ut & recipiant influentem spiritum , & eundem retineant. hæc de erectione. Ad ejaculationem tria simpliciter requiruntur , generatio seminis optimi , eiusdem retentio in parastatis,& debito tempore per urinarium meatum expulsio. His præmissis veluti fundamentis ita porrò pergit. Coitus in Illustr. Viro non deficit ob ejaculationem , igitur ob erectionem ; antecedens constare ex historia,quia nimirum semen probè concoctum generetur , nequè effluat involuntariè , aut priusquam veniat ad parastatas. Est autem erectio non ablata sed vehementer imminuta , idque non defectu spirituum , siquidem partes principes non recedunt à naturali statu nequè obstat caput frigidiusculum,cum omnes actiones, naturalibus exceptis , probè & inculpatè obeantur. Neque etiam verisimile putat idcircò deficere spiritus , quia non deferantur ob levem aliquam obstructionem , vel opera mentis ,quibus distinetur Illustrissimus Patiens: sublatis enim illis curis , cum ipse sibi genioque indulget , saltem pro tunc cessaret illud impedimentum. Retractionem spirituum quæ oriatur ab imaginatione ex opinione suæ impotentiæ tristitiaque inde causata , tùm enim spiritus alii quidem in capite detinentur , alii ad cor retrahuntur, huiusmodi inquam retractionem , aliquid huc conferre pu[illegible]t , non tamen sufficere ad impediendum spiritum. Neque in sanguine subesse culpam , quia vel non probus generetur , vel non attrahatur ad illas partes , siquidem tùm hæ tùm aliæ probè nutriuntur. Superest ergò ut vitium dicatur consistere in instrumentis , non quidem generantibus , ut supra est ostensum , nequè deferentibus , quia illis ex toto obstructis prohibitoque spirituum accessu erectio prorsus tolleretur : Sed in recipientibus , non quidem in musculis, verùm ipso cole, qui ob laxitatem molemque spiritum adeo subtilem , licet copiosum nequeat retinere. Magnitudinem à sensu probat , laxitatem à nimis cita ejaculatione , patentibus venis , atque aliis sexcentis. Erit igitur hoc symptoma ex genere læsæ actionis pertinentis ad ipsum colem, partim naturalis partim animalis , idque ob retractionem spirituum , & ob aliquã obstructionem deferentis instrumenti ob laxitatem demum & magnitudinem recipientis ; Ex quibus infert morbum esse in numero deficiente & figura depravata , idque dupliciter , occluso meatu

ſtu in deferentibus, aperto nimis in recipientibus. Itaque indicationes deſumi non à ſymptomate, neque à morbo, qui eſt obſtructio, ſed à materia faciente obſtructionem; item à figura, quod enim eſt laxum adſtringi poſtulat; numerus, cum deficiat ad actionem. ſunt ergo tres indicationes, reductio ſpirituum, evacuatio materiæ obſtruentis, & adſtrictio partis, nimirum laxæ. His indicationibus ut ſatis fieret, multa adhibita fuiſſe ad conſequendum dictos jam ſcopos, & poſtremò Carolinas thermas, quas & bibere debebat, & illarum ſtillicidia excipere ad nucham aliasque partes refrigeratas; quin & incidere quasdam ad ſolvendum obſtructiones. Demum potu acidularum calorem in thermis contractum contemperare.

Quarta ſententia eſt Strobelbergeri, quam, ut probet hanc præmittit ſuppoſitionem, nimirum ſubſtantiam penis, quia ſit ſpongioſa poroſaque, non eſſe aptum erectionis inſtrumentum, cum per illos poros facilè diſsipetur ſubſtantia flatuoſa, quæ inflatum turgidumque facit penem: Idcircò duas utrinque arterias peni naturam inſeruiſſe, quæ infinitis propaginibus per ipſum diſſeminatæ concluderent eiusmodi ſpiritum. Illis ergo arterijs ſpiritu turgentibus, virgam alioquin flaccidam mox erigi atque dureſcere. Ex hoc ſequitur erectionem penis pendere à ſpirituum arterioſorum affluentia, copia, debita continentia ſeu retentione, & ſubſtantia: minui lædique ex eorundem inhibitione, inopia, diſſipatione, incontinentia, nimia raritate & ſubtilitate. Quod ſi ergò nulla portio penis erigatur atque rigeat, tùm ex toto inhiberi ſpiritus arterioſos; Si autem ſecundùm aliquam partem contingat erectio, dum ſignum eſſe vel nimium debiles eſſe ſpiritus, vel non ſatis inter ſe unitos. In præſenti verò affectu exiſtimat ſyncopen ſeu defectum ſpirituum genitalium intervenire. Cauſam antecedentem non quidem ad partes generantes referri, cum in toto corpore omnes partes copioſo ſpiritu irrigentur, ſed ad penis raritatem nimiamque ſpirituum ſubtilitatem, qui propterea, præſertim cum non bene coadunentur, facilè diſſipentur. Quod autem ex hactenus adhibitis medicamentis, tametſi optimis ad ſpirituum reparationem nullam opem ſenſerit, hanc ipſe affert rationem, quia cum pleraque eſſent calidiora, ac reſolutoria & diſſi-

dissipatoria, evenit ut illorum usu substantia membri porosa raraq; magis rarescceret, ipsique spiritus magis subtiliarentur. hanc quoque esse causam, quod ex ad hibitis thermis nullam perceperit utilitatem. Quod autem non adsit aliqua obstructio viæ spiritum deferentis ad penem, satis constare putat, tùm ex alijs innumeris deobstructionibus, tùm usu Carolinarum, à quibus si non ex toto, ex parte tolli oportebat obstructionem quantumvis contumacem: Ex his ergò infert non fore locum thermis, siquidem contraria non nisi per contraria tollantur.

Quinta sententia Wenceslaj Hilliger: Hic duo proponit, de quibus conqueritur Illustrissimus Patiens, primum, quod rarissimè ipsi erigatur virga, & si quando hoc fiat, subito, antequam actum peragat, enervetur. alterum, quod nullam ex coitu percipiat voluptatem. Illud oriri ex defectu spirituum animalium, qui propter obstructionem a crassa viscidaque materia inductam circa os sacrum prohibeantur influere in nervos penis, rationem affert, quia motus animalis à cerebro fiat medijs nervis & spiritibus. Quod autem sit obstructio circa os sacrum, constare dicit ex gravitate & lassitudine quadam proveniente circa illas partes, dum vel leniter se exercet. Quod verò aliquando erigatur virga, hoc provenire putat, quia non vero sed spurio frigidoque flatu tendatur, vel quia non adsit omnimoda obstructio. A raritate vel laxitate penis negat hoc provenire, quia cum glans partesque vicinæ frigescant, potius adstrictio quam raritas inde consequeretur. Infert ergo non syncopem sed paralysim penis adesse. Quod attinet voluptatem coitus, eam ex Galeno deducit ab acredine seu mordacitate quadam serosi humoris, titillationem inducente, atque à spiritu multo feruidoque, qui in arterijs, venis, atque nervis contentus ac agitatus eruptionem moliatur. Deesse autem hîc acredinem ob partium frigiditatem, sapor enim insipidus ad aërem mordacemque promovetur à calore: Hunc verò deesse ob retractionem ad cerebrum per assiduas curas. Sed & spirituum copiam deesse per easdem curas, neque sufficere paucorum dierum otium, quia intemperies illa jam in habitu nequeat tolli tam brevi tempore. Hinc infert usumThermarum esse conducibilem, siquidem crassos humores ac viscidos liquare & educere, intemperi-
em

em frigidam corrigere, nervos ac genitalia blandè constringere ac corroborare possunt. Quod verò hactenus non profuerint thermæ, causam fuisse dicit, quia nimis diu acidulis fuerit usus; unde frigida intemperies magis sit aucta.

Contra Quartam sententiam, quæ est *Strobelspergeri*, acriter pugnant Stroperius & Roya, Primò ipsum arguunt quod frigere dicat partes genitales ob citam evaporationem spirituum causatam à nimia laxitate recipientis instrumenti: nam cum & occiput & os sacrum atque extremitas nasi simile frigus persentiant, deberent hæc quoque frigere ob velocem spirituum exhalationem, quod est absurdum. etenim hoc pacto partes fonti viciniores, citius refrigerarentur, cum prius deseratur terminus à quo, qui pertinet ad partes anteriores. Quod si dicat per continuam regenerationem, alium atque alium succedere spiritum, eoque partes viciniores magis foveri. Respondet per hoc non probari facilem exitum, sed paucam illorum generationem. Secundò obstructio prohibens spiritum, est causa frigiditatis, ut patet in paralysi, contra raritas erit causa caliditatis non verò frigiditatis, quemadmodum ipse ponit. Tertiò cum ponit laxitatem, non addit quarum partium, omnium ne an aliquarum? quod non erat prætermittendum. Quartò errare ipsum dicunt, quod spiritus illos vitales erectionis autores nimis subtiles esse putet, non enim verisimile in ætate consistente vel potius inclinante tenuiores spiritus procudi, quam in juventute, in qua calor magis vigebat, cujus proprium est attenuare. Deinde esset eo pacto magis aptus ad venerem exercendam, quam erat olim; spiritus enim subtiles magis sunt penetrabiles. præterea constitutio corporis ita se habet, ut non nisi sanguis crassus in eo possit generari, quod mille argumentis sibi constare dicit, igitur nequeunt tam subtiles spiritus ex eo produci, siquidem magis crassa difficiliùs attenuantur. Quintò reprehensione dignum putant, quod spiritus arteriosos eosque solos putet motores virilis membri, atque opifices actus venerei, siquidem erectio virgæ partim est naturalis partim animalis; quod enim actio sit animalis, inde constat, quia imaginatio ad illa concurrit, & quia per musculos, qui sunt instrumenta facultatis animalis, perficitur.

Contra has objectiones excipit Strobelspergerus in literis ad Stroperium datis; negat imprimis spiritus naturales ac vitales exclusisse

ab erectione, verùm delectationem actus venerei ſpiritui vitali illiq; ſoli attribuiſſe. II. negat ſtatuere ſe frigidam intemperiem totius, ſed ſolùm ad partes frigidis catarrhis obnoxias extendiſſe, membraque genitalia ſpirituum influentium inopia lædi à frigidis medicamentis. III. negat ſilentio præteritas illas partes in quibus ſubeſſe putat obſtructionem, ſiquidem expreſſè à ſe poſitum nervos ad muſculos penis prodeuntes circa os ſacrum pati obſtructionem à craſſo viſcidoq; humore.

Contra quintam ſententiam Hilliger Objiciunt iidem, quod erectionem functionem merè animalem eſſe putet. nam quod etiam ſit naturalis his argumentis nituntur perſuadere; I. quod plures cauſæ inſtrumentariæ ſint naturales, ut corpora fungoſa cavaque, centuriæ venarum ac arteriarum, quod per illud membrum diſseminantur. deinde idem probant à cauſa efficiente, quia non ſemper nobis volentibus, ſed quandoque citra ullam cogitationem evenit, ſed & calor, ſpiritus, atque flatus res ſunt naturales. ex fine demum qui eſt procreatio, hæc enim refertur ad opus naturale. II. ipſi objiciunt, quod exiſtimet temperiem Illuſtriſs: Patientis ad frigidum inclinare, cum contrarium ab illis ſit demonſtratū, videlicet omnes partes principes, excepto cerebro, caliditatem præferre. III. quod penem putet nimis conſtipatum. convenire tamen in genere, quod cum ipſis ſentiat adeſſe obſtructionem in deferentibus inſtrumentis.

Poſt hæc eadem repetunt, paucis verbis immutatis, quæ in præcedenti conſultatione fuerunt dicta.

Illud itaque quod ſtatuunt Authores primæ conſultationis nempe frigiditatem obſtare illis partibus quo minùs ex voto venerem exerceat noſter Patiens, quia nimirum illius ratione ſanguis non attrahatur ſatis copioſè ad illas partes, neque, quod attractum eſt, juſtam accipiat elaborationem, frigidum enim atque ſpiritibus deſtitutum, neque erigere penem, neque ſolitam afferre delectationem. id inquam partim falſum, partim ambiguè, confuſè, obſcurèque dictum. Etenim juſtam ſanguinis portionem non deeſſe illis partibus, quacunque ratione eo deducatur, quin & perfectam ſubire elaborationem ex eo conſtare poteſt, quod ſemen emittatur copioſum probèque elaboratum, tùm quod partes illæ non gracileſcant, verùm

ſuam

ſuam magnitudinem conſervent, quod non fieret in tanta ſanguinis penuria, quantam ipſi ponunt. Deinde cum dicunt idcircò non inflari colem quod ſemen ſit effectum frigidius atque ſpirituum copia destitutum, videntur à ſolo ſanguine deducere erectionem, qui ſua copia membrum genitale, eo, quo utrem, modo diſtendat, quod manifeſtam habet falſitatem, ſiquidem motio animalis, qualis eſt erectio penis, muſculorum fit ope, non peragitur absquè interventu ſpirituum animalium: quod ſi ita, quid prohibet ſemine frigido exiſtente aut etiam malè elaborato ſpirituum copiam affluere per nervos penemque inflare atque diſtendere? præſertim cum conſtet plures ſemen crudum ſeroſumque quin & corruptum & fætidum emittentes probè attollere ſiculam atque non inſtrenuè coire. Præterea cum frigiditatem incuſant, non ſatis explicant, cujusmodi frigiditatem intelligant, an videlicet ſola qualitas per alteratione͂ in illis partibus ſit invecta, an etiam ſubſtantia cui frigiditas ſit nativa peregrinum domicilium ingreſſa œconomiam ſubvertat; multùm enim refert hoc vel illo modo dicatur; neutro tamen ſubſiſtit illorum opinio: quod ſi enim qualitatem ſimplicem ponant, difficile erit explicatu qua ratione qualitas peregrina in alieno ſubjecto ſtabiliri, tamque diu hærere poſſit, videmus enim partes eo modo refrigeratas promptè recaleſcere ex ſeipſis excluſa illâ adventitiâ frigiditate. Cum itaque partes genitales per coitum incaleſcunt, an exiſtimandum etiam cum illo calore durare frigiditatem ſynecticam; aut ſi periit, quid hoſpitem peregrinum atque ſubjecto maleficum quaſi poſtliminio revocat, non enim pars illa tam eſt vecors ut ſeipſam infrigidet ſibique exitium ſtruat. Quod ſi putant ipſa quoque elementa deſciviſſe à nativa ſymetria illique ſubjecto convenire jam frigiditatem ob prædominium frigidi elementi, & cum deſierit calefaciens, ſive veniat ab extra, ſivè à ſpiritu influente, revocare ſeſe ad debitam frigiditatem: Contra hoc facit, quod temperatura elementorum non percipiatur à ſenſu, tantùm abeſt ut moleſtiam inferat, non enim piſces ſeipſos frigidos ſentiunt, ſiquidem ſenſus fit per ſpeciem venientem ab objecto extra ſenſum conſtituto. Præterea frigiditas illa qua ratione obſtare poteſt naturæ talis membri, quò minùs attrahat ſanguinem; vel attractum ſufficienter elaboret, natura enim ſeu forma talis particulæ

omnia operatur per inseparabiles ab ea vires. At verò naturam pati atq; deficere in suis actionibus ad solam præsentiam frigiditatis, perabsurdum; non enim sufficit esse præternaturalem indebitamq; subjecto, oporteret enim ea ratione omnes actiones similiter pati, quod tamen non fit. An igitur noxia est frigiditas; quia sustulit calorem, qui attrahere & concoquere debebat alimentum, an quia simul exercet actionem depravantem quod futurum erat rectum, at verò calorem esse causam attractionis, concoctionis, aut cujuscunque motionis quæ formaliter non sit calefactio, hîc quidem negamus, alibi verò multis argumentis evidenter demonstramus. in sanguine verò atque semine non sola adest calefactio aut caliditas, sed aliæ quoque innumeræ signaturæ in concoctione noviter productæ. neque dici potest ea ratione officere quod actionem commisceat, hæc enim esset frigefactio ac proinde illius opus frigiditas, quæ nihil obstare potest aliis signaturis, cum neque oriantur à qualitatibus primis, neque illis contrarientur,

Dices frigiditatem ea ratione obstare sanguinis attractioni, quia restringat spiritalem quandam auram, quæ vehiculum sit virtutis tractivæ, quò minùs efferatur à partibus illis frigidis. Verùm cum ipsi dicant attractionem fieri per quandam tractivam qualitatem, quæ neque sit frigiditas neque calor, sed sui generis qualitas, cum non attrahat indifferenter quodcunque, sed cuique parti conveniens alimentum, non poterit à frigiditate, cum qua nullam habet contrarietatem cohiberi vel impediri, deinde licet demus frigidæ substantiæ convenire adstrictionem, non tamen hoc convenit per frigiditatem, siquidem non frigida adstringunt, & sæpe minus quæ magis sunt frigida. An igitur dicendum non nudam qualitatem, sed substantiam frigidam suo contactu illas partes infrigidantem, hoc enim probabile videtur ex eo, quod sensus frigoris in illis percipiatur. at si ita, cum illa substantia præter frigiditatem alias vires in se contineat, quid est quod solam frigiditatem, cui effectus ille attribuitur, perpendunt? Etenim cum juxta Galenicum axioma, contraria tollantur per contraria, nulla indicatio videtur ad illa frigiditate d sumi, præterquam calefactionis, at licet calefacientia adversentur illi substantiæ, quà frigida, non tamen etiam reliquis signaturis, illis præsertim quibus labefa-

labefactatis opus naturæ præpeditur. Cum ergo non omne calidum contrarietatem habeat ex toto cum substantia frigida, licet per adhibita calefacientia tollatur frigiditas, quia tamen perstat illa substantia suasque maleficas vires, quibus actiones læduntur, conservat, non minus calefactum, quàm cum frigidum erat membrum, impotentiam relinquet.

Quod attinet curationem, cum dicunt necessariam esse sanguinis atque spirituum in toto corpore copiosam regenerationem, partiumque principum corroborationem, videntur à se ipsis diffidere, quandoquidem paulò ante docuerint corpus universum probè esse constitutum; ut quid ergo corroborare opus, quæ suo vigore etiamnum constant. Supervacanea quoque videntur illa aphrodistica medicamenta, quæ ad venerem pollere vulgo dicuntur: Siquidem corporis constitutio ipsa sibi sufficit ad venerem quantùm satis exercendam, neque ab aliqua indicatione præscribuntur: Nam & sanguinis & spirituum adest copia in corpore tàm generoso, tàmque probè, ut ipsi dicunt, constituto. Quod si ergò tollatur illa frigiditas genitalis membri, quæ impedit seminis affluxum, mox & illius aderit ubertas, & perfecta elaboratio sequetur. at perstante frigiditate frustra erit quæcunque sanguinis copia, si neque attrahi, neque sufficienter elaborari potest.

Secunda sententia minùs subtiliter hunc affectum reducit ad symptoma, quod est accessorium quid morbo, cum tamen illa coeundi impotentia sit stabile & perseverans malum. deinde actiones illæ imminutæ oriuntur à morbo seu affectu, sunt enim illius effectus quatenus vitiosi, non ergo prædicabuntur de sua causa. Quod verò à frigiditate deducat hanc veneream frigiditatem, non opus hîc refellere, siquidem in prima sententia hoc præstitimus. At ridiculum ex eo, quod quandoque occiput, quandoque nasi extremum, aut etiam scrotum frigiditas pervadat, ad hanc veluti causam adæquatam impotentiam revocare, quemadmodum si quis simul fatuus sit & luscus, alterutrum alterius causam existimare: Non enim idcircò perversè judicat quia oculos habeat inconcinnos, plures enim affectus præternaturales concurrunt non necessaria conjunctione, qui neque sibi ipsis mutuo sunt causa, neq; à communi radice descendunt. Oportet

tet verò non ſtatim pro cauſa tenere illud quod ſenſibus occurrit, ſed inſuper conſiderare proportionem quam habet cum tali effectu. Plures enim affectus ſenſum effugiunt, tincturæque ſpirituales quandoque in tantùm deliteſcunt, ut etiam mentis acie vix depræhendantur. At verò Medici Elementarii ita ſenſibus ſunt capti ut præ illis oculos mentis negligant, quod enim ſenſibiles morborum cauſæ non ſemper occurrant, hinc fit; quod ad elementorum qualitates, quæ nullibi non ſunt, omnia revocent, & licet infiniti ſint effectus, ipſi tamen nonniſi quatuor ſimplices qualitates omnium effectrices cauſas agnoſcunt. Nam cum in nullo mixto deſit una ex qualitatibus primis, ubi actiones lædi vel imminui vident, ne cauſam illius ignorare videantur, protinus unam ex illis ream peragunt, & vel calorem infamia notant, vel frigus ut maleficum damnant; Itaquè cum noſter Patiens frigiditatem experiatur in partibus veneri dicatis, ſimulque ad illius exercitia ſit inhabilis, hunc affectum ab illa frigiditate veluti cauſa per ſe deducunt, quaſi verò ſub illa frigiditate non deliteſcant plures tincturæ, quæ per ſe operentur illam impotentiam. Verùm de hoc alibi à nobis accuratè fuit diſputatum, ubi oſtendimus quomodo qualitates nihil præter ſibi ſimiles qualitates producere poſſint. Nunc reliqua proſequamur. Cauſas principales horùm ſe ſtatuere ait obſtructionem meſenterij & lienis, atque calidam intemperiem hepatis; hujus quoquè ſententiæ eſſe Doctorem Rechpergerum. Verùm qua ratione ab his oriatur illa frigiditas ſive ſenſus ſive veneris, vellem equidem ſubtilius minutiusq; hoc nobis declararetur, non enim aſſequor hujus effectus cum dictis jam cauſis connexionem, quod ſi enim propterea cauſatur impotentia, quia meſenterium aut lien ſit obſtructus, aut quia hepar incaluerit, oportebit omnes ſimiliter affectos curiari, heparque calidum in illis partibus frigiditatem generare. In cura demùm horũ affectuũ ridiculè agit, cum tot jã fruſtrà adhibitis medicamentis confugiſſe dicit ad Thermas Carolinas tanquã magis potens medicamentum ad deoppilandum tàm diuturnas pertinacesq; obſtructiones, nihilominus poſt uſum thermarum redire velle ad hactenus adhibita, quæ fuiſſe dicit apozemata deobſtruentia, alterantia, & per Epicraſim purgantia: at verò ſublatis obſtructionibus hepate jam contemperato, quid præterea moliri parat, aut quas obſtru-

ctiones

ctiones amoliri? an si thermæ adeo potentes illas non sustulerunt, vestræ medicinæ plumbeæ aliquid efficient?

Tertia sententia à tribus deducit hanc impotentiam, ita ut unumquodque per se aliquid conferat ad inducendum affectum, simul verò concurrentia insignem faciant accessionem, videlicet magnitudinem & laxitatem membri, in quo nequeant retineri spiritus nimiũ subtiles, sed mox effluant per illos poros; secundò aliquam obstructionem in deferentibus; tertiò retractionem spirituum, alios enim ad cor recurrere ob tristitiam ex opinione suæ impotentiæ ortam, alios in cerebro circa imaginationis opus detineri. Probat hanc sententiam, quia cum duo sint necessaria ad coitum, erectio virgæ & seminis ejaculatio, hîc verò non deficiat ejaculatio, sequitur in erectione fore defectum, qui non potest nisi à supra dictis causis ortum habere. Verùm in hoc argumentatione vitiosi plus est quam subtilis, quando illius probationem consequitur quod est in confesso, videlicet deficere erectionem, de quo nemo dubitat, & de quo assiduè Illustrissimi querelæ. Sed neque verùm, seminis ejaculationem absque vitio esse, nam ut hæc benè peragatur non satis est semen bene esse concoctũ neque involuntariè, aut priusquam veniat ad parastatas, emissum, sed ut etiam justo tempore excernatur. cum enim ad hominis procreationem à natura sit institutum, quæ nequit perfici absq; confluxu seminis utriusque à mare fæminaque emissi, necesse ut prolificum sit non prius quàm fæmina seminet, emitti, emisso enim virili semine atque evanescentibus spiritibus virga flaccescens non sufficit ad illam titillationem, qua sperma mulieris evocatur. cum ergò dicit nimis citò effluere semen ob illos meatus spongoides, non erit absque vitio seminis ejaculatio. Sed & non absque illecebra voluptuosa emitti debet, siquidem illa dulcedo venerea, actum haud ita decorum contemperat, alioquin quotusquisque inquit Scaliger, se abderet in illos cloacarum recessus. cum verò destituatur illa voluptate ex coitu proveniente non erit etiam hac ex parte seminis emissio absque culpa. Præterea semen illud probè esse concoctum unde probant? non enim sufficit quod album spissumque sensu percipiatur, siquidem illa consistentia colorquè ex agitatione sanguine spumescente contrahitur, neque minus spumescunt cruda quàm concocta

quin,

quin ipſa crudiſsima aqua agitatione crebra in ſpumas convertitur, & ſi emiſſum ſemen aliquandiu ſinatur, mox in tenuem ſeroſumquè humorem fathiſcente ſpuma reſolvitur. Illud quoque neſcio qua ratione ſit intelligendum quod etiam hac ex parte probet inculpatam ſeminis emiſſionem, quia nimirùm non excernatur priusquam ad paraſtatas deveniat, quaſi verò alio itinere quandoquè penetret ad illum urinarium canalem, qui ſemen ejaculatur.

Quod attinet erectionem tria ſufficere dicit ad illam perficiendam, ſpiritus, ſanguinem, atquè inſtrumentum; ſanguinem verò idcirco eſſe neceſſarium ne eo deficiente genitalia membra gracileſcant. verùm eſto ſanguine nutriantur membra generationi dicata, nõ tamen is proximè concurrit ad erectionẽ, cum ſufficiat ad mobile ſeu erigibile membrum virtus motrix atquè inſtrumentum. ſpiritus verò non tam ex parte moventis quàm mobilis deſiderantur, ſiquidem membrum efficiunt rigidum ac diſtentum ad motiones illas excipiendas idoneum, motus enim animalium cum ſit actio vitalis, non debet proficiſci ab externo motore qualem ponunt eſſe ſpiritum, cum & anima & omni vita deſtituatur. ſanguis verò nullam vim confert ad actionem ſed ad conſervationem mobilis. quemadmodum igitur ſi quis volens omnia enumerare ad curſum neceſſaria, ubi & pedes benè conſtitutos & vim motricem expedierit, inſuper cibum & potum neceſſaria eſſe dicat, propterea quod absque illis non diu conſiſtat pedum vita ac robur, ſuperfluè dixiſſe judicaretur, ita quoque de ſanguine proximo genitalis membri nutrimento, res habet.

Deinde negat ſanguinis aut ſpirituum eſſe defectum, propterea quia partes principes bonam habeant conſtitutionem idque conſtare ex proba ſingulorum functione, neque fieri poſſe quin & ſpirituum ubertas & bonitas inde ſequatur. Quod ſi objicias caput frigidiuſculum reclamare tam probæ, ut ipſe putat, conſtitutioni; reſpondet hoc nihil obſtare (nil eſt quo minus dicatur rectè conſtitutum corpus univerſum) propterea quod illius quoque actiones omnes, ſolis naturalibus exceptis absque vitio procedant. at verò quomodo, rectè conſtitutum dici poteſt, quod tantoperè intemperatum evaſit, ut frigus inſigne illa parte ſentiatur? deinde quæro à quibus actioni-

ctionibus cerebri deducat generationem spirituum animalium, non enim vitalibus, quæ cordi debentur, non animalibus quæ ad sensus motumquè pertinent: ergò naturalibus. at si læsæ sunt actiones naturales per quas elaborantur spiritus animales qua ratione rectè habere possunt? deficientibus enim causis deficiunt effectus. Sed neque verùm solas actiones cerebri naturales deficere, nam & memoriā minus fidelem quæritur Illustris. Patiens, quæ ad actiones animales pertinet. Deinde in magno versatur errore cum dicit perfectam temperaturam ex actionibus perfectis demonstrari, quasi verò illarum actionum quæ à sola anima procedunt in eaque recipiuntur temperatura sit opifex, quæ enim proportio caloris vel siccitatis ad actus imaginationis atque opera mentis. non tamen hîc asseverare volumus quamcunque cerebri dispositionem non necessariam omninò ad actus mentis communes obeundos, licet enim actus tàm sensuum externorum, quàm sensus communis solius sint animæ, dependent tamen à speciebus tanquam externa idea, quæ sunt formæ corporeæ passionibus maximæ obnoxiæ, nam neque recipi in omni materia neq; conservari neque ad sensorium protrahi eâdem facilitate possunt: patiuntur enim varias inter se mistiones, confusiones, distorsiones, obscurationes, exaltationes, eclypses. est tamen hæc cerebri constitutio magis organica, quâ alicujus temperaturæ, quæ huc parùm facit. tametsi ergo mutetur temperies cerebri in qualitatibus primis, si tamen perstet constitutio requisita ad species conservandas, actiones mentis atque imaginatio suum retinent vigorem, & quia in cerebello reponimus simulacra, quæ miris modis inter se concatenata, serie quadam evolvuntur, per illam rimam, qua sinus hic perforatur, & ante cujus fores excubat processus quidam scolicoides, à specie vermis sic dictus, ne quando tempestas exorta perque patentem portam & non custoditam violenter ingressa omnia suis sedibus convellat, foliaque Sybillina ordine suo digesta confundat, quousque non impeditæ fiunt radiationes, imaginatio perstat inoffensa: excipit enim distinctè & absque errore singulos radiantium specierum conos membrana quædam delicata cerebri ventriculis anterioribus prætensa, seque veluti tabellam offert venientibus picturis, cui etiam motum similem motui ciliarium processuum attribuimus, ut vel abdu-

cendo ſeſe vel longius producendo ſpecies explanet vel à ſenſorio excludat, quod philoſophicè & opticè peculiari opere à nobis fuit demonſtratum. Pro ratione verò illius picturæ tanquam ab externa idea mens determinatur ad ſuas functiones, atque eâ ſolùm ratione actus organici dici debent, quod ſpecies ex toto vel prohibeantur egredi, vel non debito modo recipiantur. Quod ſi enim aura maligna ab inferioribus membris, uti ſpecubus charontis exorta ſurſum effumet, protinus ille excubitor vermis malum præſentiens fores obdit arctequè concludit, prohibendo ab ingreſſu auram tam maleficam, unde fit quod abſque ſenſu & motu voluntario concidant Epileptici, quia nimirum clauſis foribus nulla ſpecies ſeſe offerre poteſt, at ſi liber ſit hic ingreſſus, äer verò internus nebuloſus aut fumis repletus, ſpecies per ipſum delatæ, ob diverſas refractiones diverſimodè afficiuntur naturæ, interdum diſtortæ interdum etiam monſtroſæ. Defectus quoque fiunt circa membranam, cum vel ipſius planicies læditur, vel ille motus, ob quem dolemus multis ſpeculationibus defatigati, ſpecies enim perſe ſicuti neque actus mentis ullam laſſitudinem inducunt. Quia verò hæc omnia accidere poſſunt optimam cerebri temperaturam ſortitis, malè tum inferemus ex læſis actionibus læſam temperaturam, ita quoque licet actiones ſint perfectæ, non tamen ſemper adeſt illa harmonia primarum qualitatum cerebro debita, ſed quandoque inſigniter ab illa deſciſcit: ſatis enim eſt quod conſtitutio organica perfecta conſervetur. Verùm hæc obiter, alibi enim pro rei dignitate ſunt pertractata. Nunc ad reliqua pergamus; Poſteaquam negavit à ſpiritibus provenire hoc malum, in inſtrumentum reijcit totam culpam, non quidem illud quo ſpiritus deferuntur ad genitale membrum, licet etiam in hoc leviorem aliquam obſtructionem ſubeſſe dicat, ſed ad recipiens inſtrumentum, ipſum videlicet genitale membrum, quod ob vaſtam molem nimiamque raritatem ſpiritus facilè diſperdat. Verùm quod attinet magnitudinem, qualiſcunque illa ſit, non enim monſtroſam puto, erectioni obſtare, ridiculum. Etenim ſapientiſſima natura quæ reliqua membra tam concinnè ſapienterque ſingula in ſuos uſus fabricavit, haud dubiè non magis ſupina fuit in genitali membro; neque formavit, quam quod deſtinatis viribus inſerviret.

Neq;

Neque dicendum ab anima non posse regi tam vastum membrum, etiam posito differre ab anima illius vires, etenim majori membro majores inesse vires, & eadem anima utrisque pari facilitate præesse potest. an non Gigantes non modo genitale membrum, sed reliquos quoque turritos artus cum facilitate regunt. Præterea laxitatem hic accusare & nescio quos poros seminiperdas æquè vanum, rationes enim adductæ partim falsæ, partim non concludunt, falsum enim seminis ejaculationem nimis esse festinam, cum ante emissum semen membrum collabatur, ita ut manibus opem afferre debeat. Patentes venæ demonstrant quidem aliquam subtilitatem corporis per quod venæ transparent, non tamen raritatem spongiosam, alioquin omnia perspicua vitraque solidissima eo modo dicerentur rara. tametsi verò ad hoc confirmandum sexcentas rationes habere se dicat, dabit tamen veniam si ipsi non credamus. Deinde absurdè reducit ad numerum spirituum defectum, cum spiritus sit quid continuum, numerus verò conveniat rebus discretis, si ergo deficit numerus neque sit infinitus, erit sub aliqua specie numeri, at quis numerabit partes deficientis spiritus, cum non detur minima magnitudo?

Postremò figuram vitiari propterea quod cavitas insideatur ab aliquo extraneo corpore minus subtiliter est dictum, an propterea corrumpitur vasis figura quia non vinum sed vappam vel omnino aquam contineat? etenim essentia figuræ consistit in certa terminatione quantitatis, quæ non mutatur per solam contiguitatem corporis, tametsi similare sit, figura enim ex auro fabricata atque obruta auri scrobe non depravatur, sed solùm occultatur, at cum partes materiæ figuratæ situm permutant, vel ipsi aliquid decedit vel accedit non gnomonicè figura in aliã mutatur, ut si ex quadrato fiat quadrangulum altera parte longius vel rhomboides. Cum ergò ex falsis suppositionibus indicationes atque rationem curandi desumat, non opus reliqua prosequi, subductis enim fundamentis, corruit per se substructio universa.

Contra Quartam sententiam opponunt, primò quidem, quod si causa frigiditatis esset cita evaporatio spirituum propter laxitatem

recipientis instrumenti, cum etiam aliæ partes frigeant, ut nasus, occiput, nates &c. oporteret etiã huius frigiditatis causam esse velocem spiritus exhalationem, quod est absurdum, spiritus enim ea ratione prius exhalasset à partibus cordi vicinioribus, nam & flumina atque torrentes prius caput alvei deserunt, quàm partes infra sitas.

Verùm ad hoc respondemus, spiritus vitæ non ferri eo modo quo torrentes, sed illorum cursum à natura moderari, atque etiam à partibus quas præterlabuntur, quantum unicuique sufficit retineri, reliquum verò partibus infra sitis elargiri. Et hinc fit quod partes fonti viciniores huiusmodi spiritibus abundent, ita ut si quandoque illorum copia deficiat, non pertingat ad extimas partes, unde frigiditas partium extremarum in senibus provenit, in syncope verò retractis ad cor spiritibus non modo partium extremarum sed totius corporis algor. Deinde dicimus spiritus vitæ per nervos atque arterias ferri non interruptè sed quasi uno filo, neque ab ipsis canalibus exhalare, sed ubi jam in substantiam carnis est effusus, non similiter in omnibus retineri, quæ enim partes rarioris sunt texturæ, sive remotiores sint sive magis vicinæ fonti ab ijs spiritus promptè effugiunt. Deinde dicet Strobelpergerus ipsos quoque erroris & supinæ negligentiæ redargui, quod penis laxitatem pro causa statuerint illius aphrodisiicæ frigiditatis, neque illius frigiditatis quam circa alias partes persentiscit causam expedierint.

Secundo ita argumentantur, obstructio quæ prohibet spiritus accessum, est causa frigiditatis, ut patet in paralysi, ergò raritas erit causâ caliditatis non verò frigiditatis. Verùm ad argumentationẽ respondebit negando consequentiam, propterea quod obstructioni non opponitur per se raritas, non enim si quid deobstruitur, idcirco evadit rarum, neque verum contrariorum effectus quoscunque habere oppositionem, siquidem ijdem effectus per accidens oriuntur quandoque à causis contrarijs, etenim frigiditas aëris & à frigida expiratione provenit, & à calore solis posteaquam absumpsit calidam exhalationem. Est verò obstructio causa frigiditatis non per se sed per accidens, quatenus prohibet accessum calefacientis, licet ergò demus obstructionem contrariam esse raritati, frigiditas nihilominus

nus ab utraque eſſe poteſt, ab hac quidem quia diſſipat, ab illa quia non admittit calefaciens.

Tertio Erroneum eſſe dicit quod ſpiritus vitales nimis ſubtiles attribuat ætati conſiſtenti vel potius jam declinanti, ratio quia calor ſit cauſa tenuitatis, in ejusmodi vero ætate minus viget calor ergò & minor aderit tenuitas. Deinde quia modo aptior eſſe deberet ad venerem exercendam, ſiquidem ſpiritus magis tenues magis ſunt permeabiles ut ipſe loquitur. Tertio cum craſſior ſit ſanguis in hoc Patiente, quod mille argumentis conſtare ait, non poterunt ſpiritus tam ſubtiles inde procreari. Craſſa enim attenuantur difficiliùs. Ad primū argumentū reſpondemus tametſi falſum ſit calorē attenuare, qui non niſi ſibi ſimilem producit calorem, non enim rareſcit aqua ob calorem, ſed ob admiſtionem ſpiritus ignei inflatur eo modo, quo eadem craſſeſcit a ſalibus in ea ſolutis: Nihil ominus dato calorem attenuare, non tamen ſequitur à majori calore fore majorem attenuationem, ratio, quia illa attenuatio non fit ſimiliter in omnibus, quod ſi enim maneret ſemper, eadem ſubſtantia magis attenuaretur à majori calore: At quia non manet ſecundùm omnes partes, evolant enim ab igne partes ſubtiles, hinc fit quod ſicciſſimas craſſiſſimasque fæces reſiduas habeamus poſt ſingulas diſtillationes, atque eo magis quo calor acutior, quia & partes illæ quæ per ignem elevantur, craſſiores fiunt, majorem perpeſſæ calorem, aqua enim ex cineribus aſcendit craſſior, quam ex balneo, uti vocant, itaque ſedimentum in illa non verò in hac paulò poſt ſidit copioſum, quia nimirum maior calor non modo partes ſubtiles verùm etiam craſſas atterit, atque in fumos reſolutas halitibus illis confundit. Non ergo ſufficienter probat ex decremento caloris majorem craſſitiem ſpirituum in ætate decreſcente, quàm juvenili, quia potius contrarium eſt, nam generatio ſpirituum duobus modis conſiderari poteſt: Primo vel enim ita fit, ut totâ ſanguinis maſſa calore attenuata in ſpiritus convertatur, vel partes tantummodo ſubtiles, veluti quinta ſanguinis eſſentia, inde elevatæ atque in illis vitæ canalibus circulatæ in nectar balſamicum diſtillant: Utroque vero modo evenire poteſt, ut in ætate conſiſtente ſubtiliores ſpiritus procreentur. Primo enim modo major calor non ſolùm attenuabit ſanguinem, ſed etiam quod

tenue ſeroſumquè in eo continetur diſſipabit, unde fit quod iuvenes vel leviter ſe exercentes ſudoribus magis diffluant, itaque abſumpto ſero reliqua ſanguinis maſſa magis erit ſpiſſa atque corpulenta. Altero quoque modo calor intenſior portiones terrenas craſſasque à ſanguinis maſſa exprimet, cumque illis halitibus permiſcebit, atque ita ſpiritus veluti à cineribus minus erunt ſubtiles, quam ſi leni blandoque calore prolicerentur. Deinde quod putat aptiorem ad venerem propterea eſſe debere, quia ſpiritus ſubtiles magis ſint permeabiles, reſpondetur non ſufficere illam promptitudinem penetrandi, ſed oportere inſuper contineri, neque tam cito diſſipari ſpiritus, & fortaſſe non ſubtilitatem ponebat obſtare erectioni, ſed quia ob illam ſubtilitatem per nimis laxa membra facilè diſſiparentur. Præterea cum ponit craſſum ſanguinem mille argumentis conſtare, cum nulla afferat, gratiam ipſi debemus, tanto refellendi labore liberati. Hæc quidem diximus non quod probemus ſententiam Strobelpergeri, verùm ut demonſtremus non ſufficienter ipſum ab alijs refelli. Quomodo vero ſe ipſum tueatur atque ad objectiones contra ſe factas reſpondeat nunc videndum; negat verò imprimis excluſiſſe ab actu venereo ſpiritus animales aut naturales, ſolam vero delectationem illius actus attribuiſſe ſpiritibus vitalibus ijsque ſolis. Verùm haud negare poteſt nullam ab ſe factam mentionem aliorum ſpirituum, quod idem valet at ſi illos omninò excluſiſſet. Deinde falſum eſt ſolam delectationem Veneream illis ſpiritibus attribuiſſe, cum & erectionem ab illis ex toto deducat, bonam enim erectionem fieri dicit à ſpirituum arterioſorum affluxu, copia, retentione, & ſubſtantia, lædi verò à contrarijs. Præterea abſurdè facit quod delectationem actus Venerei attribuat ſpiritibus arteriarum; Etenim voluptas illa inchoativè ad tactum pertinet, completur verò in appetitu ſenſitivo eſt enim quædam fruitio boni præſentis ab imaginatione repræſentati. Hæc autem omnia ad facultatem animalem non vitalem pertinent. Licet vero Ariſtoteles appetitum ſenſitivum in corde poſuerit, de quo controverti poteſt, cum etiam corde excecto in quibusdam perſtiterit appetitus, non tamen in ſpiritibus vagis eſt collocandus, qui ſicuti anima ita omni vita deſtituuntur, appetitus verò rei eſt animatæ, & ut alibi eſt demonſtratum, ſolam animam pro ſubje-

cto

ćto agnoſcit. Secundo negat ſtatuiſſe ſe frigidam temperaturam totius corporis, ſed ſolùm partium frigidis catharris obnoxiarum; verùm cum nemo ipſum de hoc incuſet, fruſtra excuſationem adfert. Tertio queritur immerito ſe repræhendi quod poſita obſtructione non expreſſerit partes obſtructas, expreſſè enim à ſe nominatos nervos ab oſſe ſacro ad muſculos penis pertingentes, qui obſtruantur à craſſo viſcidoque humore. Verùm nequeo ſatis mirari Strobelpergerum, & certè ſuſpitionem movet non intellexiſſe quæ vel ipſe vel alij dicant, non enim reprehenditur quod non poſuerit quarum partium putet obſtructionem, cum nullam ipſe poſuerit, ſed laxitatem. Quin etiam ex eo probat nullam obſtructionem ſubeſſe, quia inquit, quæcunquè illa eſſet tot adhibitis tam præclaris medicamentis, ipſis etiam thermis, pridem, ſi non ex toto at certè ex parte fuiſſet ſublata; Modo verò in nervis dicit ſubeſſe obſtructionem. Unde apparet ipſum incertum fuiſſe ſuæ opinionis atque inconſtantem, neque ad rhombum reſpondere, Itaque ipſum miſſum faciamus.

Contra ſententiam Hilligeri opponunt ijdem, & imprimis quod exiſtimet erectionem opus ſolius functionis animalis, non ex parte naturalem eſſe ita probat. I. quia plures cauſæ inſtrumentariæ ſunt naturales, qualia ſunt corpora fungoſa, venæ arteriæ &c. II. quia non ſemper eſt in noſtra voluntate principium motus, cum quandoq; erigatur nobis invitis. III. à fine qui eſt procreatio hominis, quod eſt opus naturale. *Verùm Objicitur* contra primum argumentum, quod eo pacto nulla daretur functio animalis, nam & pedum & linguæ motus aliorumque membrorum & ſenſuum functiones erunt naturales, cum illorum inſtrumenta ex corporibus naturalibus conſtent. Ad ſecundum quod dicit non volentibus nobis quandoque fieri erectionem, atque ea ex parte motum eſſe naturalem; reſpondeo quod ſi per erectionem intelligat inflari virgam atque rigeſcere, quod non fit abſque aliquo motu, ſiquidem partes rigoſæ explicantur virgaque in latum & longum extumeſcit, eo pacto motum fore naturalem. At ſi motum accipit qui fit mediantibus muſculis penis, hunc omnino eſſe animalem dicimus. quod autem dicatur contingere nobis invitis, dico ad hoc, tametſi illæ motiones non ſint deliberatæ, eſſe tamen

voli-

volitas & mediante appetitu fieri à potentia motiva, cui repræſentatur ab imaginatione illa diſpoſitio titillans membrum & veluti provocans ad motionem, atque illa dulcedo quæ conſequitur motionem, idque propter connexionem ſpecierum utriusque, appetitum verò mox conſequitur potentia motiva atque ipſe actus. Quod ſi quandoquè advertentes illos inordinatos motus difficulter cöercemus, ratio eſt, quia imaginationem, quâ illa ſuavitas repræſentatur, fovemus, quam neceſſariò ſequitur concupiſcentia; quod ſi mentem aliò diſtrahamus, quia phantaſma diſſipatur, mox & illa fera conſopitur. Itaque viri religioſi aut ſtudiis demerſi carent ut plurimùm illis motionibus, licet membri diſpoſitiones invitent, quia mens aliò diſtracta negligit ſpecies voluptuoſas. Ad III. dico malè inferre erectionem naturalem eſſe, propterea, quod finis nempe hominis procreatio ſit opus naturale, nam per naturale hîc intelligitur non quod opponitur violento aut ſupernaturali, ſed voluntario; cum ergo & coitus cum muliere & ſeminis emiſſio referantur ad hunc finem, eſſet ille actus naturalis, id eſt non voluntarius, quod eſt abſurdum. Ita è contra multi ſunt actus in corpore naturales, quorum finis eſt non naturalis, ſiquidem omnia referuntur ad actus mentis tanquam ultimum finem, qui liberè à nobis ſiunt.

2. *Objicit* malè ipſum ſtatuere totius temperaturam ad frigiditatem declinare, cum è contra ab illis ſit demonſtratum omnes partes principes cerebro excepto præferre caliditatem. Verùm neſcio qua ratione melancholicam totius corporis conſtitutionem, qualem ipſi ponunt, cum complexione calida conjungent, quanquam illis artificibus, qui omnia etiam impoſſibilia atque non entia referunt ad quatuor qualitates, magis promptum fuerit contraria inter ſe conciliare, calidumquè frigido attribuere. 3. ipſum reprehendit quod putet penem nimis conſtipatum, verùm hoc ille non dicit, ſed ex illa frigiditate quæ percipitur in virilibus, non laxitatem ſed potius adſtrictionem ſequi debere negat. ergò ſolam adeſſe laxitatem quam ipſi ponunt. Hæc pro ipſo ſint dicta.

Con-

CONSILIUM SECUNDUM
Pro Rev. P. N. N. in causa debilitatis inter studendum.

Affectus, quem exposuit Pater admodûm Reverendus, est symptoma de genere læsæ actionis non quidem abolitæ vel depravatæ, sed diminutæ. Etenim licet ad omnes functiones mentis nativa adsit promptitudo & facilitas, in progressu tamen ceptæ speculationis oboritur quædam difficultas & veluti languor seu lassitudo. Et quia actionem lædi contingit vel læsa facultate, vel illius organo affecto, vel demum ob externum errorem, nos in præsenti affectu vitium in organo consistere dicimus: Facultas enim utpote ipsa animæ essentia neque lædi neque minui potest. Et cum signa affecti organi habeantur, non opus confugere ad externum errorem, præsertim cum incredibile videatur aliquem eiusmodi errorem tot interea correctionibus adhibitis tam diu stare potuisse. Vt verò tàm organum quàm illius vitium melius innotescat, supponimus hîc tanquam jam alibi à nobis demonstratum, primò internas species, quibus utimur ad imaginationem, esse in aliquo corporeo subjecto, sedemque habere in cerebello munitissima totius cerebri parte. Deinde non cognosci ab anima eo loci, ubi asservantur, quæ cum omnes æqualiter animæ sint præsentes, non esset ratio cur hæ magis quàm illæ, & non potius omnes simul cognoscerentur. Cum itaque necesse sit ut hæc simulacra ab anima percipiantur, ex illa penu memoriæ protrahi, & in certa aliqua parte cerebri tanquam in proscenio constitui, hanc vim ipsi membranæ anterioribus cerebri ventriculis prætensæ ex opposito processus scolicoidis attribuendam esse contendimus. Et quia illarum specierum natura à sensibus remota ex analogia ad species externorum sensuum est æstimanda, quemadmodum in unoquoque puncto vitreæ aut crystallinæ lentis tota species objecti integrè conservatur, ita ut non minùs distincta habe-

habeatur pictura, si vel per unum talè punctū conus objecti transmittatur quã si per totam vitri planiciem & singula illius puncta species expansa infinitis quasi radijs recolligatur in unã cōmunem basim: Ita quoque interna idola ipsi memoriæ confuso modo inesse existimandum, ita ut tota species sit in toto & tota in qualibet parte sui subjecti non solùm quoad vim repræsentandi, sed etiam quoad entitatem pars quoque speciei in toto subjecto replicetur. Quo fit ut etiam annorum decursu tametsi continuò portiones cerebri depereant, non tamen ex toto defluant species aut veluti rimis perforentur: Quin eorum quoque, quæ nobis pueris sunt acta probe meminimus, propterea quod unaquæque particula illius subjecti quæ species conservat, non minus omnes species quàm singulas, omnesque illarum partes tuetur, ut etiam reliquis omnibus calore defluxis vel in uno aliquo puncto illarum essentia sufficienter possit asservari, ex quo rursum evolvi suosque radios ad organum imaginationis efferre possint. Illa verò analogia quam inter species internas & sensuum externorum versari dicebamus, ad ipsa quoque organa est transferenda, ut quemadmodum se habet tunica retina ad species visibiles, ita quoque dicta illa cerebri membrana ad species imaginabiles, quæ eò à cerebello illapsæ & per intermedios cerebri sinus evolutæ distinctam vel confusam reddunt imaginationem, prout nimirum sectio contingit ipsius coni sive ad communem basim perfectæ evolutionis, sive extra illam ultro citroque. Sed & modum huic membranæ attribuimus similem motui ciliaris processus, quo humor crystallinus variè se conformat, & interdum lenticularem, interdum sphæricam figuram assumit, ipsamque retinam propiùs adducit vel abducit, quatenus distinctam speciem assequatur; ita simili modo interna membrana gestit in occursum speciei ad ipsam variè se aptando, ex illaque motione crebra lassitudo quandoque oritur, actus enim imaginationis licet & vigiles & dormientes nos exercceant, minimè fatigant. Accidit quoque ex pertinaci eiusmodi motu, qualem obimus in rebus arduis & supra naturæ vires investigandis organum penitus dissolui, unde fatuitas & amentia oboritur, quia nimirum cum nulla talis objecti species occurrat ex nimio conatu naturæ ultra vires se exporrigit membrana tanquam illam speciem alicubi assecutura. His sup-

ſuppoſitis tanquam jam alibi ſufficienter probatis, dico, ad hoc ut ſpeculationes atque imaginationes à nobis inculpatè obeantur, tametſi illi actus à ſola anima eliciantur, abſque ſpecierum vel organi effectivo ſuccurſu atq; in ipſa anima, non verò in corporeo ſubjecto recipiantur, quia tamen fiunt dependenter à ſpeciebus organo materiali receptis, à quibus anima idealiter ſive exemplariter determinatur ad obeundas ſpeculationes, neceſſe huic organo in quo ſpecies evolui & recenſeri debent, integram ſanitatem adeſſe. Sanitas autem huius organi in ordine ad motum conſiſtit in certa temperie & juſta ſpirituum ad motum neceſſariorum menſura. At quod in ſpiritibus non ſit aliquis defectus colligi poteſt ex alijs functionibus & motibus corporeis, qui integrè obeuntur, temperies igitur hîc membranæ accuſanda, quæ quidem aliquo calore, at magis ſiccitate peccat, ita ut ob hanc non ſufficiat ad illos motus, qnibus vel occurrit ipſi ſpeciei non ſatis diſtinctæ, vel alias temerè irruentes vel jam illapſas ſe abducendo â ſenſorio expellit. Porrò humiditatem facere ad motum argumento ſunt quidam ex piſcibus, qui veluti quibusdam alis membranaceit ſupra aquam ſe efferentes volatum exercent, quousque durat ille in pennis mador: At cum jam excuſſo humore veluti inaruerunt, protinus ad volatum inhabiles in mare relabuntur. Quod autem in Patiente multùm Reverendo adſit illa intemperies ſicca ipſius cerebri, potiſsimùm verò ſenſificæ membranæ, patet tùm ex alijs tùm verò ex calvitie ſeu defluxu pilorum parte capitis anteriore, cui ſubjacet illa membrana, tum ex narium ſiccitate, nihil enim vel modicum inde procedit, cum tamen à prima usque ætate nares humidiusculæ huiusmodi excrementis ſtillarint. Cauſa itaque proxima dicti affectus eſt intemperies ſicca illius membranæ, quæ propterea impeditur à velocitate illius motus neceſſarii ad ſpecies imaginationis ſivè excipiendas ſive iterum eliciendas, quibus aſſimilantur ipſi actus imaginationis. Per ſiccitatem verò intelligi volumus non nudam qualitatem, ſed defectum ſubſtantiæ humidæ, quæ motum facilitat ipſaque facile diſſipatur à motu. Et ab hac intentio medentis deſumi debet, ſiquidem affectus per ſe evaneſcit ſublata cauſa: Erit ergò defectus ſuppſendus & humiditas deficiens arte reſtituenda. Quæ etſi difficulter reparari poſſit, non tamen e-

 rit

erit desperandum vigente etiamnum ætate, ipsaque natura in cæteris omnibus rectè constituta. Debent verò tùm medicamenta tùm verò alimenta eiusm odi administrari à quibus suppeditari possit illa humiditas cerebro, potissimum verò illius membranæ debita. Atque inter medicamenta alia quidem sunt interna, quæ nimirum per os assumuntur: Alia externa quæ exterius adhibita huiusmodi humiditatem à se reddunti, psiquè cerebro transmittunt. Quod attinet diætam, talem institui oportet, quæ magis ad humidum vergat, quapropter elixa assis meliora, ita tamen ut eiusmodi alimenta deligantur, quæ majorem cum cerebro quam aliis partibus habeant convenientiam, siquidem huic, non illis humiditatem studemus comparare: Talia verò sunt ex arte signata animalium cerebella. vina quoque non nimis generosa esse debent, quæ cerebrum calida exspiratione magis torrent & exsiccant. Conveniunt quoque amygdala dulcia, lactucæ, papaver album, & ingenere ea omnia, ex quibus dulces halitus, roris opifices, efferuntur. Inter medicamenta quæ per os assumi debent, potissimum locum tenent, ol: aut magisterium perlarum, lac sulphuris, quæ inclusas suo cælo hyadas stellasque pluviales continent, grato & balsamico rore humidum radicale foventes, Siriumque microcosmi marcorem & siccitates inducentem suis imbribus temperantes. Item spiritus salis, qui salis interni coagulantis, unde siccitas provenit, vires moderatur & refrænat. Forma autem medicamentorum illorumque sumendorum modus hic erit.

℞. syr: viol: coch: j.
Spir: sal: com: g. v. misce, accipiatur ad noctem.

℞. Magist.: perlar: g. vj.
Lactis sulph: g: iiij.
Aquæ cinnam. ʒ. ij
Flor: tiliæ ℥s. S. mis: fiat haustus mane ante cibum accipiendus.

℞. Cerebr: vitul: cum canc: fluviatil: membr: n. j.
Flor: calend: Beton: tiliæ, rosarum, nymph: an, q. s.
Distillet: vapore Balnei in aqua, pro Epith: frontis.

R. suc-

℞. Succi depur. malvæ, alth: plantag: verben. aa. ℥s. Ping: Gallin ℥j. ol: nymph: violar: amygdal: dulcium aa. ℥s. vng: rosar: ℥j. ceræ albæ, q. s. fiat linimentum pro fronte.

CONSILIUM TERTIUM
Pro Illustrissima Persona N. N.

Cum ante aliquot dies, videlicet 6. Decembris vocatus essem ad Illustrissimum & Excellentissimum Comitem ac Dominum Dominum N. N. Cæsareæ Regiæque Majestatis Consiliarium intimum, Cubicularium & Supremum Regni Bohemiæ Præfectum & Dominum meum gratissimum &c. de quibusdam affectibus ab illius Excellentia propositis, sententiam rogatus, tametsi matura deliberatione priusquam sententia à me ferretur, res digna videretur, ipseque ad judicia ferenda naturâ essem tardior, potissimum in re non satis explorata, & tanti momenti, in qua sanitas si vel modicum delinquas, periclitatur. Quia tamen illius Excellentiæ Illustrissimæ ita placere videbam, cui nihil negare potui, nec debui, dixi tumultuariò, quemadmodum fieri solet, cum quis ex improviso& imparatus accedit ad dicendum. Animo tamen jam tum præconcepi diligentius re perpensa, postea meam sententiam sive voce sive scripto planius exsequuturum. Et cum ipse quoque Illustrissimus hanc meam sententiam scripto à me exigeret, lubens ea in re morem gessi, sperans, quemadmodum ex maturis fructibus majorem suavitatem percipimus, ita quoque ex hoc consilio magis jam maturato majorem ad illius excellentiam utilitatem, ad me verò ex aliquali bene merendi occasione voluptatem provenire. Cum verò de re præternaturali sit dicendum, videbor rectè fecisse, si ab eo quod est secundum naturam sive à naturali corporis statu atque temperamento initium dicendi faciam, nam & à Medicis usu hoc est receptum, & ratio id ipsum exigere videtur. Etenim ægritudo atque omnis affectus præter naturam est quædam obliquatio

& recessus à naturali statu : Igitur quemadmodum si quis excidit à recto tramite, nequit cognosci ille error, nisi facta comparatione ad illam viam ex qua primum deflexit : Ita neque affectus præter naturam absque naturali statu poterit cognosci. Verùm ne forte in re non necessaria aut etiam impossibili frustra laboremus, videtur ad tollendam ambiguitatem distinctio adhibenda. Quod si ita sensus sit illam dispositionem, sive totius, sive unius particulæ prænoscendam, quæ necessariò requiritur ad læsam ex præsentia morbi functionem, dicimus rem ita habere, finis enim cognosci debet ab eo, qui agit propter finem, at finis est illa naturalis dispositio ad quam reducitur pars ægritudine affecta. Quod si verò quis contendat substantialem temperaturam necessariò ab eo tenendam, qui rationem init medendi, fallitur : Etenim talis temperatura oritur ex confluxu plurium substantiarum certa lege ac proportione inter se commixtarum, cum nulla corporis particula quantumvis simplex & homogenea æstimetur à sensu, talis revera sit, verùm ex pluribus coaptata : At verò illæ partes & substantiæ componentes nequeunt à nobis perfectè cognosci, priusquam dissolutio fiat talis mixti ad primas & individuas naturas, ex quibus cæpit illa compositio, quæ omninò est impossibilis. Nam illa dissolutio artificiosa, quam Hermetici exercent, plures quidem detegit naturas, quæ in mixto oculebantur, quæ tamen rursum ex alijs naturâ prioribus videntur constare. ut si v. g. unum ex metallis ad sua principia dissolvi contingat fiet quidem ex illo sulphur, Mercurius, & calchantum : At nullũ ex his natura sua est simplex; nam & ex sulphure, & ex Mercurio plura alia extrahuntur; ex calchanto verò species oleum, sal, &c. eliciuntur, quæ nec ipsa omni carent compositione. Etenim ut canit Empedocles apud Aristotelem

Qua miscet natura potens confundit.

Eodem modo Cor, hepar, pulmo, renes, suam ex alijs habent compositionem : Nam & salem elici, & oleum eliquari, auramque aeream ex omni corporis parte spirare observamus; quæ rursum singula minutius secari, atque in alias naturas magis simplices resolui queunt. Quis verò est tam Linceus, qui omnes illas naturas tam altè sopitas, & quasi chao demersas animo per-

perſpicere, aut inde eruere poſſe confidat. Nam quod attinet vulgata elementa, terram, aquam, aërem, ignem, in quæ dicunt unumquodque mixtum ultimò reſolvi, quia & ex his ſolis omnia conſtare & contexi, neque aliter quàm certa proportione, atque unius pluriumve exceſſu à ſe differre perſuaſum habent: tametſi à veritate ſit alienum, nihil eſſe in rebus præter elementa, quis enim cerebrum felis & leporis, ſanguinem tauri & hirci non alia, quam talis temperaturæ ratione à ſe differre dicat? Quod ſi enim nulla ſubſtantia ineſſet ſuperior elementis, nullam ſuo eſu noxam nobis afferret, cum & calidiora & magis frigida, & cuiuscunque qualitatis exceſſu cerebrum felis, aut ſanguinem tauri ſuperent quam plurima alimenta, quæ impunè & citra noxam à nobis eduntur. Verùm ſit ita quemadmodum ipſi dicunt, demus enim hoc illis, omnes humanas actiones proficiſci ex tali temperatura, hanc tamen ab illis cognoſci negamus. Quis n. pondera expendit aëris, ſive ignis in hepate, aut corde concluſi, ex quibus dicatur adeptus notitiam illius temperaturæ? Quod ſi quis dicat ab exceſſu calidi & ſicci menſuram ignis comprehendi; Reſpondebo incertam eſſe conjecturam, nam cum etiam terra ſit ſicca, & aër non minus quam ignis calidus, quid prohibet calorem talis compoſiti non ex igne, verum ex aëre, quemadmodum ex terra ſiccitatem proficiſci? Itaque tametſi Arriſtoteles agnoſcit illam ex elementis compoſitionem, irridet tamen Empedoclem huiusmodi pondera elementorum ad ſtruentem. Quod ſi demùm de illis qualitatibus loquamur, quas primas idcirco dicunt, quia exiſtimant omnes alias ex illis derivari, in illis quidem ſolis, vel in ea, quæ inde oritur ſymetria, rationem temperamenti collocare, vanum exiſtimamus. Cur enim magis huc pertineat calor, frigus, ſiccitas, humiditas, quam color, odor, ſapor, figura, magnitudo, gravitas, levitas, innumeræ aliæ qualitates, quæ non minus quàm frigidum, humidum, ſiccum, ad multas actiones requiruntur: Quibus proinde benè & ſecundùm naturam diſpoſitis, ſanitas & actionis robur, malè verò affectis, ægritudo dicitur adeſſe. Neque verùm omnes actiones ex primis qualitatibus dependere: Directio enim magnetis ad polum aquilonarem, & ferri attractiò nihil à calore aut frigore juvatur. Sed etiam falſum omnes qualitates ex primis quo-

modo-

modocunque concipiatur mixtura, posse exoriri; nam neque lux neque color inde videtur nasci, cum ijdem colores contrarias sequatur temperaturas, neque minus nix frigida cum sit, albescit, quam calx ignea, vel creta temperata. Præterea cum anima per sensus assequatur rerum notitiam, ex sensibus verò maximè ignobilis sit tactus, quis non videt quàm sit absurdum illis qualitatibus, quæ ad tactum pertinent, totam scientiæ directionem attribuere, prætermissis alijs nobilissimorum sensuum objectis. Neque propterea hoc dico, tanquam existimans nullam habendam rationem, quomodocunque habeat unaquæque corporis particula circa calidum, frigidum, humidum, siccum, quin certissima ex illis signa peti ad rectam curationem non dubito affirmare. Nam cum nulla sit corporea natura, quæ non participet de qualitatibus primis, neque tamen omnibus tota cuiusque perfectio insit, verùm pro natura & usu talis compositi certis gradibus definita, nequit calor sive frigus intendi vel remitti, si nihil ipsa substantia sit perpessa. Cum neque ullum accidens per se subsistat, sed quemadmodum umbra corporis est comes, ita substantiam illud insolubili nexu consequatur. at non econtra rectè infertur, si qua ratione mutetur substantia, primas qualitates pariter esse mutatas, cum alijs qualitatibus, à quibus actiones proveniunt, exornetur, quibus proinde mutatis, quantumvis recte habeat calidi cum frigido, humidi cum sicco temperatura, actiones depravantur. Quod si enim visio e. g. sit depravata vel impedita, an propterea de oculi temperatura erit disputandum, & caliditas aut frigiditas accusanda? minimè verò: scimus enim ad visionem rectè obeundam tùm alia plura tùm verò perspicuitatem requiri in ipsis humoribus atque tunicis oculi, per quos iter esse consuevit speciebus ad visus organa trajiciendis. Quod si nubecula obscurior aut humiditas colorata pupillam obtexerit, species prohibetur accedere non vitio temperaturæ, sed ex interjecto colore. Eadem ratione ut hepar sanguinem, ventriculus chylum perfectè elaboret, non satis est quod adsit illa nativa ex primis qualitatibus temperatura, sed plura alia requiruntur, nam neque obstructio esse debet in tali organo, quò minùs liberè spiritus ultrò citroque commeare atque alimentum aptè distribuere possit, neque peregrina substantia ipsi commisceri, quæ

simul

ſimul agendo actionem ſolet depravare ; ſicuti enim ſurculus ab una arbore avulſus,& alteri inſitus vel inoculatus nequit ſui generis fructum afferre , verùm ex utroque mixtum, in quo duplicia lineamenta , duplicesque geminæ arboris ſignaturæ eluceant , nux enim perſico inſita non nucem, ſed nuciperſicum producit , propterea quod ex ipſo trunco anima ſubjectæ arboris ſe in ſpiritum ſurculi inſinuavit, ipſique commiſcuit : in qua commiſſione transplantatio conſiſtit, per quam miſcentur actiones &effectus;nam cum anima illius ſurculi nucem, & anima perſici ex eadem materia producere conetur, accidit ut neutrum per ſe ſed ex utroque mixtum quid oriatur , in quo alterius figura & color , alterius ſapor & odor magis conſpicuè ſe prodant , actio enim ſequitur à prædominio : poteſt autem fieri ut virtus animæ quoad aliquas ſignaturas aliam exſuperet , in aliis verò ab eadem ſuperetur : ſimili modo fieri poteſt, ut hepar aut ventriculus ob admiſtionem diſſimilis naturæ, nulla facta mutatione in primis qualitatibus , vitioſum ſanguinem aut chylum proferat. Quod ſi verò hepar frigidius ſit effectu , vel juſto plus efferbuit, rectè quidem inde colligimus factam ſubſtantiæ mutationem , non tamen hoc ſufficit noſſe , vel ſola refrigerantia tùm exhibere , cùm fieri nequeat , ut calor in hepate aut alibi exuberet , nulla aliâ factâ mutatione , vel novæ ſubſtantiæ ex qua oritur calor, acceſſione. Itaque fit ut quandoque frigida adhibentes , rectè videamur mederi , quia illa medicamenta præter jam frigefaciendi , aliis viribus inſignita , excitatum affectum demoliuntur : interdum nihil proficiamus , quia licet ſua frigiditate calori occurrere videntur, occultis tamen viribus radicem morbi adaugent. Hinc eſt , quod non omnia frigida ad extinguendũ calorem idonea videantur , ſed ex innumeris pauca ſeligentes hepatica, aut ſtomachica propterea dicunt. Ex quibus vanitas illorum opinionis ſatis eluceſcit ; quod ſi enim ex eo præciſè oritur morbus , quia calor ſit adauctus , oportebat ea omnia , quæ vim habent refrigerandi , opitulari : poſſem plures ad hoc confirmandum afferre rationes ex intima Philoſophia petitas , ſi inſtituti ratio pateretur. Hæc autem paucula rudi Minerva idcirco huc attuli , ne ob ignorantiam viderer Jlluſtriſsimi Patientis temperamentum ſilentio prætermiſiſſe. De caliditate & frigiditate partium rectius inter ſigna à nobis dicetur ; Nunc de affectu loquamur. Duo ſunt potiſſimum , de qui-

quibus conqueritur Illustrissimus Patiens, tumor pedum ædematosus, qui tamen non ultra genua ascendit, & post somnum ferè ex toto evanescit. Cum veró adest, citra aliquem doloris sensum, vestigia recipit impressi digiti. tumorem consequitur pruritus & quædam fricandi cupiditas, ex qua fricatione, disrupta aut laxata epidermide humor quandoque purus, quandoque cruentus emanat; alter affectus consistit in læsa respiratione, quæ an astma dici debeat, postea expendetur. Licet verò hi affectus non videantur inter se connexi, neque ex se mutuo orti, ut proinde nihili referat à quo quis ordiatur, nos tamen à tumore pedum incipere maluimus: Quia licet dignior sit pars affecta ob quam læditur respiratio, est tamen hic tumor affectus universalior, ratione materiæ communis. Licet enim sensibiliter soli pedes in tumorem attollantur, aliæ tamen partes simili quoque tumore insensibiliter tument: Cum illa etiam post aures, in collo, atque alibi fit eruptio ex communi materia ortum habeat; commune verò privato anteferendum. Igitur quod attinet tumorem in pedibus solitum excitari, rectè à nobis dici ædematosum, inde constat, quod neque color partium affectarum differat à colore naturali, neque effervescentia caloris, neque dolor aut duritas ulla percipiatur. Quia verò pedes se ipsis quodammodo crassiores efficiuntur, hinc est quod ille tumor à quibusdam inter morbos à magnitudine aucta referri dicatur, haud rectè meo indicio. Nam cum omne augmentum fiat per additionem substantiæ eiusdem rationis cum eo, cui fit additio, nequaquam pedum caro musculosa dicetur ex illo tumore aucta, cum illud omne quod adijcitur sit extra illius naturum, & excrementitium; sicuti enim spongia turgescit ex recepto humore, neque tamen mole dicitur aucta, ita quoq; pedes sive flatu sive humore in illorum oscula & meatus se induente, inflari quidem nequaquam augeri dicentur nisi forte magnitudinem non ad ipsos pedes, verùm ad illa porosa oscula, exiguis carnis musculosæ particulis interjecta, in quibus humor stabulatur, referri velint; hæc enim ex influxu humoris ampliantur. Verùm si ita, cur potius magnitudinis, quam situs, aut distantiæ particularum ratio habetur? Quia & ampliatis poris necesse illas particulas, quæ quasi ambiunt, & sua concavitate poros concludunt, alias quidem distendi, alias verò coarctari, ut proinde nequeat ad unum ex illis

genus

genus referri. Et licet ad curationem nihil intersit, quo nomine di-
ci debeat hic affectus, dummodo de illius natura constet; quia ta-
mē nostro seculo plures sibi honori ducunt subtilitatem in verbis cō-
sectari, hæc idcirco adjeci, ne ob prætermissum à me nomen minus
subtilis iudicarer. Ego vero prius naturam indagandam censeo,
inde verò nomina, si necesse fuerit, adaptare. Quæ igitur erit es-
sentia huius morbi? Nam cum sanitas & ægritudo commune habe-
ant subjectum, sanitas verò pedis non sit extra pedem, necesse
hunc quoque affectum in substantia pedis esse, tanquam in proprio
subjecto. Videtur autem illius essentia consistere in quadam exten-
sione, & ampliatione osculorum, quæ inducitur ex illapsu materiæ
poros distendentis. Etenim sanitas adest, cum huiusmodi particu-
læ illis cavernulis intercisæ justo intervallo à se absistunt: Ad ex-
tensionem verò sequitur rarefactio, & quasi distractio quædam par-
ticularum ambientium poros. Cum enim superficies concava talis
particulæ maius spatium comprehendat, neque mole sit aucta, se-
quitur necessariò esse rarefactam. Quod si dicas natura prius esse
partes distrahi & rarefieri, inde verò consequi amplitudinem loci.
Respondeo ita quidem, si talis particula per se consideretur; est e-
nim rarefactio motus aut non fine motu, motus autem naturâ prior
suo termino. At si comparatio fiat ad causam efficientem, videlicet
humorem in poros illapsum, prior est natura illa capacitas, sequi-
tur autem per accidens impulsus & rarefactio, ob conditionem talis
corporis. Humor enim cum mole augetur, maius spacium primò &
per se requirit, per accidens verò particulam sibi obviam impellit,
ad impulsum autem sequitur rarefactio. Causa efficiens jam dicti
affectus est humor in illis cavernulis conclusus, qui quatenus sua
interpositione facit, quo minus distentæ particulæ conniveant, di-
citur causa conjuncta, de cuius natura, ortu & causis dicetur paulo
post, ubi prius pauca quædam de pruritu inseremus. Est autem pru-
ritus symptoma, siquidem ad sensum refertur non quidem ipsius tu-
moris, verùm talis materiæ, quæ tumorem efficit. Quod si e-
nim tumorem, quà tumor, sequeretur pruritus, nullus tumor esset
absque pruritu. Oritur hic ex natura salis nitrosi, qui continetur
in eo humore. Etenim cum non ignaviter in illis osculis consistat,
verùm nativam humiditatem in circumjectis particulis contentam,

assiduè rodat, populeturque, sensimque in illam tincturam inferat. Oritur ex illa mordacitate sensus quidam doloris, qui dicitur pruritus. Nam quod natura salis in humido diffluat, & quasi absque termino per ipsum se diffundat, inde perspicere licet, quod sale in aquam conjecto, omnis ex eo efficitur salsa; quod si aliam atque aliam rursum affundas, mox in affusa universam salsedinem gustu deprehendes. Cum itaque illa interna salsedo sese promovet, particulas de substantia carnis demolitur, sibique conjungit, unde diminutio provenit sensim illarum partium; salsedo verò ubi cum particulis ex carne abrasis in superficiem cutis sese extulit, farinæ aut furfuris specie concrescit, sive ab aêre frigido, qualiter ovorum cortices durescunt, sivè ex innata vi eodem modo, quo aqua in quibusdam locis lapidescit, sivè à subjecta cute, aut quia absumpta humiditate, quædam veluti fæx & amurca cuti adhærescit. Erosio autem fit ob similitudinem naturæ: Nam sicuti in alijs omnibus, ita in substantia carnis natura salis continetur alijs principijs permixta, quam cum allicit sal externus, & veluti exacuit, dissoluitur harmonia principiorum, atque tum illa portio abstergitur & abscedit: Hoc enim proprie dicitur abstergi, quemadmodum in sapone fieri videmus. Idcirco enim per ipsum vestimenta emaculantur, quia & salis & pinguedinis naturam in se continet. Itaque per hanc quidem omnia pinguia & viscosas illas sordes, quibus camisiæ tinguntur, absorbet. Quia verò de sale participat, aqua salem eluendo, pinguedinem una dissolvit & eluit. Estque hoc pacto sal medium conjunctivum, cuius beneficio duo extrema pingue & aquosum inter se colligantur. Eadem causa censeri debet illius pruritus, qui absque tumore in collo, post aures, atque alibi excitatur, sivè postulæ cavitentur sivè quibusdam assulis furfurareis cutis exasperetur. Cum enim ille idem humor, qui in pedibus tumorem pruriginosum excitavit, illas quoque partes infestet, necesse similem affectum inde consequi, non tamen etiam ipsum tumorem, qui non ad materiam sed ad materiæ copiam succrescit, quod autem minor quàm ibi copia adsit illius materiæ, ratio petenda tam ex debilitate, quam utrumque crus ex vulnere, aut ictu videtur contraxisse, tum ex situ decliviore, atque minori copia caloris, qui huiusmodi humiditates digerit & absumit. adde quod natura ad partes minus nobiles sentinam exonerat. Hæc de causa

causa proxima tumoris & pruritus, quam esse dicebamus nitrosam humiditatem, tumorem quidem copia, pruritum verò sua mordacitate efficientem, ; restat ut de via per quam huc commeat, tum quomodo, & à quibus causis ortum habeat, differamus, ex quibus bene cognitis bona curatio dependet. Et videtur imprimis non aliunde derivari, verùm vitio affectæ particulæ eò loci esse congesta, sivè dicamus illius excrementa ob imbecillitatem virtutis expulsivæ, illic morari & subsistere, sive affluens alimentum ob pravam dispositionem corrumpi .· Pedes enim ex vulnere atque debilitati videntur, sive ad utrumque sive ad alterum horum satis dispositi. nam ex congestione humoris probi & alimentarij posse in aliqua parte succrescere excrementa, à quibus oriatur tumor, inde constat·. Quia videmus in vulneribus ob pravam dispositionem succos quantumuis probos & laudabiles degenerare & corrumpi; sanguis enim primò efficitur saniosus, inde purulentus, & si vulnera negligantur, diu sordida manent. Quod verò existimant huiusmodi saniem ex defluxu humoris ortum habere, qui ob vim doloris eò alliciatur, refellitur ex eo; quod si ratione doloris fiat impetus ad partes dolore affectas, sequitur in corpore cacochymico magnam vim puris colligi in vulneribus, neque tam exiguam illius portionem emplastris adhærere. At verò rem ita habere censendum facta divisione à plaga aut vulnere accepto, exudat à vicinis vulneri particulis humiditas interna, quæ extra proprium locum rejecta, corruptionem subit; nec est necesse ex corrupto sanguine protinus Phlegmonem accendi, siquidem non prohibetur illius transpiratio, vis enim ignea & sulphurea in aëre aperto eventillatur. Ast cum vulnera malè expurgantur, calor ex pure aut sanie conclusus ardorem concipit; partesque sibi vicinas inflammat. Quod autem dolor non sit causa attractiva humorum, patet ex sensu, quem acre frigus inducit .· Licet enim ad ossa penetrare & veluti perforare illa videatur, non tamē allicit ad partem dolentem, sed potius repellit & exprimit. Non igitur ex eo præcisè quia dolor adest, sequitur attractio; quod si dicat calorem quoque adesse debere & dolori conjungi, inprimis per hoc responsum corruit illa distinctio causarum attractivarum, deinde calorem esse principium lationis, quæ sursum fit, concedimus; ab eo verò veluti quodam magnete aliquid trahi, tam falsum, ut nihil

hil falsius, quod alibi à nobis probatur, ne hîc extra terminos longius abeamus. Illorum autem error videtur inde cepisse, quod cum viderent membrum ex concepto calore protinus in tumorem attolli, quod nequit fieri absque materiæ confluxu, in hanc opinionem devenêre, ut existimarent calorem hæc omnia effecisse, de nullo alio solliciti, neque causam per se à causis per accidens distinguentes. At non ita res habet, nam in Erisipelate, in igne sacro tam acer adest calor, ut membra eo exuri videantur, neque tamen ad illas partes fit attractio humoris, qui tumorem inducat; deinde dicimus humoris affluxum fieri quidem à calore, non tamen ea parte consistente, & veluti ad se trahente, sed à calore eò influente humoresque in transitu obvios impellente. Etenim calor sive spiritus, in quo vita inest, protinus ad partes læsas accurrit, sicuti fieri videmus in affectibus cordis, in quibus ex retractione spirituum, partes externæ refrigerantur, & spiritibus destitutæ, specie cadaveris, & veluti emortuæ apparent. Et hinc est, quod concoctio alimenti, omnisque functio naturalis dicitur impediri per acres curas, & studia indefessa; quia spiritus qui omnia in nobis administrant, circa functiones animales tùm detinentur. Verùm licet ex tali congestione quandoque proveniat copia excrementi, non tamen hîc ita fieri censendum, cum nulla tam insignis læsio partibus illis insit, ob quam corruptio adveniat alimento; deinde quia non solùm in pedibus, sed etiam in aliis partibus adest pruritus, igitur ex communi materia ortum habebit similis utrobique affectus. Dicendum ergò hanc materiam salsuginosam ex sanguine in venis malè elaborato proficisci; nec enim videtur aliunde posse tàm promptè submitti. Et cum vitio alicujus concoctionis sanguis male elaboretur, videndum cujusmodi hoc vitium esse possit, sine cujus cognitione nequit illius curatio à nobis obtineri. Duæ autem sunt, ex communi medicorum sententia, concoctiones toti corpori communes, quarum altera in ventriculo, vel si mavis in ore incipit, absolvitur in intestinis; altera verò à venis Messeraicis ad venam cavam se exporrigit. quomodo autem utraque in nobis fiat accuratè alibi est ostensum, hic summatim ea tantùm à quibus curatio dependet, delibanda. Dictum igitur à nobis fuit, duo requiri ad concoctionem, alterum quidem ut alimenta in succum resolvantur; alterum, ut succi jam resoluti inter se misceantur, & convenienti mo-

do

do alterentur, ita ut omnes particulæ fiant inter se similes & homogeneæ quoad sensum; & in hoc propriè consistit concoctio, quæ alibi à nobis definitur Motus & progressio corporis in humido soluti à principio seminali interno, uno, aut pluribus, calore idoneo ad agendum excitatis, ad mixtum simpliciter, vel novo modo constituendum. Ex qua definitione colligitur alterationem, per quam fit chylus, pendere partim ex actione, quam in se mutuò exercent substantiæ in alimentis contentæ, partim à nativo calore, sive à spiritibus qui alimento permisti, ipsum suis signaturis debitè exornant, quatenus substantia nutritioni idonea inde oriatur. Resolutio autem alimenti non fit a calore elementari, sicuti neque concoctio se à spiritibus, esurinis aptè vacatis, neque nisi sui generis alimenta, in quæ se insinuant, agnoscentibus: eodem modo quo aqua chrysulca metallum perrumpit & soluit; hinc est quod non omnia alimenta in omnibus ventriculis solvantur, quia neque illorum spirituum una est natura, ferrumque atterit Strutio, quod non igneus venter Leonis, non ipse ignis atterere potest; licet verò calor non sit primaria causa illius solutionis, vel alterationis, nequit tamen hæc aut illa absque debito calore administrari; ad omnes enim functiones certa caloris dimensio requiritur, sivè dicatur ipse calor ad actionem aliquid conferre, sivè duntaxat rationem signi obtinere ad aliam causam conjunctam, quam perpetuò ipse comitetur. Præterea cum duo concurrant ad chylum virtus chylifica & alimentum, bonus erit chylus, cum in eo nullus fuerit defectus, ex parte quidem alimenti, cum ea, quæ assumuntur, proportionem habent tum ad virtutem alteratricem, tum etiam inter se, ita videlicet, ut in se agere, & mutuo à se pati queant, id est miscibilia esse vera mistione, quæ fit per similem alterationem omnium particularum; proportio autem respectu virtutis ea dicitur, cum in admittendis signaturis illius dispositioni promptè obediunt. & defectu talis proportionis, alia quidem ob insolubilem naturæ suæ compagem, nequeunt partes esse chyli, alia licet facile soluantur, aut etiam soluta & liquida sumantur, quæ tamen in explicandis signaturis suopte ingenio ducuntur, & virtuti obluctantur, qualia sunt genus omne veneni, à ratione alimenti excluduntur. Licet enim quandoquè externa specie chylo assimilentur, diffident tamen externis signaturis, quæ postea toti mixto perniciem adducunt. Quod si ita-

ſi itaque ex parte alimenti ſtabit, quo minus inculpatè concoctio procedat, dicitur fieri ob errorem externum, quia neque virtus, neque illius inſtrumentum aliquid patitur, ſed ob materiam non debitam, vel non debito modo adhibitam accidit, in opere aberrare. At cum diutius in ventriculo ſubſiſtit, vel nimis citò elabitur, unde corruptio illi advenit, non ex ſolo errore externo hoc provenit, violenta enim retentio vel nimis feſtinata excretio nequit eſſe abſque aliquo affectu ventriculi. Quod verò attinet facultatem, tametſi ex ſe impatibilis ſit utpote ipſa animæ eſſentia; quia tamen anima non extra corpus, ſed in corpore & per ipſum corpus ſuas exercet functiones, pro illius ratione bene & male affecti bene aut male operatur. Eſt autem animæ ſubjectum, teſte Ariſtotele, ſubſtantia quædam aërea, quæ rurſum in alio corpore texturæ ſolidioris recipitur, in quo more balſami aut precioſi liquoris aſſervatur; omnis autem læſio, quæ facultati ſupervenit, ex mala huius corporis atque illius ſpiritus compoſitione provenit. Sicuti enim vas raræ texturæ aut rimis fatiſcens, non eſt idoneum pretioſo liquori aſſervando, ita corpus illud, quod eſt receptaculum ſpiritus, ut idoneum ſit, oportet, neque nimis laxum aut rimoſum eſſe neque nimis durum & veluti ſcirrhoſum: In hoc enim ſpiritus quaſi adſtrictus arcetur à motu, in eo verò promptè diſſipatur. Sed & caliditas moderata eſſe debet, hæc enim ubi modum exceſſit, chylum veluti adurit: Ab imbecillo verò calore cruditas & concoctio diminuta provenit. Præterea vias expeditas eſſe oportet, per quas vitæ ſpiritus pervenit ad ventriculum atque inde ad alimentum. Itaque ſi lenta & viſcida pituita ventriculum obleverit, ſpiritus nequit accedere ad alimentum, quemadmodum in magnete oleo delibuto illius virtus, quò minùs ferrum attingat, & ad ſe trahat, ab effluxu prohibetur, ſpiritus autem patitur, cum vel impurus evaſit ex fæcum admiſtione, vel peregrinos ſpiritus in ſe recepit, qui ſimul fabricam chyli depravant, & corrumpunt, affectus enim ſequitur conditionem cauſæ, quemadmodum fructus ex inſitione vel ſeminum confuſione miſceri contingit. Et hinc oriuntur depravati appetitus & concupiſcentiæ alimentorum, quales in utero gerentibus ſolent eſſe frequentes. Hæc & alia plura quæ ad bonam concoctionem ventriculi neceſſaria eſſe diximus, ad hæmatoſim & ipſum hepar proportione quadam ſunt transferenda. Quia verò

verò nequit tam bonum esse alimentum, quod secundum se totum in substantiam chyli transeat, sed necesse ex eo quoque nasci excrementa, propterea, quod quantumvis simplex apparet, plures tamen in illius compositione continentur naturæ, quæ non omnes sunt aptæ in chylum mutari aut recipere impressionem virtutis alterativæ, nisi quoad apparentiam tantùm, & cum nutritio sit finis concoctionis, sequitur illa tantùm dici concocta, quæ partes fiunt chyli communibus indutæ signaturis: Reliqua omnia quæ manent extra rationem talis misti, dicuntur excrementa; Non tamen necesse protinus sensu utraque à se distingui, quia confundi possunt tantisper priusquam à natura incipiant separari, quemadmodum oleo amurca & fæx musto prius confundebantur: Hac enim ratione chylo cohærent excrementa, quæ demùm in intestinis incipiunt separari. Et licet separatio pluribus modis esse possit, nos tamen hunc, qui sequitur facilem intellectu judicamus, quod cum omnes particulæ similem nactæ sunt mutationem, appetunt inter se conjungi; similitudo enim principium conjunctionis, cum itaque inter se uniuntur partes similis naturæ, partes dissimilares eliduntur, & quasi ex centro ad superficiem trahuntur. Non enim potest, ut ait Hipp. lib. 1. de veteri medicina, id quod similes habet mores indiscordibus locis permanere, observant enim veluti ignota, permixta verò inter se cognoscuntur; Concors enim concordi adhæret ac assidet. Discordia autem rebellant & pugnant, atque inter se diffident. Expulsæ verò partes excrementitiæ quandoque inter se permixtæ & confusæ externa specie mistum exhibent, quandoque ob magnam dissimilitudinem in plures veluti factiones distrahuntur, atque ita fit ut duo, aut etiam plura excrementa, tanquam diversæ familiæ oriantur, quæ ob variam signaturam quam sensui exhibent; diversis nominibus solent distingui pituitæ, bilis, melancholiæ &c. quæ postea à corpore per vias à natura destinatas eliminantur. Hac itaque ratione separatur & expellitur â chylo primum, quod est naturæ sulphureæ excrementum, inde verò chylus à fæce turbulenta jam liber, non tamen ex toto depuratus, ad alteram officinam defertur, in qua perfectius elaboratus vestem amaranthinam & regalem purpuream induit. Et quia in hepate nova virtus chylo se commiscet, tùm ob receptum hunc hospitem, tùm quia nova digestione plures substantias à se rejicit, oritur

nova misti ratio, per quam differt à chylo, & sanguis incipit vocari. Licet enim ex prima impressione ventriculi partes illæ rejectæ chylo assimilatæ videantur, non tamen alteram impressionem sanguificæ virtutis sustinent, unde oritur dissimilitudo, inde & partium dissimilium separatio & excretio. Ex quibus liquet non posse fieri separationem, multò minus excretionem, nisi concoctio peracta fuerit. Nam si concoctio fuerit imperfecta, multæ impuritates cohærent propterea, quod in admittendis primis signaturis faciles ac morigeras sese præbent, atque ob illam similitudinis vim arctiùs cohærent, quò minus promptè à se divellantur: At cum ulteriùs perficiuntur ex illarum ingenio contumaci, mox oritur dissensio & morum dissimilitudo. Itaque rectè monebat Hipp: sect: Aph: concocta esse medicanda non cruda. Quod si enim materia existente cruda Pharmacum alicui propinetur, alterum ex duobus sequi necesse, aut quod impuritates arctius colligatæ vi medicamenti attractæ partes utiles simul evellant; aut quod effectu ex toto priventur, non eductis sed perturbatis sua violentia humoribus. Hæc autem quæ hucusque attulimus; eo fine à nobis dicuntur, quò exarte originem cognoscamus illius nitrosæ humiditatis, quæ cruribus tumorem, his verò & alijs partibus pruritum afferre dicebatur. Dicendum verò hanc ex sanguine impuro & fæculento scaturire, qui talis efficitur ob retentum serosum excrementum, quod est de natura salis. Nam sicuti chylus à sulphureo excremento expurgatur in intestinis, ita â nitroso & salso in venis, quod per venas emulgentes eductum, in renibus primûm, inde in vesica colligitur. Cum itaque tale excrementũ non bene à sanguine segregatum est, necesse ut ad partes alendas simul cum sanguine perveniat, ubi primum illa fit, quæ jam alibi peracta esse debebat separatio excrementi, neque tamen perfectè; cum enim modicum illius succi ex quo probè partes aluntur, in eo sanguine contineatur, propterea quod non corrigitur error primæ concoctionis per secundam, sequitur partes malè nutriri, copiam verò excrescere excrementi, qua partes veluti inundantur & in tumorem attolluntur. Cætera addere Mors inopinata Autoris interturbavit.

FINIS.

TRACTATUS MEDICUS
De
NATURA URINÆ

JOANNIS MARCI MARCI

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris.



URinam esse quoddam excrementum à corpore rejectum, omnes conveniunt; plerique etiam esse alicujus concoctionis, quæ in corpore fiat, excrementum. nam ponunt triplicem fieri assumti à nobis alimenti quasi elaborationem, unam in ventriculo, alteram in Hepate, tertiam in unaquaque corporis parte. Actuarius quartam adjicit, quam in vena cava fieri putat, atque hujus concoctionis excrementum esse urinam. Deinde supponunt à qualibet concoctione duo excrementa provenire, alterum crassum, alterum verò tenue, ad ita sentiendum Galeni autoritate atque hâc ratione persvasi, quod cum nihil nisi mediocre naturæ possit assimilari, necessariò si quid crassius vel tenuius fuerit mediocri tanquam inutile & excrementum à natura negligi. At verò de loco & modo generationis inter se litigant, alij in ventriculo, alii in hepate, alij in venis ortum habere rati tale excrementum. Nam Actuarius ex illà quartâ concoctione urinam deducit, quem Argenterius refellere conatur eâ ratione, quod cùm omnes venæ sint ejusdem naturæ, non erit ratio cur in hac & non etiam in aliis talis concoctio fieri debeat: quod si ita, eveniet ut pro numero venarum totidem futuræ sint concoctiones. Secundò quia nequit assignari materia, unde tale excrementũ generetur. Tertiò quia dato uno excremento talis concoctionis deberet quoque alterum dari: quod tamen hîc non potest assignari. Qui verò in hepate urinam ponunt generari, hoc illos manet absurdum, quòd plura duobus cogantur admittere unius concoctionis excrementa; nam præter bilem & Melancholiam, quæ in hepate generari omnes dicunt, erit tertium quid urina. Eadem ratio facit nè in tertia concoctione, quæ in singulis cujusque particulæ ventriculis elaboratur, ortum habere posse videatur, nam cum & vapor halituosus insensibiliter à corpore transpirans & illa crassior sordes, quæ camisias sua pinguedine inficit, & colorat, duo constituant excrementa, locus non erit generationi urinæ. Superest ut dicamus in ventriculo in prima chyli concoctione illam generari, quod videtur probari à sufficienti partium enumeratione. Deinde cùm fæces alvi sint hujus concoctionis crassius excrementum, erit urina alterum tenue ex-

crementum. Et hanc opinionem plerique tuentur, tametsi neget Argent. urinam dici, priusquam à sanguine secreta & ad renes fuerit amandata: excrementa enim non accipere nomen excrementi aliis humoribus permixta: quod exemplo utriusque bilis atque pituitæ declarat, quæ quousque sanguini permiscentur, humores non excrementa dicuntur. Verùm hallucinatus Argent. nam si solùm ab excernendo diceretur excrementum, verùm esset, non prius tale dici, quàm interventu potentiæ excretricis tale fieret: at quia non ex illa actione, sed à substantia & rei natura dicitur excrementum, idcirco enim excernitur, quia talis est naturæ quæ non debet subsistere in illa Repub. ubivis demum hanc naturam existentem nomen excrementi comitatur. Bilis verò aut pituita dum sanguinis est pars constitutiva, alterius est naturæ ab excremento, in quod postea degenerat per substantiæ talis corruptionem. quod si fiat cùm adhuc sanguini illa hæret jam tùm dicetur excrementum. Locus itaq; generationis urinæ, juxta sententiam magis receptam, erit ventriculus; materia verò potus & quicquid habet vim potus. unde dicit Gal. nos paulò minus mingere quàm bibamus, nihil dubitans hunc esse materiam urinæ. Modus generationis in hunc fere modum concipi debet: posteaquam cibus & potus, solida & liquida inter se permiscentur, tametsi ex illis ita permixtis enasci videtur simplex & unius naturæ chylus, quia tamen partes insunt heterogeneæ, aliæ magis crassæ & terrestris naturæ, neque resolubiles in minimas particulas, quales requirit exacta mixtio, aliæ verò liquidiores: accidit ob hanc partium inæqualitatem dissimiliter mutari, nam perfectam assimilationem consequuntur particulæ mediocres, crassæ verò aut nimiùm tenues, non nisi imperfectè alterantur. Neque tamen contingit separatio partium heterogenerarum in ventriculo existente chylo, sed ubi demum is cepit distribui per illas multiplices & in se variè convolutas intestinorum spiras, nam crassæ quidem protinus suo pondere subsidunt, mediocres verò & nutritioni idoneæ cum sero & tenui excremento adhuc confusæ per venas messaraicas ad hepatis officinam deferuntur. etsi enim tale serum prorsus sit inutile ad partium aliquam nutriendam, cùm totâ naturâ sit excrementum, quia tamen sua fluxili mobilitate confert ad facilem citamque distributionem non

prius ſeparari ipſum oportebat, quàm chylo jam diſtributo, tum enim à renibus ſiticuloſis per venas emulgentes avidè epotatur. Hæc quidem conformiter vulgatæ opinioni à nobis dicuntur: quæ tamen nimis craſſè & confusè de illius natura decernere videtur. Ut verò ſubtilius & magis enucleate aliquid dicamus, & quid ſupradictæ opiniones veritatis contineant, perſpicere valeamus: fundamenta hic ſubjiciemus, ex quibus ſtabilitis veritatem elicere & certa ab incertis ſegregare enitemur. Quod itaque ſupradicti Autores ſupponunt in omni concoctione duo ex neceſſitate reſultare excrementa, id neq; ex natura concoctionis probant, neque ad perſuadendum ullius momenti afferunt rationes: ſad ex falſis hypotheſibus concluſiones non abſimiles ſuis principiis derivant. Nam in illa argumentatione, quà ex fine concoctionis, quæ dicitur aſſimilatio, inferunt, ſi quid parte nutrienda craſsius vel tenuius fuerit non poſſe aſſimilari, multipliciter aberrant: quia imprimis ſupponere videntur, ſubſtantias rerum nihil includere præter formas elementorum, & certam aliquã ex primis & ſecundis qualitatibus temperaturam. Secundò quod aſſimilationem quærunt in ſolis accidentibus non etiam in ſubſtantia. Tertiò quia falſam eſt craſſum non poſſe attenuari, vel tenue incraſſari, atque ita utrumque effici mediocre: vel etiam per ſolam miſtionem craſſi & tenuis exiſtere mediocritatem. Quartò cum ſicuti craſſum & tenue ita etiam mediocre ad aliquid collatum tale dicatur, neceſſe mediocrem illam ſubſtantiam, quæ ſola ponitur aſſimilari, ad aliquid referri, cui ſimilis fieri debet. At nihil eſſe poteſt cui dicatur aſſimilari: non enim calor, qui neque craſſus neque tenuis dici poteſt: nequè ventriculus: nam cùm ſit craſsior omni etiam excremento, hoc potiùs quàm illa mediocris ſubſtantia diceretur ventriculo aſsimilari; neque partium corporis una, etenim cùm chylus ex æquo omnes nutrire debeat, quarum aliæ craſſæ aliæ tenues, aliæ verò mediocres exiſtunt: ſi uni illarum ponatur aſſimilari non erit idoneꝰ ad reliquas partes diſſimilis naturæ alendas. Præterea Canibali atq; novi orbis antropophagi dapibus humanis aſſueti, non minus ex illis carnibus quibus ſapidè & voluptuosè veſcuntur, quàm ex pſittacis unà elixis producunt excrementa, & tamẽ omnimoda ſimilitudo intercedit. quin ipſe ventriculus, ſi quis ipſum eſitarit, in alio ventriculo

con-

contabeſcet, atque in chylum redactus de ſe proferet excrementa. At quænam hîc quæri poteſt ſimilitudo? omnis enim mutatio quam ventriculus inducit alteri ventriculo erit non naturalis & aliena ſiquidem omnis mutatio à ſtatu in quo res erat, ad ſtatum illi oppoſitum recedit. Deinde videmus plura alimenta diſſimiliter habere in ratione temperamenti & tamen à ventriculo probè digeri: Alia verò occultis viribus differre, neque concoqui poſſe quantumvis temperamenti ſimilitudine ſenſibus blandiuntur. Non igitur in craſi conſiſtet ratio probæ aut pravæ, facilis aut difficilis concoctionis. Vlterius quæri poteſt an in ventriculo bene conſtituto conferri putāt ſummam perfectionem, quam dare poteſt ventriculus alimento: Ita quod ſi diutius in eo hæreret, non poſsit ulterius perfici? & videtur hoc conforme illorum opinioni, qui dicunt ob talem moram corrumpi chylum. Cum enim ventriculus ſummâ, quam dare potuit, perfectione, chylum exornârit, nihil addere ipſi poteſt novæ perfectionis. Quod ſi nihilominus neceſſe adhuc chylum mutari, neque tamen in melius proficere poteſt, reliquum eſt ut in deterius mutari debeat, ſed tunc quæſtio erit, quis faciat hanc in deterius mutationem? Non enim ipſe ventriculus qui nihil ſibi diſſimile poteſt generare. Quòd ſi dicas hunc majorem vim accepiſſe ad mutandū, quàm, quæ ſufficit ad inducendam chylo diſpoſitionem nutritioni idoneam, ita ut, niſi ſubducto protinus chylo impediatur ulterior actio, producturus ſit diſpoſitionem contrariam illi quæ requiritur ad corpus alendum, quemadmodum ſi ad ignem diu coquimus, accidit tandem corrumpi alimentum: Abſurdum hoc eſſe inde poterit oſtēdi, quod, cum virtus illa, quæ mutat alimentum & in chylum redigit, vel eadem ſit cum facultate nutritiva, vel certè ad illam ordinata, & illius legibus ſubjecta, nequit ferri extra limitem ſui objecti. Abſurdum enim per virtutem naturalem produci effectum non naturalem. Neque facit huc ſimilitudo ab igne deſumpta, hic enim pro fine habet non coquere, ſed ignem generare. Itaque eo modo ipſum elaborát, non quo idoneum faciat corpori alendo, ſed quo formam ignis inde eliciat, & ignem producat. Quid ergo mirum corrumpi alimentum, cum jam eò proceſsit actio ut ignis ex eo debeat emicare, qui non minus corpus quàm alimentum exurere ſolet? At po-

tentia

tentia naturalis cum sit determinata ad actum concoctionis non simpliciter, sed talis quæ est necessaria ad nutritionem, oportet illum actum potentiæ coæquari, atque ita perfectionem chyli crescere cum gradu concoctionis, ita ut summè concoctus sit idem qui summè perfectus. Non igitur corruptio chyli in ipso ventriculo habet radicem, sed neque ex partibus chyli videtur proficisci eà ratione, quod partes heterogeneæ per dissonas & contrarias actiones sibi ipsis sint causa exitij vel depravationis: Quibus enim viribus eliciuntur actiones corruptivæ, aut quænam hîc esse potest contrarietas? Quod si enim partes non aliâ à se differunt ratione, quàm quod aliæ crassæ aliæ tenues perhibentur, quid prohibet mutua reactione utrasque contemperari & ad mediocritatem ita reduci? At si illa dissimilitudo substantiam quoque attingit, quia nimirùm in generatione chyli dum elaboratur illa mediocris substantia corpori alendo idonea, simul connascuntur duæ aut plures substantiæ alterius à chylo naturæ: Quæ propterea, quod nullum corporis partē nutrire queant, excrementa dicuntur: Alia orietur quæstio, an duæ illæ pluresve substantiæ de novo generentur ex aliqua parte chyli, ita ut corruptâ talis alimenti formâ, *& speciem recipiat illis dispositionibus congruentem*, materia quæ suberat illi formæ in tres veluti factiones abeat: & pars quidem illa quæ optimas accepit dispositiones à ventriculo quoque formam & speciem recipiat illis dispositionibus congruentem, quæ & chylum in suo esse constituat & ab omnibus aliis distinguat, reliquæ verò partes materiæ, quibus non contigit ille apparatus, speciem peregrinam & à natura chyli & moribus alienam sortiantur. quod si ita, ulterius quæritur quænam sit virtus talium formarum creatrix? neq; enim formæ ex seipsis, & quasi sua sponte prosiliunt, neque ex natura ventriculi ortum habent, deinde an semper ex omni alimento certa aliqua portio existit, quæ recipiat unius rationis formam ad cōstituendum tale excrementum, quemadmodum & unius naturæ chylus videtur ex omni alimento generari. an sicuti magna est varietas materiæ alimentorum, ita diversæ oriantur species excrementorum, sitque alia species excrementi quod ex allio, cepis, nasturtio, sinapi, melle producitur, ab eo quod ex lactuca, cichorio, endivia, sedo, protulaca, solet procreari; nam si ita, magna erit multitudo causarum

quæ

quæ tam diversas inter se procreant formas : Non enim possibile idem agens ex se parere tantam varietatem. An existimandum, fieri excrementum, non idem esse, quod aliquid denovo generari, sed satis esse quod forma sive substantia quæ præextitit in alimento aliarum permistione tantisper cohibita & veluti delitescens, in illa resolutione alimenti ab alijs separetur ? etenim in eodem alimento continentur partes heterogeneæ quæ non omnes reduci queunt ad naturam chyli, propterea quod non expellitur forma nisi contrariæ & incompossibiles super inductæ fuerint dispositiones : Si itaque dispositiones facile abolentur, materia alias de novo & simul formam chyli recipit : Si autem contumaciùs illi adhærescunt, forma illarum ministerio defensa non facilé expellitur. Ex hac positione sequitur pro diversitate alimenti differreà se excrementa, cum enim differentibus specie alimentis diversæ insint formæ, quæ dicuntur manere in ita genitis excrementis, sequitur quot sunt species alimenti, totidem differentias esse debere excrementi. Hoc tamen intellige juxta illam sententiam quæ uni mixto non nisi unam formam concedit; nam si præter formam talis mixti admittantur aliæ formæ partiales à quibusdam dictæ; Vel si dicamus alimentum sicuti omnia alia mixta coalescere ex pluribus naturis, quia non repugnat plura mixta partem substantiæ communem, vel formam eandem participare, non erit necessarium pro diversitate alimenti differre à se excrementa. Potest enim sive talis pars sive forma alimenti obstare corruptioni, alijsque formis extinctis ipsa perennare, ob insolubilem naturæ perficaciam post omnes mutationes superstes, & ita in omnibus vel quibusdam alimentis constituere excrementum unius rationis. In tanta opinionum varietate quænam veritati sit magis conformis, difficile est determinare. Necesse verò naturam illius concoctionis quæ in ventriculo peragi solet, prius habere exploratam : Quomodo enim sciam quid sit excrementum concoctionis, nisi quid illa sit, constet ? Non tamen hîc ex proposito de illa agere intendimus, sed quantum instituto erit satis, multa supponentes alibi probata vel probanda.

Quid igitur fiat cum jam cibus dentibus concisus & comminutus ventriculo excipitur, quot & quales corruptiones, generationes, &

in totum mutationes interveniant, explorare solo sensu, impossibile videtur: nam, ut dicit Gal: lib. 1. de elem. c. 1. si quis æruginem & cadmiam, & lythargyrum, & misy exquisitè trita & in pulverem redacta simul commista sensui subjicere velit, unum tibi omnia apparebunt: & tamen unum quodque in illa commixtione suam retinet ab aliis diversam naturam. Ita quoque in chylo, dum permiscentur inter se tam varia alimenta, tametsi una chyli species ex omnibus ita confusis videtur enasci, est tamen incertum an ex illa confusione cujusque alimenti formam & essentiam extingui, an aliquas superstites esse, & quænam illæ sint, an unam pluresve denovo generari & à quo genitore, existimandum. Cum itaque sensus externus non sit idoneus hanc veritatem proximè aperire: aliunde principium investigandæ & eruendæ veritatis desumemus. ita tamen ut nihil eorum quæ sensibus apparent tollere vel illis repugnare videamur. Primum fundamentum nostræ doctrinæ hoc erit nihil posse de novo generari nisi ab eo quod jam est actu, sive quod habet formam rei gignendæ quæ sententia ab Aristotele multis in locis expressa habetur, atque illius veritas constat ex communi hominum sensu, quis enim unquam dubitavit non posse alteri dare quod quis non habet? siquid igitur dicendum de novo generari, necesse generans præexistere, atque ita nihil in ventriculo posse oriri, nisi substantiæ producendæ formam aut ipse ventriculus, aut alia substantia in ventriculo contenta actu in se habeat, non tamen requirimus siquid de novo apparere & alio schæmate in mundi scænam prodire debeat, præextitisse aliã substantiam sub illis signaturis, quæ hanc talem & sibi per omnia similem produxerit, cùm enim è cæno rana, aut mus è fimeto nascitur, non vel ibi rana vel hic mus utrumque conformavit: nihilominus tamen utrobique forma actu præextitit, quæ corpus sibi tale fabricavit: neque omnino fieri potest ut alia forma quæ non sit muris illam produxerit. hoc ergo volumus, quod si nova species mixti oriri debeat, necesse sit in illa materia quæ mutatur ad talem formam præexistere, aut si de novo esse debeat, ab alio actu habente illam, in talem materiam proficisci, quemadmodum in materiam ligni formam ignis videmus ab igne propagari. Secundum. Virtutem specificam esse inseparabilem à sua forma, neque produci posse

ante

ante formam, neque durare eâ corruptâ. cùm enim sit vel ipsa essentia, vel quidam quasi vitalis ab insitis naturæ principiis effluxus, necessariò illius corruptione extinguitur, & quemadmodum lumen solis occasu evanescit. Quod nisi ita esse dicamus tollitur via & modus cognoscendi res in sua specifica natura & ab aliis distinguendi, quia nulla ratio superesse videbitur ad stabiliendam formam substantialē, siquidem per se existere potest rei proprietas, quæ non minus, quàm cum forma adesset, actionum fæcunditate sit conspicua. Verùm ergò habet virtutem specificam formæ indissolubili nexu cohærere, atquè ex ea rectè inferri præsentiam formæ tanquam primæ radicis tùm virtutis tùm omnium actionum, ut si v. g. aliquid certâ sui parte sive Austrinum sive Arctoum cæli punctum respiciat, aut ferrum in vicinia positum ad se trahat, rectè inferimus magnetis naturam & formam tali corpori inesse. non tamen è converso licet inferre actiones necessariò talem speciem comitari, ut si quid vim & formam habeat magnetis, protinus & ferrum trahere, & certam poli regionem demonstrare debeat. ratio quia posterius à priori, non verò hoc ab illo dependet unde ibi non hîc vim habet consequentia, multis enim modis contingit impediri tales actiones.

Tertium. Nullum accidens afferre necessitatem formæ expellendæ, sed hanc proximè & per se expelli per aliam formam idque ob incompossibilem simul existendi modum in una communi materia: cur enim tale accidens formam expellere debet? an quia repugnat accidentibus formæ expellendæ debitis? at videmus aquæ formam sub intensa caliditate stare, quæ debitæ illi frigiditati adversatur. An quia hujusmodi accidentia tametsi consistere queunt cum illa forma, ex præscripto tamen naturæ alteri formæ debentur, idcirco hanc in apparatum sibi domicilinm immigrare? Sed quæro causæ illæ quæ talem apparatum induxerunt materiæ (nihil enim ex seipso & sine causa producente esse potest) an habeant illam formam quæ ponitur sequi tales dispositiones & illum apparatum: quòd si ita: igitur hæc sibi similem in genito formam producere non verò illæ dispositiones efficere dicentur; si verò non habent talem formam, neque alteri dare valebunt. præterea cùm necesse sit in omni alteratione similia accidentia ijs produci quæ sunt in alterante (omne enim agens in-

 tendit

tendit paſſum aſsimilare) non poterit alia forma illis convenire, quàm quæ eſt intali agente, vel certè pluribus formis dicetur eadem diſpoſitio convenire : Quod videtur abſurdum, ſiquidem formæ per eas determinantur, & præterea non erit ratio, quare hæc potius quam illa ſuccedere debeat. Quod ſi dicas ita quidem fieri cum jam ultima adeſt perfectio diſpoſitionis deberi tale ſubjectum formæ agentis : At quia gradus intermedij conveniunt alijs formis, præoccupari ab his materiam convenienter jam diſpoſitam. Contra hoc eſt, quia illud agens perpetuo ſuo fine fruſtraretur, ob intermedias enim diſpoſitiones, in quas neceſſe prius mutari, ſubjectum præoccupabitur ab alia forma. Non igitur poterit illa ſpecies ſe ipſam propagare. Dices ita quidem fieri, ſed per ulteriorem diſpoſitionem rurſum expelli talem formam, quemadmodum in ſpectaculis videmus fieri, expulſis ijs, qui ſubſellia temerè occupârunt, locum honoratioribus aſsignari. Neque abſurdum videri debere ordine quodam ſuccedere tales formas, quemadmodum teſte Ariſtotele ſemen primo quidem plantæ, inde animalis, poſtremò hominis vitam debere vivere. Verùm hanc reſponſionem evertit primum fundamentum, non enim licet hîc aſsignare à quo tales formæ produci debeant. Dices, ab illo agente produci formas medias, à quo ultima forma producitur, propterea quod eminenter in eo continentur formæ minus perfectæ. Sed contra, ſi talis eminentia ſufficit ad productionem formæ inferioris, cum in homine contineantur perfectiones brutorum, ſequeretur ab homine poſſe generari brutum. Neque valet ſi dicas hoc intereſſe diſcrimen, quod formæ brutorum non ſint ita ſubordinatæ formæ hominis, quemadmodum formæ intermediæ, vel quod diſpoſitio ad formam alicuius bruti non ſit una ex diſpoſitionibus medijs ad formam humanam, neque in illius poteſtate contineantur : Nam imprimis falſum eſt, ſi dicatur, formas intermedias tali modo inter ſe ſubordinari. Quæ enim ita ſe habent, ex neceſſitate quodam ordine prioris & poſterioris ſe conſequuntur : At inter tales formas nullus eſſe poteſt ordo, quia poſterior non pendet à priori, neque hæc ad illam diſponit ſubjectum. Quo enim modo dicetur diſponere ? An quia conſervat accidentia producta ? At hæc mutari non conſervari oportet ad generationem formæ poſterioris,

neque se ipsam alteri formæ substernendo, etenim huius ingressu illa expellitur à subjecto. Quòd verò dispositio ad formam bruti non sit una ex dispositionibus humanis, neque in illius potestate contineatur: Nihil potest obstare, quid enim prohibebit, disposità ab alio agente materia ad formam bovis aut leonis, animam hominis ob eminentem illam perfectionem ex ea bovem aut leonem generare?

Quartum fund. Nihil esse in rerum natura quod primo & per se intendit alterius corruptionem, sed omnis corruptio se habet per accidens in generationibus rerum, si quidem comparatio fiat ad causam particularem & ex necessitate agentem. Sententia hæc est communis, imprimis verò Aristotelis qui 2. phys. irridet cuiusdam Pœtæ versum, qui in hunc modum de morte hominis cecinit:

Extremum ob quod natus erat fatumque petivit.

tanquam absurdum esset pro fine statui corruptionem. Idem sentit D. Thomas 3. contra gentes & 1. p. q. 19. a. 9. probatur hac evidenti ratione, ut corrumpatur forma in aliquo subjecto necesse causam corrumpentẽ aliquid agere circa tale subjectũ: Quod si enim nullam exercet activitatem, nihil ab ea poterit pati subjectum. Si verò dicatur aliquid agere, cum omnis actio sit realis, habebit ea terminum realem ac proinde corruptio non erit absque productione novæ entitatis: quæ cum sit dignior corruptione, in ea potius quàm in hac sita erit ratio finis à tali causa intenti. Secundo Angeli ex eo dicuntur incorruptibiles, quia nulla causa creata potest impedire illum concursum, quo à Deo in suo esse conservantur: Igitur â paritate rationis, cum forma conservetur per concursum causæ materialis, non poterit corrumpi, nisi ab eo quod inhibet talem conservationem & materiæ concursum. at hic nequit inhiberi proximè & per se à causa efficiente, sed à causa formali, sive à forma in tali materia producta, quæ cum nequeat utramque simul sustinere, propterea quod potentia & actus sint adæquati, cogitur dimittere formam priorem & posteriori locum dare. Et licet materia ex se indifferens sit ad hanc & illam formam, hæc tamen prævalet propterea quod iuvatur à causa efficiente. Tertio finis est quoddam bonum & appetibile per se, cuius gratia omnia alia fiunt, sed corruptio nihil habet ex se boni, cum absolutè feratur ad non ens, non igitur per se intendi potest à natura. Ex hoc discursu

ſcurſu habemus non corrumpi alicuius ſubſtantiæ formam, niſi ſpro-tinus alia de novo generetur, quin imo prior eſt natura generatio, idcirco enim corrumpitur forma, quia alia recepta nequit ſimul illā conſervare ſubjectum. Secundò probábile eſſe præter formas elementorum, quæ actu inſunt rebus, uni materiæ non niſi unam formā ſpecificam ineſſe (hoc tamen intellige in ſententia Ariſtotelis quæ ſtatuit materiam informari & ex illius mira quadam potentia, omnes formas in explicabili fæcunditate tanquam Equo Trojano prodire quæ, quam vera ſint, alibi expendemus) probatur. Si enim plures quàm unam admitteret formas, non eſſet neceſſe unius acceſſu aliam corrumpi, ſed totidem poſſent introduci abſque ullius corruptione, donec potentia & capacitas materiæ eſſet expleta & omnibus ſimul ſumptis adæquata: Quod tamen experientiæ & principijs ab Ariſtotele poſitis adverſatur, qui ſtatuit generationem unius eſſe corruptionem alterius. præterea vel omnes formæ ſunt æquales inter ſe quoad materiæ actuationem; vel inæquales, ita nimirum ut formæ perfectiori major potentiæ latitudo, in tali materia reſpondeat. Quod ſi prius dicatur, erit quæcunque forma alteri incompoſſibilis, ita quod ſi una admittatur aliam pellere formaliter à ſubjecto, omnes neceſſariò eandem vim ſe mutuò expellendi habere debent, non igitur erit poſsibile plures formas in uno ſubjecto coëxiſtere. Si poſterius, poterit aliqua forma tantæ eſſe perfectionis, ut ipſa una ſuo ingreſſu plures formas interimat, quæ videlicet inferiores ſunt ordine perfectionis; quod enim capacitas materiæ certo formarum numero ſit jam expleta, ut perfectiori illi recipiendæ ſit locus, oportet corrumpi tot formas inferiores, quot ſimul ſumptæ adæquant talem perfectionem & latitudinem ſubjecti quod debetur formæ perfectiori. Et cum à Deo ſint creabiles formæ in infinitum aliæ alijs perfectiores, numerus autem formarum jam productarum, atque illarum in unum collecta perfectio ſit finita. Poterit aliqua talis forma creari, quæ omnem illam perfectionem ita collectam longè ſuperet. Sed hoc dato non erit receptibilis à materia ex cuius potentia ponitur educi. cum enim omnes formæ ſimul ſumptæ excedant perfectionem & receptibilitatem materiæ, excedit quoque talis forma, quæ perfectione omnes alias tranſcendit, quod tamen eſſe abſurdum inde patet,

quia

quia non erit materia omnium formarum ſubjectum. Præterea per-fectior forma non poterit alia ratione à ſubjecto expelli, niſi plures conveniant formæ inferiores, propterea quod una aliqua talis non adæquat latitudinem materiæ debitam formæ perfectiori, at hoc re-pugnat experientiæ: Videmus enim nobiliſsimam hominis formam ignavæ & ignobilis beſtiolæ morſu expelli.

Objicies materiam quæ ineſt quatuor elementis extra compoſi-tionem mixti fore incompletam, ſi enim compleretur per formam elementi, non poſſet recipere alicuius ſpeciei formam; igitur dabi-tur potentia abſque actu. Reſpondeo id non mirum videri, pro-pterea quod elementa ordinem habent ad ulteriorem perfectionem, eatenus dici imperfecta, repugnat verò potentiam eſſe abſque omni actu non etiam abſque complemento actus. Præſuppoſita veritate horum fundamentorum, propius accedamus, quid nam ſit illa interna ventriculi concoctio, quot & quales habeat mutationes neceſſarias ad chyli elaborationē nunc ſedulo inquiramus: habitâ imprimis ratione ſenſus quouſque ille ſe extendit. cùm enim deficit ſenſus ratio pri-mùm in illius locum ſubſtitui debet. Igitur cûm tres ſint ſpecies con-coctionis teſte Ariſtotele lib. 4. Meteor. cap. 3. elixatio, aſſatio, & maturatio, videtur illa concoctio quæ in ventriculo elaboratur, aut eadem aut ſimilis elixationi. Huic enim competit definitio, quâ Ariſtoteles elixationem comprehendit: Talis nimirum concoctio quæ proficiſcitur à calore humido: Proinde ſi quid obſcurum alteri ineſt, per alteram illuſtrari oportet. Ea autem magis nota elixatio quæ extra ventriculum fieri ſolet, in qua omnes gradus mutationis ſenſu licet explorare: Itaque de ea utpote notiori prius dicendum. Conſtat verò imprimis rebus illis quæ elixantur aliquam mutatio-nem adveni: nam & odore differunt à ſe ipſis crudis & alieno colore tingi videntur, & ſaporis tanta ineſt varietas, ut quæ cruda abhorrui-mus, iis demùm elixis ſapidè & voluptuosè perfruamur. hanc con-ditionem videtur innuere Ariſtoteles illis verbis, ea, inquit corpora elixationi apta judicamus, quæ humorem, at igni in humore verſanti patibilem, contineant. Secundò ad elixationem neceſſarium eſt, rem, quæ elixatur, habere partem ſubſtantiæ in humido ſolubilem, ita gemmæ, lapides, metalla, non debentur elixari, quia nihil ex illis

diſ-

dissolvi potest. unde Aristoteles, id quod elixatur, inquit, rem contrariam agit (assationi) nam ex illo ipso, humor, à calore, quem exterior continet humor exprimitur. Quocirca elixa assis ficciora sunt, quoniam illa humorem ad se non trahunt. Verùm hoc non sufficit ad elixationem, sal enim, alumen, vitriolum, in humido solvuntur, nequè tamen dicuntur elixari, cum ita ad ignem effervescant, propterea quod nulla mutatio in illis ita dissolutis stabiliter permaneat: etenim aquâ evaporatâ rursum ad naturam priorem reverti solent. Itaque necesse fieri solutionem cum tali rei illius mutatione quæ nequeat reduci ad statum antiquum: quis enim carnes coctas eò revocabit, ut crudæ rursum, vel similes crudis efficiantur? Præterea constat hanc solutionem alterationi conjunctam non advenire illis rebus, nisi idoneo calore foveantur: nulla enim sine calore fieri potest concoctio. Unde plerique ad hanc opinionem devenerunt existimantes causam efficientem concoctionis esse calorem. Cum enim nulla alia causa ab illis cognoscibilis esset, neque tamen suopte impetu tàm varios effectus concoctionis prosilire, verisimile videretur, necessitas consecutionis pro calore tanquam horum omnium motionum autore stare videbatur. Verùm hanc opinionem à veritate longè alienam, neque calorem effectuum concoctionis causam esse posse, enitemur demonstrare. Cum itaque causa cuiusque effectus sit duplicis generis, alia quidem primaria & veluti princeps: Alia, ut ministra & operis instrumentum; cuiusmodi causa dicetur calor respectu concoctionis? Principem esse causam vix alicui persuasum puto: Nam cum de ratione caloris sit calefacere, natura verò ad unum sit determinata, quomodo præterea ipsi dicunt tantam varietatem non modo in accidentibus sed etiam in substantia conspicuum calorem posse operari? Deinde si calor idem tot colores, tot odorum & saporum differentias ex se parit, quid prohibet quo minus idem frigefacere & humectare dicatur? non enim magis extra naturam calori est frigus quam album aut puniceum, aut acidum aut amarum aut salsum &c. nec quicquam huc facit contrarietas, quæ non minus in alijs qualitatibus à calore tamen producibilis observatur. Quod si dicere malunt causam instrumentariā esse alteri causæ nobiliori servientem, contra hoc est, quia cum in elixa-

elixatione nihil adſit præter ignem, hic deberet omnem illam varietatem cauſare: At non minus hoc repugnat igni quam calori. Quomodo enim qui natura ſua caret omni odore, colore, & ſapore, aliud colorare, vel odorum fragrantiâ imbuere, aut ſaporibus, diſtinguere poteſt? præterea cum inter agens & paſſum neceſſe ſit contactum intervenire, inter res verò, quæ in duplici vaſe elixantur, & ignem nequeat eſſe alius contactus, quàm qui fiat communione caloris: Non poteſt hic eſſe ignis inſtrumentum, ut enim dicatur inſtrumentum elevari ad effectus ſe ipſo nobiliores, oportet in eodem ſubjecto ipſum conſtitui, in quo virtus princeps ſita utitur tali inſtrumento, vel certè ab ea recipere aliquam vim & motionem. At verò calor qui ambit vas cococtioni deſtinatum, non eſt in igne tanquam in ſubjecto, cum & alterum vas & aqua ipſum diſcludat ab igne. Vis autem illa quæ fingi poteſt ab igne communicari ſive calori ſive illius ſubjecto, vel erit denominatio extrinſeca, quæ proinde nihilo mutabit caloris effectum, vel ſi quid habet entitatis, non poterit ea calorem juvare, ſiquidem nulla eſſe poteſt connexio inter illam vim & calorem, niſi ea tantùm quæ habetur ex identitate ſubjecti, at hæc non ſufficit: Si enim ſufficeret, pari ratione diceretur dulcedo viſibilis & albedo guſtu perceptibilis, utraque enim in eodem lacte & in ſaccaro habet ſimilem ex identitate ſubjecti connexionem, non igitur calor qui elixat dici poteſt inſtrumentum ignis, ſed ſi quid agit virtute propriâ & tanquam cauſa ſeparata agit. Et quia neque calor neque ignis producit effectus concoctionis, neque aliquid aliud poteſt aſsignari: Reliquum eſſe videtur ut dicamus ab interno illarum rerum, quæ elixantur, principio, omnem mutationem & varietatem proficiſci, hoc enim poteſt tùm à ſufficienti enumeratione, tùm quod ex ea poſitione omnes difficultates, quibus contrariæ opiniones implicantur, facili negotio ſolvuntur. Ut verò intelligatur hæc noſtra ſententia adverte quod jam alibi à nobis fuit oſtenſum, de ratione compoſiti eſſe, pluribus naturis conſtare, quarum unaquæque ab alijs ſeparata & extra mixtionem proprium edit effectum: At ubi conveniunt duæ pluresve naturæ, accidit, quod in tranſplantatione fieri videmus, ut non jam cuique naturæ proprius, ſed omnibus ſimul communis effectus reſpondeat. Et hoc volebat Hippocrates,

cum dixit, semina facere quod nolunt & nesciunt. Et quia unaquæque talis natura suo accessu vel recessu non aliter ac unitas numero superaddita vel subducta mutat speciem compositi : Mutari oportet quoque illius effectum, propterea quod jam à diversis causis sive paucioribus sive pluribus procedit. Exemplum esse potest Mercurius, qui dum à vitriolo in vase chymico virtute ignis cogitur in fumum specie crystallini pulveris summè caustici & corrosivi commutat dulcem illam & instabilem liquiditatem : Quia videlicet acidus spiritus vitrioli Mercurio se commiscens ex illa mistione vim novam & speciem novi mixti adducit. Quod si verò à sulphure halitus mercurij sese efferat ob sulphureos vapores & sanguineam tincturam, quã recipit à sulphure & secum defert Mercurius in corpus novum, quod dicitur cinabrium, neque mercurio neque sulphuri jam simile, coagulatur. Ita quoque olea fiunt ex metallis ob spiritus corrosivos in illis ita solutis adhuc retentos ; Quod si enim igne exugatur illa humiditas peregrina, quæ oleo similem præstabat fluorem, ad naturam pulveris metallici sponte redeunt. Hoc modo pleræque mutationes in metallis conspicuæ peragi solent, cum vel ab alijs separatur talis aliqua substantia, vel præexistentibus alia de novo accedunt, idq; varijs ponderibus & non una mensura, unde novæ actiones vel simpliciter, vel quoad modum ortum habent. Sunt autem duplicis generis eiusmodi actiones, aliæ respectu mixti ab illis substantijs constituti, aliæ ad objecta â quibus exercentur actiones, collatæ. Etenim contingit quandoque tametsi principia, quæ inter se miscentur alios extra se producant effectus, quam per se quodlibet producebat minime mutari à se ipsis, integrâ cuiusque naturâ etiam tùm persistente, ut cum color cæruleus flavo permistus ab oculo viridis judicatur, uterque alteri conjunctus, aliter sensum movet, quam per se existens moverit, nihil tamen cæruleo à flavo colore, neque hoc ab illo patiente, ut alibi dicemus : Et tum tale mistum nequaquam similare & homogeneum esse statuimus, quod enim ita se habet, necesse omnium principiorum signaturas aut omnes aut plerasque tali materiæ inesse. De quo tamen latius dicetur, cum de natura mistionis agemus. Adverte Secundò nihil esse in rerum natura quod non habeat inclusum semen, ad speciei propagationem, à natura sibi datum

quod

quod verùm habet non modo in viventium tàm animalium quàm plantarum genere, sed etiam alijs mistis animæ expertibus, tùm in lapidibus & gemmis, tùm etiam in metallis; Nam & in auro, ut ait Augurellus:

Semina sunt auri, quamvis abstrusa recedant
Longius, & multo nobis quærenda labore.

& ab hoc semine habent res omnes non modo sui corporis architecturam, sed etiam vitam, &, ne quando deficiat illarum species, per individua, reparationem. unde cum serpens in frusta conciditur, & in fimo, vase diligenter obturato, sepelitur, eo demum putrefacto, virtute hujus seminis, pro uno mille renascuntur, quemadmodum spica ex uno grano pluribus aliis onusta excrescit. Neque possibile aliquid sine semine in lucem prodire, nam & ea quæ ex putredine enasci videmus, & omnia insecta quæ absque coitu oriuntur, habent in occulto vim seminis delitescentem, licet non sensu, intellectui tamen perceptibilem. Atque omnino absurda illorum est opinio, qui, nescio quales, dispositiones atque apparatus materiæ sibi effingunt, quæ cogant autorem naturæ convenientem formam illi materiæ ita dispositæ impertiri, aut certè à concavo lunæ atque inde, ubi tamen formæ non præextiterunt, plusquàm magico carmine illas deducunt, aut si Diis placet à sole, aut luna, aut aliquo ex planetis ranam, mures, araneas, muscas, & alia insecta generari asseverant, quæ certè generatio non minus admiranda videri debet, quàm illa cadmea, dum ex satis dentibus:

Ferrea progenies duris caput extulit arvis

Est verò illud semen quod omnibus rebus inesse, dicebamus natura sua simplex absque omni mole atque prorsus impatibile, unde si quid corrumpi videtur, non simul interit hæc essentia, quæ sicuti corpore quod conformavit origine prior est, ita eo dissoluto superstes manet ab omni noxa immunis, quemadmodum docet Hipp. lib. 1. de Diæta neque alterum inquit, mori possibile est unde enim morietur? neque quod non est, generari, cùm non sit unde generetur. animalia enim sunt & illa & hæc, videlicet quoad illud principium & seminis primam radicem, quæ non minus in suo chao cum jam desiit in mundi scæna visibiliter apparere immortalis perennat. Etenim vide-

mus corpus effectum illa dissolutione non ex toto interire, sed illum nucleum essentiæ rebus inclusum rejuvenescere, & per mortem ad vitam progredi meliorem, & hoc est quod dicit æterna veritas, nisi granum in terram cadens mortuum fuerit, ipsum in se manet. quasi diceret, nisi corpus fuerit dissolutum, vivificus spiritus qui corpore veluti quibusdam vinculis alligatur, nequit fæcunda germinatione fructum afferre. Hoc præterea observandum, cùm jam semen illud effracto carcere corporeis legibus expeditum fuerit, non omnem repente effectum à se profundere. nam sicuti à Deo ornatum est virtute & scientia, ita quoque prædestinatum tempus & occasiones agendi accepit, ut hoc quidem prius illud verò posterius agat, neque ad finem operis absque medio possit devenire, & sicuti astra cæli tarditate & celeritate motus à se differunt: ita semina agendi ratione & modo à se differre par est. Exemplum tibi sit bombyx, cur enim hic non nisi verno tempore cum jam morus germinavit ex ovo proserpit? non ideò certè quod ad vermem ex eo formandum, tanto tempore ipsi opus fuerit: cum plura alia insecta videamus eodem die concipere & parere, genitasque jam volucellas volatu se exercere, quin neque vitam ultra diem quibusdam proferri, adeò ut quos sol oriens enasci vidit, occidens fato suo jam functas videat: neque ad solum aëris ambientis calorem referri potest, siquidem tot interea nascantur insecta priusquam in lucem prodeant bombycilli. igitur ad præstitutum à Deo tempus & fatum indicibili & imperceptibili modo certis legibus tempori annexum. fatuum enim existimare immensas Dei opes in creaturam largè effusas, ingenij nostri decempeda mensurari & illius finibus comprehendi. Vide nunc egressum bombycillum, quot & quales sustinet mutationes, quoties exuvias ponit & veluti rejuvenescit, donec in bombycem sibi nascenti jam dissimilem perfectè formetur. Ubi verò glomo sericeo & fatali æde se inclusit aliud opus magis mirandum molitur, nam pellem senio jam macidam & squallentem sibi detrahit, caput cum pedibus truncat, & pro verme animal pennatum alijs jam moribus præditum ad nos revertitur. Cur non à principio alas invenerit, sed ubi demum pensum absolvit quasi remunerata industrium illum texturæ pretiosæ laborem? non certe quia defuerit naturæ aut virtus aut materia operis, neque dicas

alium

alium esse hunc papilionem à bombyce, tanquam illi defunctæ hic successerit, nam cum semen pars sit essentiæ generantis à quo deciditur, semen autem non differat à genito nisi accidentali perfectione, sequitur papilionem qui semen generat ex quo producitur bombyx non differre specie à bombyce, quin cuique numero differre sensus testimonio licet confirmare; toto enim tempore quo lethe à illâ quiete detinetur vitam conservare multoties facto periculo deprehendi: Cum ita exemplum in aurelia usque ad tempus egressus asservarem: semper enim ad tactum rei molestæ se contrahens corporis vibratione indicium vitæ præseferebat, nusquam igitur anima carebat atquè ita unum numero erat alterum necesse itaque ad Dei prædestinationem recurrere, omnibus legem, pondera, mensuram, ordinem, & tempus præfinientem. tametsi non negamus ob variam materiæ dispositionem interdum tardius, aut celerius, aut omnino non sequi effectum. Est autem hic rerum subluniarium motus similis cælestium corporum lationi: nam sicuti cælum ad idem punctum & sui motus principium redit, ita natura circulariter movetur, neque enim progreditur in infinitum: sed ubi metam attigit præfiniti motus novam periodum orditur. Sed nos nimium quasi extra lineam digressi, tametsi nihil nimium videri debeat in tanta obscuritate, in qua Ducibus idoneis, quos tutò sequi liceat, destituimur. Cum itaque viam minus tritam & salebrosam inierimus, necesse fuit supra dicta veluti secures, vectes, & dolabras huc afferre, quibus scopulos & cantes obvias dirueremus, sentes præcideremus, trabesque transversas amoliremur. Jam viam planiorem ingressi officinam caloris nativi, & vitalem πυρoτεχνὴν lustremus, quomodo illa primam alimenti elaborationem exerceat, quam elixationi assimilem fecimus. Eam verò in hunc modum definimus, esse motum & progressionem corporis in humido soluti à principio seminali interno uno aut pluribus, calore idoneo ad agendum excitatis, ad mixtum simpliciter aut novo modo constituendum. Definitio hæc sufficienter intelligi potest ex supradictis, ubi ad elixandum tale corpus requirebamus, quod partem contineat in humido solubilem. Et cum talis fiat mutatio quæ nequè alteri extra positæ causæ attribui possit; rectè addimus fieri à principio interno illius corporis quod elixatur. hoc autem seminale

principium propterea operatur etiam diſſoluto mixto , quia vel nec dum attigit metam periodici motus, quemadmodum à bombyce progredi ipſum oportebat ad perfectionem papilionis, qui propterea dicitur in termino perfectionis quia ſemen procreat unde ſpecies conſervatur. vel quia orbem jam complevit, unde reverti debet ad principium motus & novam inchoare circulationem , tametſi pluribus modis contingat, præpediri curſum , vel quia materia non eſt idonea , in qua decurrere poſſit hunc motum quemadmodum ſemina in ſolo peregrino amittunt vim germinandi , vel quia tranſplantatur confluxu aliorũ ſeminũ, qnamobrem plerumq; monſtroſa in mari reperiuntur, perplexis, ut inquit Plinius, & in ſemet aliter atque aliter nunc flatu nunc fluctu convolutis ſeminibus atq; principijs. Vel deniq; quia deſtituitur idoneo calore, quo excitari oportet ſemina ad agendum. Quæ verò ſit neceſsitas caloris, ut non per ipſum quidem, at non ſine ipſo agant ſemina , & ad diverſa ſemina non idem caloris gradus ſit idoneus , difficile omnino & arduum videtur huius rationem aſsignare. Audendum tamen , nam vel ab arduis excidere , laudabile. Dicamus igitur, ſi placet , eſſentias rerum & vires in igne potiſsimum tanquam in propria matrice habitare , ignem verò , niſi liber ſit , non poſſe agere ; at quo minus ſit liber, obſtare aliorum elementorum ignavam molem. Si verò calefiat mixtum in quo ille ignis eſſentialis ita ligatur & quaſi torpens continetur , ingredi eò externum ignem (neque enim calor producitur extra ignem , ſed una cum igne infertur , & ſubjectum calidum efficit per admixtionem ignis , qualiter aqua ſalſa per ad mixtionem ſalis) cuius acceſſu ignis robuſtior effectus incipit alijs elementis dominari & ſuas vires & actiones liberè jam explicare. Verùm certa menſura eſſe debet ignis ingreſsi : Nam ſi minor ſit quam requirit talis actio , non poterit operari. Si major : illius violentiâ mixtum diſſolvitur. Aut ignis vî externi internus abripitur & in auras diſsipatur. Quod ſi non placet hic diſcurſus , dicemus omnia entia vitam participare : Vita verò nulla abſque motu , & prout vitæ nobilitate & obſcuritate à ſe differunt , ita motu quoque differre. Calore igitur ita impedito conſortio elementorum abſolvi illum motum & quæ Saturninos referunt motus calore exiguo opus habere , majore Joviales, & eo majore So-

lares.

lares, maximo Lunares: & ſicuti motus Lunæ non competit Jovi aut Saturno: Ita neque idem calor utrique poteſt convenire. Verùm hæc magis ad excitanda ingenia, quàm ad ſuperanda tàm arduas difficultates valere debent. Certùm non agere abſque debito calore, quomodo tamen fiat ut non abſque eo agant, neque tamen ſit opifex aut inſtrumentum, difficile, ut dicebamus, rationem aſsignare. Ex definitione à nobis conſtitutâ, inferimus non advenire rebus elixis novam eſſentiam & formam ſubſtantialem: Quia per primum fundamentum deberet produci ab aliquo actu habente illam formam, at nihil tale poteſt oſtendi circa elixationem, quemadmodum à nobis fuit probatum. An verò, cum plura ſimul confundentes ita elixamus, pereant aliquæ formæ nimirùm debiliores à magis robuſtis vim paſſæ & oppreſſæ, non dum ex dictis liquet: Verùm diſtinctio videtur adhibenda: Quod ſi nimirum res contrariam habentes naturam ſimul elixentur, poſſe evenire, ut quod viribus agendi præcellit, debiliores naturas perimat (ſi tamen corrumpi poſſunt formæ) aut certè ab actione & producendis ſignaturis impediat. At ſi in agendo ſint pares miſceri actiones & utriſque unum communem effectum reſpondere. Quod ſi verò tantam habeant contrarietatem ut neque alterum ab altero pati neque commiſceri valeant: Continget unum ab alio ſeparari & diverſas familias diverſaque mixta conſtituere, unde eluceſcere jam videtur generatio excrementi, nam quicquid impermiſcibile alteri eſt, reſpectu illius dicetur excrementum: Ita tamen ut comparatio fiat ad id quod eſt nobilius & magis perfectũ. Quæ autem cauſa ſit ut hæc permiſceri, illa minimè queant, nè ſermo in immenſum creſcat, ad locum magis proprium reſervamus: Hoc obiter tantùm innuentes poſſe inter alias cauſas numerari, ſi quid vel nimis ſolida compage tenetur, quò minùs diſſolvi poſsit in minimas partes mixtioni faciendæ idoneas, vel quia illius ſignaturæ pertinacius adhærent neque facile abolentur. Ex quibus patet errare illos, qui ex omni concoctione duo generant excrementa: ubi enim naturæ omnes commiſcibiles ſunt nullum excrementum poteſt generari. Cùm verò non omnes miſcentur, ſed crudum ſeparatur à digeſto, ſufficit vel unum excrementum, plures enim naturæ ſimul confundi valent, & licet ob diſcordem naturam non verè conſtituant

mixtum

mixtum : illa tamen confusione speciem mixti exhibent sensui & pro tali habentur. At si hæ repugnantes naturæ faciant secessionem ita ut duæ pluresve quasi factiones existant, & facta coitione diversa mixta constituant : Totidem erunt excrementa quot modi commixtionis diversi : Quemadmodum in sanguine & vino fieri videmus: Subsidet enim limus & spurcities fæculenta, floridum verò & spumosum innatat. Habemus ergo ex his omne illud flore excrementum quod nequit per minima cum rebus elixis permisceri. & quia contingit partes subtiles & halituosas vi caloris effugere concoctionem : Crassas verò difficulter atteri, ea ratione excusari potest Galenus, cum dicit in concoctione duo produci excrementa, intelligendo de eo quod plurimum ita evenit, non quidem ex natura concoctionis, sed conditione rerum quæ elixantur. Quod si verò partes subtiles â fuga impediri, crassæ atteri posſint : Nihil obstabit quò minùs hæc etiam in partem mixti veniant. Quocirca, non omnia quæ vel specie vaporis exhalant, vel cum crassamento dejiciuntur, inter excrementa referri debent, multæ enim utiles particulæ, vi morbi aut caloris à corporis substantia avelluntnr. ut patet inhypercatarsi, aut immoderata sudoris eruptione, quibus demùm atrophia aut tabes succedit. Hac face accensa ingrediamur nunc ergasterium naturæ focumque invisibili igne jugiter ardentem, & internos illos Vulcanos oculo mentis lustremus. Quibus nam illi opus habeant instrumentis ad opus concoctionis, & an similitudo sit inter hanc & eam, quæ extra ventriculum igne elementari perficitur, an in aliquo differant, & quæ sit illa differentia.

Dico primò concoctio in communi, qua ratione convenit omni animali est propriè dicta elixatio. probatur, quia nonnisi tres habentur species concoctionis, at neque maturatio neque assatio huic convenit, igitur elixatio. Objicies multa animalia valde siccis & arentibus vesci alimentis, potu verò alia in totum alia multo tempore abstinere. nam Struthiones in arenoso illo Arabiæ mari nihil præter lapillos & arenulas provictu habent. Camelos verò tametsi non penitus degant absque potu, multos tamen dies sitim tolerare perhibent, igitur concoctio in talibus non perficitur humido. deinde in piscium ventriculis, quemadmodum in toto illorum corpore, quin

&

& ipſo caloris principio corde , ne veſtigium percipitur alicuius caloris , verùm frigiditas inſignis dominatur , ergo ſaltem in his non dicetur calor neceſſarius ad concoctionem. Reſpondeo ad primum tametſi demus plura animalia exſuccis & aridis uti alimentis: quia tamen hæc omnia quantumvis arida incluſam habent in ſua ſubſtantia humiditatem : omnia enim priusquam ſolida efficerentur humida erant non modo vegetabilium & animalium genus omne verùm etiam gemmæ , lapides , metalla , quæ etiam arte in talem liquorem reduci poſſunt. quid igitur mirum naturam idem quod ab arte fieri videmus interius operari & in humidam ſubſtantiam concretos illos ſuccos eliquare , licet itaq; hujusmodi alimenta non adſciſcant aliunde humiditatem , elixantur nihilominus in humido proprio. etſi verò in quibusdam ventriculis non percipitur ſenſu, adeſt tamen humiditas quædam vaporoſa ſpiritibus acutis & ſolvendi vi præditis à ventriculo imprægnata , quæ facilè alimentum penetrat, reſolvit, & fermentat. Ad ſecundam objectionem dicimus tametſi non adſit actu calor in piſcium ventriculo , adeſſe tamen potentia , & in calcinatione alimenti ab illis ſpiritibus excitari & ebullire : quemadmodum fit in commixtione ſalium alcali cum ſpiritibus vitriolicis. Dico ſecundò ſolutio alimenti & in humidũ reductio , quæ neceſſariò præcedit concoctionem, vel illius eſt pars natura prior, non fit à calore elementari : quia ferrum, oſſa, lapides, arenulæ, atq; his ſimilia, quæ nullus calor poteſt liquare , breviſſimo temporis ſpatio virtute ventriculi in liquorem redigi videmus , neque tamen exceſſus caloris in eo obſervantur. deinde calor fortior efficit quicquid poteſt efficere eo debilior in eodem genere actionis. at calor ventriculi qui ſolidas materias conficit & in tabem ſolvit nequit pari facilitate res mollioris texturæ ſuperare & diſſolvere ; quemadmodum patet in rejectione talium quæ nihil prorſus mutata à ventriculo rejici videmus. non ergo calor hujus ſolutionis author eſſe poteſt. Dico tertiò hæc ſolutio proxime fit ab humido vaporoſo , vel ab humido liquido , quod per internam ventriculi capacitatem eſſe diffuſum dicebamus : remotè autem à ventriculo , qui ſuis ſpiritibus virtute præditis ſolvendi illud fæcundat , quemadmodum vitriola ſal petræ , ſal amonius & alumen ſpiritus acidos & acutos aquæ ſolent communicare , quibus illa pro varietate

 naturæ

naturæ in illis ſpiritibus contentæ , diverſa metalla valet reſerare, alia quidem aurum, alia argentum, ferrum, ſtannum , æs, plumbum, corrodendo , & in liquorem redigendo. Probatur. omnis actio fit per contactum ſive realem ſive virtutis, at ventriculus non tangit niſi ſolam ſuperficiem chyli , igitur partes extra illam ſuperficiem, maximè quæ verſus centrum abeunt , ſi mutari debent, oportet ad quam vim ventriculi ad eas pertingere , & ventriculo ita unire , quæ vel erit corpus quoddam vaporoſum ſive ſpiritus , vel qualitas per medium ita diffuſa & à ventriculo producta. at qualitas eſſe nequit, hæc enim vel erit unius naturæ cum ea quæ inhæret ipſi ventriculo , vel diverſæ : non prior ; nam cùm virtus talis ſpecifica ſit ipſius ventriculi & ab eſſentialibus principiis exorta proprietas non poterit ſeparari à ventriculo , per ſecundum fundamentum. quod tamen hîc fieri deberet ; nam vel in aëre vel in humore in capacitate ventriculi contento , vel in ſubſtantia chyli reciperetur tanquam in ſubjecto. neque alterius ſpeciei erit qualitas , quia cùm ab hac fiat concoctio , otioſa eſſet illa quæ ponitur inhærere ventriculo , nequè concoctio diceretur propria ventriculi; cùm virtus illa non minus in aëre quàm in ventriculo efficiat concoctionem.

Dices virtutem illam digeſtivam eſſe in ſolo ventriculo tanquam proprio ſubjecto , neque opus eſſe ut omnes partes chyli proximè attingat , ſufficere enim dummodo aliquam illius partem attingat , ad communicandum toti effectum , quemadmodum Sol non niſi extimam ſuperficiem ſive aëris ſive cœli proximè attingit,& tamen extra illam in univerſo aêre lumen producit. Reſpondeo eſto verum ſit quoad alterationem (quod tamen haud affirmamus) non tamen idem valere debet in corporis ſolutione , quæ non alteratione , verùm diſcontinuatione peragitur : Neque aliter fieri poteſt quàm interpoſitione alterius corporis partes illas à ſe veluti diſtrahentis. neceſſe itaque ut ad omnes particulas diſcontinuandas perveniat corpus , illud eſſe ſubtile penetrans & acutum. Ex hac deciſione habemus cur non omnis ventriculis omnia alimenta ſolvere & digerere poſsit .· quia videlicet pro diverſitate ventriculorum differt natura illius ſpiritus & cum aquis ſtygijs ſerviet analogiam ; ut ſicuti non omnes omnia ſolvunt metalla , verùm proportionata ita neque ſpiri-

tus

tus omne alimentum. Præterea ex hac positione multæ graves & obscuræ quæstiones enodari & solvi queunt, quales sunt de fame sive simplici sive canina & bulimia re, quæ alioqui manent insolubiles. Dico quartò concoctio in ventriculo animalium, non tantùm fit à principio interno chyli, sed una concurrit ille spiritus à quo dicebamus alimentum in liquorem solvi. prob. quia si hoc non sit, non dicetur ventriculus chylum elaborare, sive coquere alimentum. deinde cum chylus sit semper sibi similis quoad externam speciem mixti, videlicet non absimilis ptisanæ cremori, oportet fieri à principio aliquo stabili, quale nequit reperiri in tanta ciborum varietate, igitur hæc radix in ventriculo consistet. Tertiò nisi hoc sit poterit extra ventriculum calore solis aut ignis concoctio administrari, atque ita chylus produci, quod videtur absurdum, cum sit proprius ventriculi effectus & chylus eiusdem alimenti in ventriculo v. g. humano differat à chylo canino. Porrò spiritus ventriculi similis est fermento, qui chylo se commiscet atque cum illis internis seminalibus principijs concurrit ad certam speciem mixti constituendum ∴ Ita tamen ut huius signaturæ dominentur & præ alijs fiant conspicuæ in illa mixti compositione. Ex hac conclusione planum fit dupliciter errores committi in chyli elaboratione; uno quidem modo, quia non solvitur alimentum, vel malè solvitur, quapropter partes heterogeneæ non se attingunt per minima; neque, sicuti oportet, ad crasim inducendam tali mixto, debitè alterantur. Non fit autem solutio quia deficit spiritus, vel quia transplantatur à peregrinis spiritibus, vel quia non est defecatus alio modo, quod, tametsi fiat bona solutio, non tamen bonus efficitur chylus, si vel parum vel multum caloris elementaris in ventriculo, dominatur. Caloris enim defectu fermentatio non completur, neque particulæ minimæ ita alterantur, ut sub illis signaturis diu persistant; verùm paulò post factâ successione chylum sua contagione corrumpunt. Quemadmodum solet evenire syrupis & decoctis quæ defectu convenientis copturæ mutescunt, & citò corrumpuntur. At caloris excessu in illa fermentatione aliquæ particulæ majoribus viribus insignitæ, quibus nimirum favet ille caloris excessus ad peregrinas & chylo jam adversas signaturas à suis principijs promoventur, neque tùm spiritus sed eiusmodi particulæ

alijs dominantur. Præterea accidit corrumpi chylum ob peregrinum fermentum, quod nativo se commiscens ipsum transplantat & vitiosis imbuit tincturis.

Dico quintò ventriculus non corrumpit formam alicuius alimenti, sed omnis corruptio, si quæ fit, proficiscitur ex natura alterius alimenti. prob. quia ventriculus non attingit proximè alimentum. Secundò quia ostensum est ipsum nihil generare, neque igitur corrumpere potest, consequentia patet ex quarto fundamento.

Dico sextò excrementum chyli est omnis illa portio quæ non accepit similem alijs particulis mutationem sive perfectam sive inchoatam, talem nimirùm quæ postea perficiatur. Illud verò omne quod est de natura mixti tanquam illius pars constitutiva, tametsi deinde secedat ex illa commixtione : Non tamen dicitur excrementum priusquam per corruptionem suæ substantiæ faciat secessionem. prob. hoc posterius, quia cum quælibet sanguinis particula possit ita corrumpi & à corpore secerni, universus sanguis ob talem corruptibilitatem & potentiam ad separandum diceretur excrementum, quod est omninò absurdum. Veritas autem prioris per se constat, & ex supradictis elucescit. Non verò est opus sensu percipi illam dissimilitudinem partium, potest enim pars excrementitia ita alijs confundi, ut tantisper delitescat sub velo & signatura alterius naturæ. Jam verò ex his aditum habemus ad naturam urinæ penitus introspiciendam : Nam constat excrementum esse non modo cum in renibus aut in vesica consistit, verùm etiam cum adhuc in venis sanguinis lentorem serosa humiditate diluit, & fluxibilem facit. An verò fuerit aliquando pars chyli, indeque degenerans per secessionem excrementum sit effecta, & ubi primum hoc contingat, an verò protinus in prima chyli elaboratione, ipsa pariter ortum habuit : Et tametsi chylo permixta & confusa, tota tamen extra chyli naturã, quemadmodum & sanguinis, non dum ex his constat. Existimat Paracelsus in annotatione ad c. 1. de urina, alimenta non modo in hepate & renibus, sed & mox, in ventriculo ejicere à se superfluam humiditatem, unde neque indicium admittit ex tali urina ad dignoscendos morbos, sed ex ea demum quæ sequitur tertiam concoctionem. præterea aliam facit urinæ speciem, quam vocat cruoris : quæ

ut

ut colligatur nihil edere, nisi fortè siccum panem, à potu verò penitus abstinere, oportere. Et ex hac graves morbos, qualis caducus &c. innotescere. Verùm objici potest contra hanc sententiam, nullo fundamento niti, sed temerè esse confictam, neque vias explicari, per quas à ventriculo ad vesicam deferri debeat: absurdum enim existimare relicto chylo, cujus vehiculum esse ponitur, per venas Messaraicas ita per se delatam hepar inundare. præterea cum ipse definiat urinam esse esse salem ab ingesto nutrimento segregatum, quæstio erit an in concoctione ventriculi, quidquid inerat salis, ab alimento separetur ad constituendam ex eo urinam, an aliqua portio retineatur quæ sit de substantia chyli; postea verò in hepate aut in venis demum secernatur, quia nimirum oritur jam alia species mixti, cujus pars nequit esse illa substantia salis, quæ propterea segregari debeat ad vias urinæ. Demum non rectè facere videtur quod contra receptam doctrinam novam inducit speciem concoctionis, quæ fiat in ipsis renibus.

Has tamen objectiones facilè quis dissolvet qui illius opinioni adhærere volet. Ad primam enim respondebit, notas esse vias naturæ, tametsi fortè nos ignoremus. neque difficile videri urinam eò pertingere, quò apostemata aliquando solet exonerare, & corpora etiam solida novis itineribus deducere. nam scribit Nicolaus Florentinus serm. 4. vidisse in Mag. Gustio de Scarperia, qui ex esu fungorum stomachum oblæserat, urinam excernere solitum in qua particulæ fungorum satis notabili quantitate visebantur, & Julius Alexandrinus tradit à viro quodam nobili rejecta cum urina apij radicum frustula nummuli quadrantis magnitudine: quas ille radices jusculis incoquendas curaverit. Deinde dicet non repugnare per venas Messaraicas deferri illud phlegma non quidem ut ex toto chylum destituat ipsum per se eo delatum, sed ut simul quoquè chylus feratur tametsi motu inæquali, urinà ob facilitatem motus prius ad metam veniente. Hoc enim non incredibile videbitur, si quis Flumina præcipiti cursu delata, atquè ipsos torrentes fuerit intuitus; saxa enim trabesquè atquè arenæ cumulos unà devolvunt, quæ licet simul cum aqua ferantur nequaquam tamen celeritatem illius motus assequuntur. Nequè suis rationibus & probabilitate caret hæc opinio, siquidem

dem differentia ipſo ſenſu percipitur in urina diverſis à coctione tē-
poribus, emiſſâ, coloratior enim & magis concocta videtur longiori
interpoſitâ morâ. Contra verò & aquæ ſimilis quæ excernitur mox
ab aſſumptio alimento, adeò, ut ſcribat Fernelius lib. 6. ſympt. c. 13.
quendam quotidie ſpatio unius horæ tæpentis aquæ medicatæ li-
bras 16. exorbere ſolitum, qualem aſſumpſerat protinus talem
eminxiſſe nequè tamen dialeticum fuiſſe affectum. neceſſe itaquè
illam ſpeciem urinæ quæ cruda dicitur nullâ acceptâ in venis mu-
tatione, qualis è ventriculo venit effluere: eam verò quæ ſan-
guini diutius adhæſit alterationem paſſam, ſive ob majorem
digeſtionem, ſive ob admixtas ſubſtantias & apocriſes ita tinctam,
ſiquidem varij halitus urinæ ſolent commiſceri & diverſimode illam
colorare. Ad ſecundam objectionem reſpondebit non ſeparari à
chylo univerſum ſalem, qui inerat alimento: cum enim ex oſsibus
igne uſtis, quia ipſo ſanguine ſal educi ſoleat, oportet ipſum in parte
chyli præfuiſſe. Deinde probabile videri illum ſalem, qui poſtea in
hepate & renibus ſegregatur, fuiſſe partem ſubſtantiæ chyli. ratio
quia ex puriſsima ſanguinis portione, dum ſuâ appoſitione nutrit
partium aliquam, ſegregatum excrementum ſalſum, fuit igitur pars
ſanguinis ille ſal, malè enim diceretur ſanguis puriſsimus qui conti-
neret tale excrementum, igitur & pars chyli. Ad tertiam dicet, cum
plures exiſtiment renes nutriri ex eo quod cruentum ineſt ſero tan-
quam reliquiæ ſanguinis, non mirum ſeparatâ illâ tincturâ novam
fieri concoctionem, cum nova mixti ratio conſurgat. ſiquidem à no-
bis eſt dictum ſpeciem mutari acceſſu & receſſu novæ ſubſtantiæ:
& cum & renes ſui alimenti reliquias in urinam deponant, neceſſe
fieri novam fermentationem. deinde dici poteſt per concoctionem
non intelligi novam ſpeciem, ſed tantùm aliquam illius perfectionē.
His infavorem huius ſententiæ, quam haud improbabilem judicamus,
adductis, ſit jam noſtra concluſio. Urinam eſſe partem chyli proin-
de non poſſe illius reſpectu dici excrementum, neque in ventriculo
accipere generationem. probatur à ſimili, ita ſe habet urina in chy-
lo, ſicuti ſerum in lacte, ſed hoc eſt pars eſſentiæ lactis, ergo & urina
chyli. Secundò illud eſt pars ſubſtantiæ mixti, cuius abſceſſu muta-
tur ratio talis mixti, ſed abſceſſu urinæ non jam dicitur chylus, ve-

rùm

rum sanguis, quemadmodum separato à lacte sero, substantia illa coagulata non servat rationem aut nomen lactis sed casei, eadem igitur ratio urinæ.

Secunda Conclusio generationem urinæ incipere in hepate, perfectionem verò in renibus obtinere. prior pars inde constat quia urina est quid extra sanguinis naturam qui in hepate primùm generatur, igitur & urina, quæ à mixto, cuius erat pars una cum sanguine, tùm quoque separatur: quemadmodum neque serum prius quàm caseus solet generari. Secunda pars ita probatur. Vrina tunc dicitur perfecta & absoluta, quando habet omnia in se quæ aliquam adducunt illius substantiæ mutationem: sed hoc in renibus primùm contingit, nam à locis, quos permeat urina, atquè etiam ipsis renibus varias accipit impressiones; quod si dicas à variis affectibus vesicæ non minus urinam alterari: respondeo nos hîc loqui de urina quæ habet secundum naturam. deinde impressiones à vesica inductas esse superficiarias, nequè mutare speciem urinæ quia non fiunt pars urinæ sed contenta. Ut verò melius intelligatur natura urinæ & locus constet & motus generationis: de illius quidditate paulò accuratiùs erit agendum, cum enim sensibus ea subjiciatur, notior propterea fit ipsâ generatione quæ intimis recessibus, quò nequeunt sensus pertingere, absolvitur, sola mentis indagine inquirenda. Et quia urina non est quid simplex & unius naturæ, de ea judicium ferre oportet, non vulgi more communia solum accidentia, quæ sensus feriunt, attendendo, plurium enim concursu, sicuti substantiæ, ita quoquè vires miscentur vel de novo exoriuntur. aliæ hebetantur vel oculuntur. aliæ acriores & magis conspicuæ evadunt, ita ut proinde ille virium concursus non de singulis naturis, sed de omnibus ita confusis possit solùm testificari. Ut itaquè absquè erroris periculo natura mixti detegatur, necesse ipsum in partes dissecare, confusasquè in eo naturas explicare & quamlibet per se inspicere. ita enim cognitis perfectè partibus, distincta demum totius notitia habebitur. Hæc autem anatomia non ferro, sed partim igne, operationibusque spagiricis, partim analogia & acumine mentis peragi solet. Ignis enim partes heterogeneas segregare, confusa explicare, & obscura in lucem proferre potest neq; tamen hic rejicimus judicium, quod facere solent periti ab urina in

sua

ſua integritate ſpectata, de qua poſterius agemus, & ad morbos plures dignoſcendos utilem eſſe dicemus: ſed acuratam urinæ notitiam hoc loco inquirimus, quæ, niſi diligenter inſpectis partibus, nequit haberi. quo modo fortè Montanus referente Argenterio, urinas inſpicere ſolebat, ubi jam corruptæ illæ eſſent: quamvis ineptè rudis ille & ignarus Chymiæ operum Argenterius ſuum intempeſtivum riſum teſtetur, atque ita ridens, ſe ipſum doctis ridentem exponat. Quia verò notitia univerſalium præcedit ſingularium rerum doctrinam, de eo prius agemus quod omni urinæ videtur convenire: poſterius de differentia dicturi. Tria autem ſunt potiſsimum, quæ ſenſibiliter videmus ex urina ſegregari inter ſe planè diverſa, videlicet ſpiritus acidus phlegma inſipidum, & ſal, de aliis enim tincturis poſtea dicendum. Itaque urina putrefacta in vaſe diſtillatorio primùm quidem ſpiritum acidum à ſe reddit virtute ignis in vaporem elatum, qui ſeryatim in guttas coire & interdum in ſtyrias & veluti glaciem concreſcere ad nares alembici ſpectatur. huic poſtea ſuccedit phlegma ſive aqueus humor, quo abſtracto, ſal remanet in fundo, ſenſus teſtimonio nihil differens à ſale vulgari. qui ita rectè velit judicare de natura urinæ, exploratum habere debet, quæ ſit natura hujus ſpiritus, & an potuerit in ipſo corpore generari, & quomodo, & ubi, an potius ab extra veniat, ſive ab alimentis, ſive ex aëris inſpiratione. Idem intelligitur de phlegmate & eo ſale quem in fundo vaſis reliquum eſſe dicebamus. Quod attinet ſpiritum urinæ, nemo, niſi artis & operum chymiæ ignarus, poterit dubitere, hunc denatura ſalis petræ & ſalis amonij participare. quod hiſce argumentis fiet clarum. Ex ſale enim nitri & ſale amonio ſimilis naturæ ſpiritus elevatur, qui easdem vires & effectus habet cum ſpiritu urinæ. uterque enim ſummè acidus & acutus, uterque non modo alia metalla, ſed etiam aurum brevi momento in liquorem ſolvit. deinde quia non ſolum vetuſtate ſpiritus urinæ in cryſtallos ſalis cogitur, ſed quandoque etiam in ipſa diſtillatione conglaciat & in ſtyrias ſalinas concreſcit. præterea videmus ex urina ſalem amonium arte parari non ex parte ſalis fixa neque phlegmatica quæ omnibus caret tincturis, igitur volatili & ſpirituoſa de nitro magis vulgatum, quàm ut indigeat probatione. quis ignorat hunc ex urina peti? terram enim &

ſimeta

fimeta, in quibus diu putruit urina tùm hominum tùm jumentorum, ſeligunt Nitrarij, indeque duplicem ſalem, videlicet fixum minerali ſimilem, & alterum volatilem nitroſulphureum & inflammabilem aquæ lotione extrahunt, probè ſcientes nihil in aqua ſolvi quod non ſit de natura ſalis. Sit ergo ratum urinæ ineſſe naturam & ſubſtantiam ſalis nitri & ſalis amonij, & præterea ſalem fixum, qui vel idem vel ſimilis ſit ſali minerali. Illud verò phlegma, ſi omnis impreſsio & tinctura aliena ab eo tollatur, nihil videbitur differre ab aquæ elementaris natura. Et color quidem facilè evaneſcit in diſtillatione, liquor enim perſpicuus & abſque colore inde prodit. quæ autem ex odorum & ſaporum impreſsione tinctura ineſt, non tam facilè aboletur, propterea quod naturæ quædam mercuriales penitius miſcentur & ipſum comitantur. Eſt enim hæc humiditas tanquam vehiculũ non modo eorum, quæ ſunt de natura ſalis & Mercurij, ſed & ſulphurearum exhalationum, quæ in corpore humano urinæ permiſcentur, tùm à venarum tunicis tùm verò alijs partibus, quas urina pertranſit ipſi communicata. Unde verò ſit genita hæc humiditas, dubium eſſe poteſt: nam Galenus videtur eam generare ex ijs quæ aſſumuntur in cibum & potum, ita nimirum, ut cum omnia quatuor conſtent elementis, illud quidem quod eſt de natura aquæ facta diſſolutione mixti efficiatur, urina parte tamen, quæ ſatis ſit nutritioni, ſervata. Itaque dicit idem, nos paulò minus mingere quàm bibamus. Verùm obſtare videtur huic ſententiæ obſervatio à quibusdam facta circa emiſsionem urinæ, nam ſcribit Foreſtus in ſcholio ad obſervationem 8. lib 18. puellam extitiſſe Delphis in Batavia quæ per annos 11. nihil eſitarit alimenti præter momentum caſei medicati patriâ linguâ Stolky vocati, à potu verò & omni liquido prorſus abſtinuiſſe: & tamen toto illo tempore mediocriter minxiſſe ſubdit. Non igitur copia urinæ cauſatur ab alimentis vel à potu, nam etſi demus in compoſitione caſei ineſſe elementum aquæ, quo partes terræ inter ſe unitæ cohærent: quia tamen partibus humidis ſiccæ dominantur, non videtur ſufficere illa humiditas & ad craſim corporis humani, quod omni caſeo eſſe humidius conſtat ſervandam, & partem inſuper ad urinæ procreationem inde ſegregandam. Idem teſtatur Athenæus lib. 2. de Laſyrta Laſconio ipſum nimirum æſtatis tempore per dies 30.

à nulla re salsa abstinentem nihil omninò bibisse, & tamen minxisse. Confirmat idem alio exemplo Adolphus Scribonius in libello de urinæ inspectione, fuisse, inquiens, Senis in Italia quendam, qui diebus singulis quatuor vel quinq; cantharos urinæ excreverit qui tamē vix quadrantem biberet. Et quia aliquis importunus Sophista & pertinax præjudicatæ opinionis sectator posset hæc omnia violenter referre ad materiam ab assumptis prius alimentis genitam, quæ colliquatione in urinam postea degeneret: faciet contra omne tale effugium illa historia, quam refert Cardanus lib. 8. de varietate c. 44. his verbis, fuit, inquit, puella 18. annorum, quæ singulis diebus mingebat urinæ libras circiter 36. assumebat autem ex cibo & potu non plus 7. libris. Itaque factum est ut singulis diebus ultra emitteret circiter lib. 29. cumque hoc 60. diebus perseverasset, convenit ut in his 60. diebus ultra cibi & potus substantiam lib. 1740. emiserit, hoc autem est longè majus pondere puellæ etiam si tota in urinam fuisset resoluta. Historia hæc manifestè convincit generationem phlegmatis non posse referri ad ea tantùm quæ eduntur & bibuntur, & cum neque corporis substantia in tantam copiam possit liquari; superest ut dicamus partim ex cibo & potu, partim verò ex aëre, quo totum corpus solet perspirari, ortum habere. quod idem visum Joanni Martiano, teste eodem Cardano, quæsitus enim unde tanta urinæ copia coacervaretur, respondit aërem, qui in arteriis ubique continetur, in substantiam aquosam converti, eaque ejecta, alium succedentem similiter converti in aquam, atque ita multiplicari. hoc non incredibile illi videbitur, qui norit Aristotelem non aliam materiam assignare aquis subterraneis, præterquam aërem frigiditate illius loci spissescentem, qui primùm in rorem, & guttas exiguas, inde sensim majores se colligat, plurium verò confluxu rivulos & fontium scaturigines existere quæ in vastissima demum flumina sese effundant. Quid itaque mirum ob singularem partium corporis humani naturam specubus terræ analogam similiter affici aërem & in imbres illos & pluvias microcosmi conversum foras effluere. Hæc de phlegmate & parte aquea urinæ, jam de salium natura, qui insunt quoque urinæ dicamus. Quia verò triplex, genus salis retulimus priusquam in particulari de uno quoque dicamus, illud, quod omni sali est commune, expedire oportet, inde

verò

verò differentias & singulorum proprietates persequi. Sal itaque quicunque tametsi multùm alius alio differat, non modo in viribus agendi, sed etiam in peculiari modo gustum afficiendi, hoc tamen cum omnibus alijs commune habet quod salsedo in eo percipiatur, & inde naturam salis habere iudicetur. Omnes enim homines quicunque alicuius salis speciem quantumvis ignotam degustant, protinus salẽ esse agnoscunt, & ita ipsum vocant: necesse ergo qualitatem gustu perceptibilem omnibus communem inesse. Quæ verò natura est huius affectus, salsedinis inquam, & quæ illius causa effectiva, necesse enim hoc cognoscere, ad cognoscendum, quo pacto vel in corpore vel in urina nasci ea possit. Aristoteles 2. Meteororum c. 3. existimat salsedinem provenire ex admixtione sicci terrestris indigesti & adusti cum humido, quod inde probat, quia sudor & lotium amarescunt ex tali adustione, & cinis quoque ex tali adustione talem vim consecutus lixivio impertit. Verùm qua ratione ex adustione, quocunque modo illa fiat, salsedo oriatur, ipsis etiam Peripatheticis imperceptibile videtur. Itaque Julius Saliger asserere non dubitavit cognitionem salsedinis quomodo illa à dictis jam causis efficiatur, nos ab altera vita debere expectare. nunc verò metam agredi nostri intellectus, esseque indemonstrabilem à nobis veritatem. Verùm hoc ille non nisi ignavis & qui servitutem animi libertati præferre malunt, persuaserit. at nos nulli in rebus naturæ ob solam autoritatem credimus, nisi allatæ rationes fidem mereantur. itaque tantum Aristoteli credimus quantum probat. Cum igitur dicunt ab exustione aliquid effici salsum, quibus rationibus ad hanc veritatem inducti eam nobis persuadere conantur? si dicant sensu esse notum, quemadmodum ignem urere, aquam refrigerare: & sicuti nemo ex te quærit cur ignis calorem producat, ita neque, cur exustio salsedinem efficiat, quæri debere, ob indemonstrabilem & immediatam utriusque effectus cum suis causis connexionem. quod si ita, necesse, sicuti inseparabilem videmus ab igne calefactionem, ita salefactionem perpetuò ipsum comitari. at hoc non semper, non fit in omnibus, neque enim lateres, quantumvis usti, quidquam salsedinis habent, non aqua pluvia Soli exposita per integrum annum salsa evadit. neque igne excocta ad ultimam consumptionem, quidquam sa-

lis relinquit, neque arenis diu fervefactis commixta & perusta, vel à se parit, vel ab igne contrahit salsedinem. non ergò sensu notum ab exustione produci effectum salsedinis. Quod si quandoque ab exustione conspicitur salsedo quæ eousque sensum latebat, non propterea sequitur hanc illam effecisse. potest enim per accidens se habere ad talem generationem propter alterius causæ concursum, quæ per se producit salsedinem: quemadmodum si columnam, cui aurea statua insistebat, ignis exussit, non ab igne dejici illa statua, sed suo pondere ad terram ferri dicetur. ita in ortu salsedinis, tametsi interveniat ustio, non tamen censeri debet propterea illius causa, sed quia vel removet impedimenta, salsedo à suis principijs enascitur, vel jam diu ante genita aliorum permixtione occultata illis per ignem amotis in lucem prodit, & tumprinium enasci videtur. sit igitur Nostra Conclusio salsedinem non esse effectum primarum qualitatum, quæ vel ab ijs efficiatur, vel tanquam ad prærequisitas dispositiones ex necessitate naturæ sequatur. Posterius probatur. quia salsedo non est modus illarum qualitatum, ut, sicuti figura cohæret quantitati, ita alteri qualitati cohæreat: Sed est natum absoluta, non minus quàm calor vel siccitas &c. non igitur potest ita resultare ad alterius productionem. Quod verò neque ab alia qualitate efficiatur, in hunc modum enitemur demonstrare quia vel erit una & simplex qualitas, sive calor, sive frigus esse dicatur. Vel duæ pluresve necessariæ ad salsedinis generationem. explicare igitur ipsos oportet, quæ & quot qualitates, & in qua proportione esse debeant. deinde quibꝰ unaquæque viribus agat, an distincta singulis an omnibus una respondeat actio, incredibile enim videtur quæ contrarias habent naturas ad unam actionem conspirare. Quod si plures sint actiones, quomodo erit unius naturæ & simplex effectus? necesse enim partem uni partem alteri actioni in effectu respondere, atque ita in duo plurave esse partibilem, non igitur erit salsedo simplex qualitas: quod si ita quidnam erunt illæ partes ex quibus veluti coagmentatur sasedo quod verò neq; una simplex qualitas salsedinem efficere possit, ita probamus. sit enim calor v. g. illa qualitas (eadem ratio ad omnes alias qualitates aptari potest.) At calor esse nequit, habet enim pro fine calefactionem & sibi similem calorem, quæ totâ naturâ differunt à

sal-

falsedine & illius productione. quod si salsedo calori necessariò cohæret, erit & aêr & ignis salsus. si dicas subjecti dispositionem esse in causa quod in hoc non illo subjecto sequatur salsedo. Contra hoc est, quia non sufficit ita dicere causam esse dispositionem, quisque enim rusticus non minus responderet: verùm explicare oportet in quo consistat illa dispositio, erit enim vel non repugnantia, quia nimirũ calor ex se productivus est salsedinis, si nulla alia qualitas salsedini contraria ipsum impediat ab illa actione. vel erit quid positivum; vel demum ita se habebit, qualiter lumen in diversis medijs sub varia colorum specie à sensu perceptum. An igitur calor in diversis subjectis sentitur alius quidem dulcis, alius verò salsus, amarus, austerus, acidus. at si ita, una erit omnium saporum natura, sicuti apparentium colorum qui nihil differunt à luce. Si dicas illam dispositionem esse non repugnantiam, igitur cum repugnantia sit ab eo quod sub eodem genere habet oppositionem, si quid gustabili caret qualitate, carebit illa repugnantia, atque ita ab igne passum efficietur salsum, erit igitur & aqua vim ignis passa, & aêr salsus, quod veritati repugnat. Deinde quæro cum ignis dicitur efficere aliquid salsum, an agat duplici tum actione an verò unâ utrumque efficiat & calorem & salsedinem, quod si ita erit & caloris & salsedinis una natura siquidem & fieri unum. Si plures esse dicentur actiones, alia quidem quà subjectum alteratur in ea qualitate, alia, quâ veluti salescit, quæro an simul exercentur illæ actiones, an necesse calefactionem tanquam dispositionem præmitti. Quod si prius dicatur, erit calor per se causa salsedinis. non itaque definitio erit adæquata caloris esse potentiam calefactivam, cum non minus salefactio quàm calefactio ab eo procedat: quod si posterius malis, existimans producto demum calore salsedinem elaborare, hoc te manebit absurdum, quia ignis dicetur aut calor aliquid agere per se neque tamen calefaciendo vel siccando, salsum enim reddit subjectum, posteaquam illud calefecit. Dices calefacere ad certum usque gradum, inde verò utrumque fieri & incrementum caloris, & salis productionem. Verùm hæc responsio minus subsistit: ille enim caloris gradus, qui ponitur salem efficere, diversæ erit naturæ ab alijs gradibus, ac proinde specie differet, propterea quod respicit objectum specie distinctum, à quo & actus

& potentia suam speciem & distinctionem accipiunt. non ergo poterit præexistentibus gradibus uniri, neque verum erit, quod ipsi docent intensionem non mutare speciem. Inferimus ex his principium salsedinis productivum neque in calore neq; in igne constitui posse, sed in natura specifica, à cujus essentialibus principiis oritur non minus quàm aliæ rerum proprietates. Estque connexio salsedinis cum illa seminifica natura immediata & indemonstrabilis quoad nostrum sciendi modum. sicuti ergò nemo quærit cur ignis calorem producit, vel unaquæq; planta suas certas signaturas & debitas suæ speciei figuras: ita neque, cur hæc natura sit salsa illa verò acida, quæri debet: nō minus enim hæc aciditatem illa salsedinem ex se parit, quàm ignis calorem, aqua frigiditatem. Longè verò differt hæc nostra sententia ab iis qui non nisi ex busto salem generant. Certum enim accidens substantia posterius & ab ea dependere. præterea unam substantiam plures perfectiones accidentales è suo sinu depromere: ignis enim & calorem & siccitatem & insuper lucem à se fundit. at verò accidens determinatum est per suam naturam ad unum: neque enim alia rursus accidentia ex se profert, neque nisi ad sibi simile se extendit. Quia itaque nulla qualitas salsedinem idonea est generare, quemadmodum à nobis fuit ostensum: reliquum est, ut à substantiali seminio ortum habere dicamus. Hoc tamen intellige de eo corpore, quod primò & per se est salsum: alia enim ut aqua maris, muria, sanguis, pituita, dicuntur salsa non per se sed propter admixtionem talis substantiæ quæ alia quoque corpora imbuit suâ tincturâ, & salsa videri facit. à quibus tamen nihil prohibet denuò separari, quemadmodum fieri videmus in aqua marina, liquor enim dulcis inde distillat, sal verò in grumos concrescit. multa autem sunt per accidens quæ per se talia esse videntur, atque inexpertis ingeniis imponunt, inque errores præcipites agunt: hinc rationes rerum, nequid videantur ignorare prorsus ridiculas comminiscuntur, quæ sapientibus oneri, stupidis admirationi, mediocribus ingeniis desperationi magis quàm eruditioni conferre videntur, nam ut rem exemplo illustremus, quis est ex illis Coryphæis, qui se Galeni sectatores profitentur, quem non perplexum reddit natura aceti? idcirco enim quod aciditatem quasi propriam ipsi violenter affigunt, tot controversiæ de illius natura

tura sunt exortæ, ut quale temperamentum ipsi assignari debeat prorsus cum suo Galeno hæreant. At qui neglecta hominis autoritate mille erroribus obnoxij puram veritatem sectatur, ratione & experientiâ ipsam assequi studet, facilè deprehendit, ascititiam esse illam aceti aciditatem ex natura salis amoniaci profectam, qui licet mole exiguus ingentem tamen copiam liquoris suo acore tingit. hoc enim ars illa subtilis quæ docet heterogenea segregare manifestum facit. nam ex 10. pinctis aceti tibi separatim exhibebunt artis periti totidem pintas insipidi liquoris omni aciditate spoliati, & separatim salem illum acutum perexiguum mole & viribus agendi potestate efficacem. Idem de spiritu vini intellige, sal enim sulphureus & acris à suo phlegmate separabilis existit. quo separato, neque jam ardere, neque gustum illo igniculo ferire & veluti urere, nihilque ab aqua elementari differre videbitur. Hæc eadem ars di[illegible] dubitatam illam de maris salsedine quæstionem facilè expedit, [illegible] nos docens manifestè salsedinem non esse propriam & innatam illi aquæ, verùm ascititiam ex colliquatione salis inductam. quod si enim salsedo illi esset propria, ita ut idem sit subjectum formæ aquæ & salsedinis, undecunque illa dicatur nasci, incredibile erit nihil omninò salsedinis in aqua eo modo separata restare. quomodo enim hæc dicetur aboleri, non enim potuit migrare de toto subjecto & in unam aliquam partem colligi, neque ignis ipsam detergere, quin potius, cum illius author esse dicatur, augere. quid itaque est in causa, quod tota maris aqua in dulces vapores ebullit, & absque salsedine in latices rursum distillat, non certè alia causa subesse potest, quàm quod aqua minimè quidem alterata, verùm sali tantummodo per mixta ex illi9 vicinitate talis quoque a sensu æstimatur: quemadmodum bilioso humore suffusis omnia gustui amara videntur. Sed contra hanc veritatem insurgit Scaliger sperans hoc argumento funditus posse everti. quia, inquit ille, videmus pusillâ aquâ plurimum salem solvi: unde vel ingentes salis montes tantâ aquarum mole pridem absumpti, fuissent. Respondeo ipsum tanquam inexpertum de rebus loqui, & pro confirmatione assumere, quod planè experientiæ adversatur. falsum enim pusillâ aquâ quantamlibet salis vim contabescere: cum experientia constet certam

mensu-

menſuram aquæ eſſe debere ad certam ſalis portionem ſolvendam, adeò ut ſi pars aquæ evaporaret, neceſſarium ſit portionem ſalis aquæ illi quæ expiravit reſpondentem coagulare & grumeſcere: quia nimirum aqua reliqua non eſt jam idonea & ſufficiens ſali univerſo diluendo. deinde licet concedamus univerſam aquam maris nihil eſſe aliud quam ſalis liquamen, non tamen deerit materia ſalis ad explendas oceani voragines. Ipſe enim Scaliger exercitat 38. demonſtrare conatur perexiguam eſſe aquæ ad terram proportionem, adeò ut vel ſoli montes qui adiacent mari explere queant totam maris capacitatem. profectò, inquit ille, ſi Caſpij ſoli montes in ſubjectum mittantur mare, operibunt quantum vacui patet. ſi carni demittantur in ultimum Adriatici ſinum, non ſolùm complebunt depreſsiones, verùm etiam extabit in montis faciem curuum aliquid. Cætera pars Adriatici eodem agitabitur fato ab Illyrijs &c. Si itaque ſoli mõtes qui ad terram non habent ſenſibilem proportionem, ut patet ex aſtronomicis obſervationibus, æquare poſſunt aquæ locum, quid repugnat terræ ſpecus reperiri tantâ vaſtitate, in quibus ſalis materia contineatur pelago par, aut etiam major. fidem enim faciunt nobiles illæ ſalis fodinæ ad Bothniam & Veliſcum in Polonia ubi tanta vaſto in præceps hiatu terra aperit iter ad manes, ut infra ſtantibus nullus unquam cerni poſsit dies, neque voces ultrò citròque jactatæ exaudiri, qui verò in illas averni fauces ſe demittunt reſtibus ſolent inſidere interdum ſeni vel octoni manu altera lucernam geſtantes, altera funem immani altitudine fluctuantem dirigentes. In his dicitur tanta in exhauſti ſalis copia contineri, cuius glebæ aliquando eductæ ter mille pondo æquent, ut nulla ſit ſpes aliquando poſſe exhauriri. Præterea ſcribit Paulus Venetus extare in oriente ſalis montes qui toti orbi ſufficere queant; ut nihil dicam de illis Africæ montibus, qui ex mero ſale dicuntur conſtare. non igitur deeſt materia quæ aquam maris ſalſam efficiat. Deinde dicimus non fieri continuam ſalis acceſsionem, ut perpetuó aquæ maris magis ac magis ſalſæ efficiantur. nam cum flumina, teſte Salomone, à mari, in quod revertuntur, oriantur, quantum important ſalis alibi liquatum, tantundem à mari referunt, & in terræ viſceribus per ſpongioſas illius cavernas colatæ ad fæturam gemmarum, lapidum, & metallorum, deponunt, dulces enim

enim latices relicto ibi sale scaturire, & fontes fluviosq; aperire solent. In locis verò in quibus salis substantia liquatur non exhauritur sal universus ob successivam generationem. spiritus enim mineralis & salinus aquas occupat, ut quantum salis aqua avexit, tantum materiæ ad novam generationem rependat. propterea locis innumeris aqua maris in lacus effusa & insolata in salem sponte coit. Sed quid mirum non deficere materiam salis propterea quod aqua ipsum depascitur, an non magis mirum tot sæculis durare incendia & tam vastos sub terra ignes, quibus ne universus orbis pro fomite sufficere videtur? hæc de salsedine maris incidentur à nobis dicta ob jucundam atque utilem illius speculationem. quod si enim intelligamus tam vastam à Deo molem esse productam neque quidquam frustra effecisse, ingentem illius esse debere usum facilè colligemus. neque enim ad condiendos solùm cibos, quorsum enim tanta moles omne alimentum exsuperans? sed longè magis ad rerum generationes peragendas. nam & pisces aquâ salsâ nutriuntur, & mineralia ex eodē suam habent concretionem, quin & vegetabilibus & omni animantium generi salem inesse experientia testatur, neque ignorant agricolæ qui fimo pinqui & nitroso agris fæcunditatē, segeti luxuriem procurant. Nilus quoque non aliâ ratione Aegyptum fæcundat, quàm quod sua eluvione in illas arenas, ex quibus concrevit terra Ægypti, limum fæcundum & nitrosum infundit & veluti oblinit. Itaque non malè dixit quidam Philosophus in Sole & Sale esse omnia, & hoc ipsum innuere volebant Philosophici illi Vates, cum Venerem ex Sale ortam suis versibus celebrarent. Hermetici verò salem constituunt ex tribus principiis, quasi aliorum fundamentum. est enim salis natura præ aliis incorruptibilis & neq; violentia ignis neque alterius elementi ipsam corrumpit, quin & ea quæ facilè corrumpuntur, salis balsamo diu à putredine & corruptione conservantur. Exsugitur verò à sale & vi ignis sursum effertur liquor acidus, quem spiritum salis & oleum dicunt, aliquomodo contrarias habens vires cum ipso sale. is odore succum refert pomorum agrestium, sapore verò acido dulcis, deinde sitim lenit, quam sal provocat: unde hydropicis non leve auxilium præstat. præterea si quæ ulceribus adest corruptio, absque doloris sensu excedit & absumit; quæstio autem est an ille liquor fuerit

pars ſalis ad compoſitionem illius ſubſtantiæ pertinens, an aliquid ſuper additum & accidentaliter connexum, quod poſtea igne ſegregatur: quemadmodum plures impuritates & naturas peregrinas metallis connaſci videmus, confuſis in terræ alvo & inſemet variè complicatis ſeminalibus primordiis. Eſſe verò adventitium quid, his rationibus ſvaderi poteſt. ſi eſſet pars eſſentiæ, vel tota fuiſſet per ignem elevata, atque ita quod reliquum manet à diſtillatione non diceretur ſal amiſsâ parte componente naturam ſalis quod experientiæ repugnat. conſtat enim non minus poſt abſtractum ſpiritum, quam ante fuerit, ſalem ſupereſſe; vel tantùm illius pars aſcendit, parte aliâ quæ ſatis ſit ad mixtum complendum, remanente. at neque hoc ita fieri videtur, nam cùm utraque pars, tàm quæ aſcendit, quàm quæ remanet, unius ſit naturæ, non eſt ratio, cur, ſi igne æqualiter urgentur, hæc non illa aſcendere & efferri debeat. Secundò cum ſal & ſpiritus vires habeant contrarias, videbuntur ſe totis differre. Nobis tamen oppoſitum magis probatur: nam cum etiam à rebus aliis liquor acidus diſtillet, licet cum aliquavi pro rerum, à quibus elicitur, varietate, in quibus poſt abſtractum ſpiritum acidum, non idem manet, quod ante, mixtum, evidens eſt ad ſubſtantiam talis mixti pertinere. hoc autem fieri videmus in vitriolo, ſulphure, tartaro &c. in quibus cum expiravit illa aciditas, deſinunt dici, vitriolum, ſulphur, tartarus. Quod verò in ſale, etiam abſtracto ſpiritu conſtat ratio ſalis, cauſa hæc eſt, quod non tota aciditas exprimitur, ſed tantum de illa remanet, quantum ſufficit ad mixtum & naturam ſalis componendam. Ad illud quod objiciunt, non fore rationem cur una portio & non tota efferri debeat, cum ſit homogeneæ naturæ. Reſpondemus, tametſi difficilis ſit aſsignatu illa ratio, non tamen ſequi eſſe nullam. neque enim propterea res eſſe deſinit, quod cauſam, propter quam illa ſit, dare nequeamus, alioquin neque verum erit ignem calidum, hominem intellectu præditum eſſe, cum neutrius cauſam, propter quam ita ſit, liceat aſsignare. Talibus verò argumentis, uti ſolent illi Sophiſtæ adverſum veritatem ſibi ignotam, tali modo ſe armantes. ipſi enim præ ignavia quidquã experiri, & præ ſuperbia inter fumos & carbones conſpici recuſant, turpe arbitrati, cum jam ſenuerint, aliquid diſcere de novo & errores,

res, quibus alios inebriarunt, recantare. Hi itaque tales cum existiment naturam universam cerebro suo conclusam teneri, inde, tanquam è quercu Dodonæa, oracula promunt, quæ cum operibus naturæ cohærent, non magis hercle, quam scopæ dissolutæ. Verùm ignavos hosce fucos, in sua desidia sibi ipsis & suis concoloribus placentes, sinamus, nos industrias apiculas imitati, per opera naturæ tanquam elegantes flores studio indefesso feramus] & inde mella cupitæ veritatis legentes referre enitamur. Quod verò ita esse possit, quemadmodum dicimus, partem quidem ascendere, & in sublime ferri, partem retineri & veluti fixam hærere, tametsi utraque volatilis & unius sit naturæ, evidenti experimento licet comprobare. quod si enim sali tartari acetum distillatione efecatum affundas, & ex eo rursum abstrahere velis, nihil, nisi aquam insipidam & omni aciditate privatam inde prolicies, sale tartari retinente & veluti figente quicquid inerat salis acidi & volatilis, qui acorem aquæ illi præstabat. si rursum aliud acetum idque multis vicibus addere & inde abstrahere humiditatem pergas, eveniet tandem, ut non insipidus sed acidus liquor efferatur, & tamen idem acetum modo, quod ante ipsi addebatur. cur igitur hactenus quidem phlegma insipidum, nunc verò acidum prodit? Idem fieri videmus in Saturno, si quis in dulcedinem saccarinam ipsum redigere, indeque acetum destillare velit, phlegma enim insipidum ascendit quousque Saturnus ebrius nihil de liquore acido potare queat. ratio verò hæc esse videtur, quia cum sal fixus & volatilis in hoc sint discordes, hic quidem ab igne fugiens ille verò eo quasi se oblectans; accidit, cum inter se miscentur tantisper vinculo naturæ cohærere, at ubi ignem utrumque sensit, in diversa impetu ferri, & volatile quidē sursum eniti, fixum verò in igne persistere partesque volatiles remorari. Et quia virtus illa retentiva non est infinita, sed certis limitibus continetur, eousque partes volatiles retinet, quousque terminus adveniat & virtus illa sit jam adæquata. quòd si quid addere pergas, non poterit tamen retineri. quemadmodum ferrum à magnete suspendi videmus, annulosque ex annulis longâ serie dependere & concatenari, non tamen infinito sed certo aliquo numero, quibus si plures annectere velis, non jam adhærere sed suo pondere delabi videbis. pari modo sal fixus volatilem

 retinet,

retinet, donec crescente copia nequeat retineri & tamen quod superat illius vim retentivam levitate suâ volatili sursum effertur. Econtra fixum efficitur volatile quando hujus copia fixo dominatur. partem enim fixam associatam sibi secum defert. Hoc modo omnia fixa & sales alcali volatiles reddi queunt per additionem aquæ mercurialis. Exempli gratia si velis salem absinthij volatilem efficere, accipe herbam ejusdem absynthij & post debitam fermentationem spiritum abstrahe, quem proprio sali affusum solvi facies de sale quantum illius cupere potest. inde alium atque alium spiritum affundendo quousq; desinat tingi à salis virtute. spiritum ita impraegnatum sæpius cohobando calore balnei bullientis fortiter abstrahe & ascendet spiritus cum sale captivo. ita spiritus vini dicitur tartarisatus, quia sal cum spiritu elevatus ipsum acuit & veluti salinum facit. Verùm hac ratione dicitur ferri fixum & volatile per accidens propter additamentum naturæ talis per se. In quo verò posita sit ratio fixi & volatilis per se, & an aliquid per se fixum volatile per se effici, & volatile fixari eo modo possit, difficile est cognitu, atque in recessibus naturæ delitescere altius videtur. Ad cognoscendum tamen naturam salis armoniaci, atque illius generationem pernecessarium, sine quo perfecta cognitio urinæ nequit haberi.

Dico primò ratio fixi & volatilis non consistit in gravitate & levitate, quia si ita esset, magis ponderosum esset quoque magis fixum. at hoc repugnat experientiæ, videmus enim mercuriū omni sale magis ponderosum protinꝰ evolare, nequaquā salē quantumvis igne urgeatur, ad loca supera eniti, metalla quoq; omnia excepto auro, & ex parte argento, in fumos disperdi & exhalare, cinerem levissimum & omni aura diflabilem nequaquam elevari constat. Secundò certum, oleum aqua esse levius, innatat enim huic oleum, & tamen in distillatione prius aqua, posterius oleum ascendit, non ergo fixum à gravitate, neque volatile à levitate oritur; oportet enim magis fixum magis esse ponderosum, & volatilius levitate alijs præstare.

Dico Secundò neque partium tenuitas vel raritas, neque crassitudo huc facit, tametsi enim Geber. c. 8. lib. 2. de investigatione Magisterij causam dissipationis per ignem, corporum etiam perfectorum, inter alias statuat rarefactionem, quia flamma ignis ea tum pene-

penetrare & in fumum exterminare. hoc tamen intelligi debet non de eo, quod per se, sed per accidens tale est. nam de metallis ipsum loqui constat, quæ non solum naturas fixas sed etiam volatiles in se continent. nam præter mercurium, quem habent copiosum, etiam pars sulphuris non fixi inest, ut patet ex eorum, cum uruntur, odore sulphureo. pars tamen in illis fixa non tàm copia quàm agendi potestate præcellit, partesque volatiles quò minùs exhalent sua soliditate tuetur. neque enim portio aliqua sensibilis elevatur, quis enim unquam vidit guttam aquæ sursum efferri. ? sed omne quod ascendere debet necesse in vaporem attenuari. Cum itaque per calcinationem metalla subtiliantur, corruptibilia ita evadunt, quia ignis partes volatiles attingere & in vaporem attenuare potest. Hæ verò etiam partes fixas naturæ vinculo sibi unitas abripiunt. Quod verò sola tenuitas esse nequeat causa volatilitatis per se prob. vel enim per tenue idem intelligitur, quod pervium alteri corpori & penetrabile sive rarum, quemadmodum ipsum intelligit Geber, vel quod propriè est tale. at neutrum propterea efficitur volatile. nam tenue propriè dictum, est, quod habet partes subtiles, sive, ut ipsum definit Galenus, quod est divisibile in partes minimas. atqui aurum eâ ratione omnibus metallis tenuitate præstat, neque tamen volatile; quin ita fixum, ut nihil omnino igne ipsi depereat, tametsi spatio unius anni quidam animo experiendi ipsum igne acerrimo assarint. reliqua verò metalla, ut ferrum, æs, magnesia, quæ partes habent grossas igne facilè dissipantur, à quibus spodium & tutiam satis ponderosa ascendere & camino adhærere licet videre. Primo autem modo tenuia sunt cinis & omnia calcinata. videmus enim talia non modo aëri sed etiam liquori esse pervia & facile penetrari, nec tamen volatilia, sed magis fixa eo modo reddita. non igitur partium crassitudo fixitatem, nequè tenuitas vel raritas volatilitatem facit.

Dico tertiò: Prædominium elementi non videtur causa fixitatis aut volatilitatis, nam si ita esset oporteret referri vel ad proprietatem totius substantiæ, vel ad superadditam qualitatem. at neutrum fieri potest, nam cum neque crassitudo & tenuitas, neque gravitas & levitas, nequè spissitudo & raritas ostensa sit tale quid posse, nulla alia qualitas videtur superesse quæ possit hoc præstare. Quod verò neq;

à substantia elementi procedat, ad hunc videlicet modum, ut terra quidem per se sit fixa & ad centrum ex sua natura vergat, ignis autem volatilis ad superiora contendens, reliqua duo medio se habeant modo. Itaque ea omnia quæ sunt de natura terræ, ob prædominium talis elementi esse fixa, neque posse elevari. è contra verò habere quæ participant magis de natura ignis. Contra hoc est, quia quæ propriè sunt fixa, nullo igne absumi videmus, at terra ponitur elementum transmutabile in alia elementa: ergo persistente ignis impressione tãdem fiet ignis atque ita ascendet, non igitur forma elementi potest causare fixitatem. Secundò, Quia Mors & Venus habentur magis terreæ naturæ, quàm Sol & Luna, & tamen non hæc sed illa evolant. Tertiò quo plus habent aëris & ignis, deberent magis aliis volare, quæ vel terræ vel aquæ plurimum continent, at videmus aquam celeriter efferri, olea verò quæ dicuntur esse aërea & de natura ignis participare, non, nisi lentè & seriùs ascendunt.

Dico quartò probabile videri fixitatem & volatilitatem à forma specifica proficisci, quemadmodum omnes alias qualitates, non modo odores, colores & sapores, verùm etiam magnitudines, figuras, pondera, motus, quietes, numeros, & tempora: prob. quia si nulli accidenti potest attribui, reliquum est, ut hoc munus substantiæ deferamus. Et ex hac positione inferimus, nihil absurdi habere, si dicamus fixum per se, ad naturam volatilem posse mutari, & è contra, volatile ad fixitatem esse reducibile. nam dictum à nobis fuit formas sive essentias rerum è suo sinu depromere universa accidentia non confertim & uno impetu, sed ordinatè & quâdam succesisone. Sicuti ergò in coloribus fieri videmus mutationem à nigredine per intermedios colores veluti gradus ad albedinem progrediente naturâ, & ab aciditate vel amaritudine, ad gratam dulcedinem fructus maturescere: ita quoque à fixitate in volatilitatem mutari, & è contra existimandum. Quod si non placet hæc sententia, inter alias magis probamus doctrinam Geberi, existimantis rarefactionem esse principium volatilitatis, densitatem verò fixitatis; quod ut melius intelligi posit, adverte dupliciter aliquid dici rarum & densum, uno modo, ut idem sit quod porosum, quâ ratione spongia, cinis, pumex rara esse dicuntur, quod cavernulas habeant interje-

terjectas aëre alioque corpore fluido plenas. Alio modo raritas dicitur illorum corporum quæ parum habent materiæ multum verò occupant loci absque omni tali hiatu partibus intimè sibi connexis & continuatis. hanc autem raritatem esse dicimus, per quam efficiantur corpora volatilia. cuius ratio hæc esse videtur, quia videmus omnia quæ exhalant beneficio caloris, sursum efferri, necesse itaque principium à calore aut igne proficisci. At quomodo calor in alieno subjecto efficere possit, ut ipsum contra inclinationem suæ naturæ sursum feratur, præsertim cum calor sit principium calefactionis, non verò lationis, erit igitur in igne hæc vis sursum lativa: quia nimirum quæ calefiunt, non modo calorem recipiunt ab igne, sed ipsam quoque substantiam ignis in illa corpora se insinuantis. & sicuti sal in humore solvitur seque illi commiscens salsum videri facit: ita ab igne commixto res calefactæ tales videntur magis & minus pro copia ingressi & rebus illis implicati ignis, quemadmodum aqua salsa pro quantitate salis permixti talis apparet. non tamen hîc determinamus an semper in omni calefactione ignis ingrediatur corpora calefacta, ut idem sit calefieri quod ignem rebus misceri, & cum plurimum illius admiscetur operationem ignis tùm exerceri (de hoc enim alibi erit dicendi locus) sed hoc tantum dicimus res calefactas nequaquam sursum ferri solâ vi caloris nisi aliqua substantia sive ignis sive alterius rei cum calore introferatur, quæ talem motum rebus conciliet. Objicies res à Sole calefactas non minus sursum ferri, neque tamen apparere qualis & unde ignis ingrediatur, vel à quo producatur. Respondeo quæstionem perdifficilem moveri, quæ, si pro dignitate rei à nobis tractetur, à proposito longius nos abducat. Verùm breviter ad hoc dicimus aërem nequaquam esse purum, sed multo igne per ipsum disperso tinctum: neque tamen urere ob raritatem, solam temperiem animantium generi amicam ipsi conciliare. Porrò Solis radios dispersos in aëre ignem congregare & versùs terram dirigere, propterea quod radij à reflexione hic magis pollent virtute ignis attractiva. unde quoque äer terram ambiens magis incalescere videtur. hoc autem quod dicimus evidenti patet experimento in speculis ustoriis, quæ vel ab uno vel pluribus concavæ superficiei circulis radios colligunt ad punctum unum: ignis enim fo-

mite

mite, eo loci apposito, protinus accenditur. quia nimirùm radij infiniti in uno puncto collecti ignis atomos congregant & constipant, ex quarum collectione quid mirum ignem accendi. ratio potissima quæ nos movet ad hoc asserendum est hæc, quòd si ignis, quemadmodum ferè omnes persuasum habent, nomen sit substantiæ & non accidentis; posset enim quis non improbabiliter ita existimare res plerasque in ignem conversas non differre à se ipsis substantiali ratione, sed accidentaliter tantùm, quemadmodum mineralia, gemmæ, lapides, metalla, salia, alumina, in liquorem soluta non differunt à se ipsis substantialiter, sicuti patet ex illorum reductione, quæ priorem soliditatem & modum consistendi recuperant. si quis, inquam, hanc opinionem amplectivelit, facilè objectiones quæ adversus eam fieri possunt, diluere, seque non levibus rationum momentis tueri queat; nam sicuti non sufficit ad hoc, ut una omnium dicatur essentia, quæ aquæ elementi speciem externam referunt, tametsi refrigerare & humectare & sua fluxilitate ad loca declivia delabi spectentur. ita neque omnium ignium una natura propterea censeri debet, quod calefacere & urere & lucere & sursum ferri omnes videntur. quod si enim quis opera ignis & vires inter se adeò diversas intueri velit, necessitas ipsi imminebit diversas species pro actionum varietate attribuere. Nam ut ex innumeris exemplis pauca delibemus, refert Plinius lib. 2. naturalis hist. cap. 4. esse in Comogenes Urbe Samosatis stagnum emittens limum flagrantem, qui attactus sequatur fugientē, itaq; muros esse defensos oppugnante Lucullo dū miles flagraret armis suis accendi hunc aqua, terrâ verò restingui. Idē contingere in monte Chymæra, & montes Xephæstios adeò flagrare idem refert, ut teda flammante contacti lapides & rivorum arenæ in ipsis aquis ardeant. præterea ad aquas scautias exire flammam sed invalidam, cum transit, nec longè in alia materia durare. Notum est etiam de monte Islandiæ Hecla nomine, qui ignem evomit assiduè innoxium stuppæ minimeque ipsam comburentem. Legimus quoque in Navigationibus Lusitanorum novem Arabicam diu ab illis appugnatam ita demum imminens periculum effugisse, dum excitato igne navis universa ardere videretur, subductis interea longius, nè & ipsæ ab igne corriperentur, navibus Lusitanicis. Verùm ubi ignis ille evanuit

vanuit nave jam in tuto constituta facilè apparebat innoxiam fuisse illam flammam, & non, nisi sui generis pabulum esitare. tacco ignes fatuos, quid enim attinet singula recensere? in his enim, quæ retulimus expediendis irritus illorum labor, qui contrariam tuentur opinionem, probabilitatem affert assertæ à nobis doctrinæ. quæ enim ratio esse potest quòd ab igne Scautio difficulter, & non nisi evanidè ab igne illo Arabico & fatuo nullo modo accendi res possunt? cur tanta amicitia quibusdam ignibus cum aqua, ut non nisi in contrario vivant elemento, cum alioquin ignis omni humido confestim extingui soleat? quid aliud dicere possumus, quàm differre ignem ab igne, pro rerum, à quibus emicat, natura. Itaque si cognatio sit inter res facilè ignem ab una in aliam transilire: at si odio dissident non posse coire ad novam prolem producendam. pari modo illarum rerum quas in aquis ardere conspicimus, convenientia cum aqua facit, ut etiam in ignem conversæ servent vestigium pristinæ familiaritatis. Hæc tamen problematicè à nobis sint dicta, suo enim loco de hoc accuratè dicemus. Jam verò suppositâ veritate illius opinionis, quæ ignem ab igne nihil differre facit, & fieri ignem, mutationem substantiæ, non verò solius accidentis, importare, dicimus necessario sequi, ignem, qui ex congregatione luminis videtur generari, in aëre præextitisse, hac inquam, ut supra dicere cepimus, persuasi ratione, quod cum ignis sit substantia, necesse sit, ut de novo dicatur generari, accipere hanc generationem ab eo quod jam actu est ignis, juxta principium à nobis constitutum, ut enim aliquid fiat ignis à se ipso hoc quidem metas egreditur rationis. At quid nam erit quod sole lucente hunc ignem generat.? nihil enim aliud ipsi agnoscunt præter lumen à sole diffusum. quod cum sit qualitas quædam & quidem perfectiva, non poterit ignem excitare. quid quod nō solum radijs solaribus verùm etiam ex attritione ignis prolicitur, qui certè nequit alia ratione ortum habere, quam ex coitione atomorum ignis in aëre delitescentis. Etenim ex collisione potissimum illorum corporum quæ sunt de natura sulphuris, qualia genera pyritæ, ignem procudi videmus, quia nimirum pusillæ atomi sulphuris atteruntur, & attenuantur, ad quas ex aëre ignis tanquam amicum pabulum se recolligit ipsasque accendit. simili modo à confricatio-

 ne,

ne, dum vel manu fune arctius apprehenſo celeriter quis per ipſum ſe demittit, illam exuri, vel ligna torno irrequietè circumducto ex appreſſo alio ligno ignem corripere videmus: motu impetuoſo ignis per aërem ſparſus recolligitur, atque aëre elabente ipſe ſuo fomiti adhæret, donec plurium coitione ſatis habeat virium ad illam materiam uſtulandam. ſulphur autem ineſſe rebus illis & atteri eo motu, manifeſtum facit odor ſulphureus, qui excitatur in attritione. Quod ſi omnino placet à ſole deducere hanc ignis generationem, id hac ratione fieri perſuaſum habe, à ſole tanquam centro in orbem quaqua verſum diffundi non modo lumen verùm etiam radicem luminis ſubſtantiam quandam ſimplicem & incorpoream, quomodo enim ſi corporea illa eſſet aërem penetraret? neque ſufficit dicere quemadmodum pluvia & fumus aërem tranſit veluti perforando, ita accidere in ſubſtantia ſolari, quia non poſſet in omni puncto ſuam operationem exercere, quod experientiæ adverſatur. ſi quæras qualis ſit & cuius naturæ illa ſubſtantia. Reſpondeo probabile videri non differre à forma & eſſentia ſolis non tamen rectè inferes eſſe ipſum ſolem, quia de ratione ſolis eſt non modo formam & eſſentiam ſolis habere, verùm etiam in matrice & elemento cæleſti ipſam ardere. quod ſi ad inferiora elementa ſe dimittat atque in materiam aeris vel aquæ fructus ſuos pariat, decidit ab illa cæleſti dignitate & ab inferioribus transplantatur, quemadmodum ſemen hominis in utero alicuius beſtiæ in monſtrum ſolet degenerare, propterea quod matrices circuli inferioris non ſunt idoneæ ad fructus cæleſtes ferendos. Verùm ex hac poſitione, multa erunt immutanda in doctrina Peripatetica, nam neque verùm erit formas ex potentia materiæ educi, neque inſeparabiles eſſe à ſubjecto, neque omnino corrumpi poſſe, longeque alium eſſe generationis modum, de quibus omnibus commodiori loco erit agendum. Interea quidquid ſit de natura illius ſubſtantiæ, quam à ſole deducimus, nõ eſſe merũ accidens, pluribus video placuiſſe Nã ita ſentit Theodoretus in quæſt. ſuper Genes. q. 7. ubi dicit lucem eſſe ſubſtantiam per ſe ſe cohærentem. & D. Auguſtinus lib. 2. de libero arbit: aſſerens lumen primum locum tenere inter corpora. D. Damaſcenus lib. 2. fidei orthodoxæ c. 7. idem perſpicuis verbis docet. Rogerius Bacco lib. qui inſcribitur ſpecula mathematica, diſt. 2. cap. 1.

omne,

omne, inquit, efficiens agit per suam virtutem quam facit in materiam subjectam & hanc facit tam substantia quàm accidens & substantia plus quàm accidens. nititur hæc doctrina à nobis supra positis fundamentis, ubi constitutum fuit virtutem specificam inseparabilem esse à rebus. Cùm itaque tot effectus in mundo sublunari à superis illis cælestium orbium ignibus oriantur, necesse virtutem, quæ talia operetur, esse presentem, etsi virtus adest, aderit quoque substantia, a qua virtus est inseparabilis. sed de his hactenus jam ad propositum, cujus gratia hæc attulimus redeam9. Dictum fuit res calefactas avolare propter admixtum ignem, qui evehat secum res illas idque ob rarefactionem, cujus hæc est ratio. Elementa, quemadmodum Aristoteli placet, habent decuplam ad se proportionem, ita nimirum, quod si inferioris circuli elementum mutetur ad naturam superioris, occupet illa mutatione locum decuplo maiorem. quod si itaque demus, terræ pugnum converti primo in aquam, inde in aërem, postremo in ignem, efficientur ex eo decem pugni aquæ, centum aeris, mille ignis. quibus suppositis cum eadem substantia esse possit sub uno & mille pugnis, beneficio rarefactionis & condensationis. si demus ignem unius pugni assistere æquali terræ portioni densissimæ tum existenti, nequaquam poterit ab igne elevari, propterea quod una quæque illius particula excedit ignem sub pari mole existentem mille cupla proportione, ac proinde fixum volatili prædominatur. at si terra eousque rarefiat, ut par efficiatur utriusque substantiæ modus, quia ignis tamen non nisi millesimæ parti assistit, ipsam ob sociam raritatem jam sibi amicam magis abripiet, & quasi Jcarum volatu exercebit. Juxta hanc sententiam ex doctrina Gebri derivatam inferimus non nisi unum esse corpus per se fixum, & unum volatile, terram videlicet & ignem, & quæcunque de alterutrius natura magis participant, ad illius fixitatem aut volatilitatem proprius accedere. Est autem partium densitas veluti propugnaculum fixitatis: nam prout magis vel minus densitate privantur, eo à natura fixi magis vel minus recedunt: non tamen ita ut per se volatilia efficiantur, sed vim illam ab externo perpessa. Verùm huic sententiæ obstare videtur non levis difficultas superanda, in assignanda causa facilis & difficilis rarefactionis. nam esto demus per rarefactionem corpora effici volatilia, at cur hæc magis, illa minus rarefieri queant,

causam inquirimus, nullum si quidem accidens videtur posse assignari, ut proinde necesse sit ad substantiam & rei naturam recurrere, à qua & nos fixitatem & volatilitatem deducebamus. Præterea si res fixæ propterea sursum feruntur, quod ignis veluti se alligat rebus illis, non videtur tanta necessitas rarefactionis, cum non minus solida quàm rarefacta ab igne rapi videmus. Ita enim in quibus artefactis licet videre, quemadmodum in nupera *Regis Ferd. tertij* coronatione, jucundo spectaculo fuimus intuiti, cum res multum ponderosas igne ad fomitem alligato sursum efferri ex eoq; ad superam aëris regionem delato centenos alios ignes depluere & fulminare admiraremur. Hæc, quæ diximus de natura fixi & volatilis, à nemine, quod sciam, tentata eo fine adduximus: quo natura salis amoniaci, quem urinæ inesse posuimus, magis innotesceret, deque loco & modo illius generationis constaret. necesse enim vel in cibo & potu ipsum præextitisse, vel in corpore fuisse generatum, quod jam inquirimus. Dico Primo Sal amonius non præextitit incibo & potu. probo quia vel omnibus inesset, vel certæ alicui speciei. at in omnibus alimentis reperiri salem volatilem experientia coarguit. quod si quibusdam tantùm alimentis inesset, oporteret, quæ nam illa sint, declarare; deinde sequeretur eos qui abstinerent à prædictis alimentis, non emittere urinam quæ habeat salis volatilis naturam, at videmus ex omni urina indifferenter tam hominum quam jumentorum extrahi.

Dico 2. sal amonius urinæ non generatur ex aliqua parte chyli substantialiter mutata. ratio quia deberet adesse in corpore, quod jam habeat formam salis generandi ut patet ex primo fundamento.

Dico 3. sal amonius habet suam originem à sale fixo illarum rerum quæ in cibum & potum assumuntur longa digestione in volatilem naturam converso. hoc autem fieri duplici potest modo, per se, & per se quidem ita ut ipsa salis fixi natura per illam digestionem à principio seminali ad perfectionẽ volatilis naturæ promoveatur, nã cùm utrumque & fixum & volatile oriatur ab essentialibus principiis nihil prohibet unum post alterum produci quemadmodum in fructibus, acidum, dulce, & amarum quadam serie consequi videmus. Per accidens autem volatilis fieri dicetur per admixtionem aquæ mercurialis. quod enim ars potest foris quæ naturam imitatur, quid ni ipsum

psum idem posse dicamus? nam in illa digestione spiritus societatem init cum salibus, & pars quidem ab illis fixatur, pars alia salis fixi portionẽ sibi adjungit & effert, atq; ita cohabitatione plus dico assumens, naturam salis volatilis constituit. Neque verò de aquis mercurialibus poterit quis ambigere, qui naturam sudoris, & quæ speciem halitus à corpore transpirant, perspecta habet. Itaque sal amonius urinæ, est sal alcali esculentorum cum acidis eorundem spiritibus impregnatus. unde pro differentia cibi & potus, differt quoque natura huius salis nam qui vinum potant, quia illud salem valde acutum habet, non dissimilis naturæ ex eorum urina sal amonius segregatur. Quæstio autem hic oritur, an detur alio modo, quam qui fit ex urina genitus sal amonius, tametsi enim scribit Plinius realiter concrescere sub Lybicis arenis, suspicio tamen non levis est hunc quoque in Lybia salem ex principijs urinæ originem accepisse. nam per huiusmodi loca arenosa solent institores cum Caravane, id est cum turmis aliquot millium Camelorum iter agere, & in certis locis aliquandiu suas habere mansiones, in quibus ex urina tot una stabulantium Camelorum quid mirum salem in illis arenis concrevisse? nihilominus dicimus non repugnare alio quoq; modo ipsum generari: nam cum & sal fossilis in terræ visceribus reperiatur, & principia illa volatilia non desint, quid prohibet simul conjungi, suoque complexu salem amonium generare? Confirmat hanc opinionem Joannes Porta lib. 10. suæ magiæ cap. 2. ubi scribit fumum sulphuris in salem amonium coagulare, excepimus inquit, hunc in Phlegreis montibus & in salem coegimus, nihil ab orientali differentem superest ut de sale nitri illiusque generatione aliquid dicamus. hunc autem à nitro & illius spuma sive aphronitro differre. probat Matthiolus lib. 5. c. 89. in Dioscoridem. illud enim ex oriente ad nos deferri & nativum colligi juxta littus maris inter arenas Ægypti tradit Bellonius in suis observationibus. Ad salem nitri, de quo agimus, domesticum esse constat, & arte parari ex principiis in urina contentis quæ non nisi putrefacta urina & dissoluto jam mixto concurrunt ad illius generationem. quem postea nitrarij colligunt juxta modum à nobis supra dictũ, & à sordibus expurgatum in hexagonos cylindros crystallina perspicuitate nitentes coagulant. quod ferè hæc ratione consequantur, terram aut fimum,

 in qui-

in quibus urina diu computruit, collectam, in vasa reponunt, & aqua superfusa aliquandiu macerant, donec, quidquid inerat salis humiditate illius aquæ proliciatur, quæ propter admixtam salis substantiam salsa efficitur & nitrosa. postea verò in aheno percoctam, ubi tertia illius pars in vapores fuerit absumpta, in vasa lignea effundunt: in quibus ad latera & ad fundum concrescunt styriæ specie crystalli, sale nitri eo modo ab alio sale se separante. Exemptis autem inde styriis reliquam aquam dicta jam ratione evaporant, rursusque coagulant, donec non amplius sidant crystalli. Sal verò mineralis in aqua superstite manet. Ut verò sciamus quænam principia, & quomodo inter se complicata serviant huic salis generationi, necesse illius proprietates diligenter explicare. Hoc autem præ aliis salibus sibi proprium habet sal petræ, quod igne accendi & inflammari soleat, unde pulvis pyrius suam accipit compositionem ad ignes bellicos, & illa fulmina quæ manus humana ejaculatur. deinde ex sale nitri elicitur spiritus acidus & acutus, non tamen ita fortis ut metalla, maxime aurum solvere possit. at si spiritus ille abstrahatur à lixivio priusquam in styrias sal petræ coagulavit, efficitur valde acutus & corrosivus ut etiam aurum facile dissolvat. Habemus ergo ex his salem nitris substantialiter componi ex duplici sale minerali scilicet & amonio, & principiis sulphuris, constat enim nihil accendi & flagrare quod non sit de natura sulphuris. Et salem quidem amonium inesse urinæ prius est constitutum sicuti & alterum salem fixum, qui generatur tum ex eo sale quo cibos condimus, tum à rebus aliis salem in se habentibus. At de sulphure, unde adveniat urinæ, non dum constat. nam urinæ ipsum inesse nemo dubitat, nisi qui vel olfactu caret, vel nusquam urinæ odorem sulphureum naribus excepit.

Dico erpo sulphur hoc urinæ remotè ab alimentis proficisci, proximè verò ab exhalatione & fuliginibus partium internarum urinæ confusis. humidum enim radicale quod est oleosum & sulphureum à calore nativo assiduè depascitur, & partim quidem à corpore transpirat, partim in illum liquorẽ qui omnes à corpore sordes eluit, recipitur. licet enim post primã concoctionem sulphur fætidum ad intestina expurgetur: manet nihilominus in chylo nõ modo illa pars sulphuris balsamici nutritioni idonea, sed etiã excrementitia arcti'l ili cõjuncta,

quæ

quæ post longam digestionem primum segregatur. At quomodo illa tria principia salis fixi, salis volatilis, & sulphuris conveniant ad generationem salis nitri & in tot non unius naturæ principiorum confusione hæc sola, alijs prætermissis inita societate mixtum constituant, & cur sal nitri, dum coystallisat, à reliquo sale secedat, qui tamen eiusdem salis portionem in compositione suæ substantiæ accepit, cur non toti inviscatur, seque in totum commiscet? difficile quidem hæc nobis determinare, qui intuitiva rerum cognitione destituimur. & præterea quidnam erit talis compositio, quando diversæ naturæ in unum confluunt, atque ex ijs ita confusis & penitissimè, vinculoque insolubili implicatis oritur mixtum. quænam hic adest connexio, & unius ad alterum cohæsio? si enim ex eo, quod in atomos & exiguas particulas dissecatur, ea ratione miscentur, eveniet profectò ut partibus à se rursum dissociatis, facilè mixtum dissolvatur, quemadmodum si scobem ferri arenulasque ita commisceamus, adhibito magnete confestim has ab illis separari videbimus. Ita si mixtum in aqua proijciatur, particulæ ignis & aëris sursum evehentur, quibus digressis mixtum dissipabitur. non igitur sufficit ad mixti rationem partes eo modo confundi. an ergo necesse intervenire magnetismum, ut non modo misceantur sed etiam arctissimè se devinciant retineantque juxta illud, ***natura naturam trahit*** an principia quorum coitione mixtum resultat ipsa pariter miscentur? ita quidem ut unius essentia ingrediatur alterius subjectum atque in eo operetur, quo modo transplantari dicentur facereque simul quod nequaquam per se poterant, an haud necesse ita rem habere, verùm satis est si modo alterum ab altero pati & mutationem aliquam dicatur sustinere, quemadmodum si Mercurius à colcothare ascendat non jam fluidus sed specie pulveris crystallini, qui causticus venenatusque efficitur, propterea quod ex natura vitriolica spiritus acidos exsuxit, seque veluti quibusdam dentibus armavit, quod si de alio mercurio æquale pondus ipsi permisceatur eveniet repetitâ sublimatione, ut qui corrosivus ante fuit, ascendat dulcis efficiaturque salutaris & jucunda medicina, qua mercurius dulcificatur & Aquila cælestis dicitur à peritis, præterea aquâ ferventi eluitur illa aciditas, ipseq; mercurius ita reviviscit, aquâ verò evaporata spiritum exhibet vitriolicum

triolicum ipſum quoq; innoxium. Cum itaque ſpiritus colcotaris miſcetur mercurio, & ex utroque fit ſublimatum cauſticum & pernicioſum; unde aſcendit illa vis nocendi, nam neque mercurius per ſe neque ſpiritus vitriolicus noxam affert. an quia hic in mercurio, vel contra, mercurius in ſpiritu cauſat vim acrem & eroſivam, tametſi uterque illa careat? etenim cum ante fluidus eſſet, à ſpiritu conſtitiſſe & veluti coagulatum patet manifeſte. an idcirco corrodit, quia ſpiritus vitrioli ſiccus aſcendit, cum mercurio illiusque humiditatem epotat; unde beneficio communis liquoris quem uterque appetit, manent conjuncti, mercurius verò amiſsâ humiditate veluti ſiccescit. Et quia ſpiritus ſiccus obſtat diviſioni in partes minimas, nequit ſe induere per ſubtiles poros, quemadmodum facere ſolet mercurius, unde corporis particulas ſuo ingreſſu demolitur. vel etiam ea ratione quod humiditatis appetens à particulis ipſam exugat craſimque ita evertat. Verum de his ſubtilius agere non eſt huius loci. ſufficit, dũmodo ſciamus à principijs conſtitui mixtum pro varia habitudine & proportione diverſum; & mutari ſi vel unicum tale principium ſuo acceſſu vel abſceſſu mutet proportionem. Itaque ex urina quandoq; ſal nitri, quandoque ſal amonius ortum habet. non quod tota natura à ſe differant, ſed quod diverſâ habitudine principia ſe reſpiciant, deſitque uni quæ alteri adeſt principij natura. præterea huc facit progreſsio unius principij, quo nondum alterum pervenit. ita enim papilionem generare videmus, nequaquam bombycem vel erucam, unde nequeunt permiſceri principia omnia etiam unius naturæ ob anticipatum talem ejusmodi motum. Ex his quæ hucusque attulimus de natura urinæ ex partibus quas ipſi ineſſe oſtendimus apparet non malè Paracelſum definire urinam. *Salem ab ingeſto alimento ſegregatum.* Cum enim quocunque proportione naturæ in urina contentæ, inter ſe miſceantur, ſemper aliqua ſpecies ſalis exoriatur humiditas autem illa ſeroſa à ſalibus ſeparata nullas habeat vires, neque differat ab aqua elementari, ſitquè omnibus humoribus communis; oportet definitionem deſumere ab eo quod proprium in eſt illi rei. At inter alia excrementa corporis urina hoc habet peculiare & ſibi proprium, quod ſalem inutilem nutritioni ex alimento ortum contineat. quemadmodum fæces alvi, ſulphur fætidum,

dum, & halitus corporis, ſpiritus mercuriales. Poterit & in hunc modum definiri urina, nè nimium à recepta definitione recedere videamur, quod ſit *Excrementum ſpecie ſeri à corpore effluens in corpore genitum ex partibus aqueis alimenti & ſubſtantia naturæ ſalinæ & tartareæ illa humiditate diſſolutæ.* Hæc de natura urinæ in genere dicta ſufficiant. Jam ad illius differentias accedamus, quæ deſumuntur vel ab his quæ intrinſecè inſunt urinæ, vel ab externis, qualia ſexus, ætas, cauſæ, effectus, modus exercendi &c. prioris generis ſunt ipſa ſubſtantia ſive chymoſis, & conſiſtentia urinæ, qualitas, quātitas & contenta. de quibus omnibus ordine agemus ſingulorum cauſas & ortum explicando. quàm verò unum quodque ex his vim habeat in morbis ſive præſentibus ſive futuris ſignificandis poſtea ſubjiciemus. Quod attinet ſubſtantiam urinæ ab ea talis differentia communiter ab omnibus ſolet deſumi, ut alia craſſa alia tenuis, & quæ ab utraq; æqualiter recedit, mediocris vocetur. Non eſt verò idem craſſum & opacum, ſicuti neque tenue & perſpicuum: poteſt enim aliquit eſſe craſſum & ſimul transparere, ut videmus in vitro, cornu, cryſtallo, lapide ſpeculari & gemmis translucentibus. è contra, nebulæ, fumi, halitus &c. tenues cùm ſint ſua tamen opacitate ſpeciebus atque luci ad ſenſum iter negant. Eſt igitur craſſa urina, ſive ſit turbida ſive tranſparens, quæ nequit dividi in partes ſubtiles tametſi enim mathematicè ratione quantitatis infinite ſit partibile tam craſſum quàm tenue, non tamen phyſicè, ſed aliud alio magis vel minus, unde quod magis eſt diviſibile quia minores ab eo particulæ abſiſtunt, facilè per exiguos meatus ſe poterit inſinuare, erit itaque craſſum, quod, cæteris paribus, difficulter pertranſit ſubtiles proros. Unde verò habeat urina quod aliquando craſſa aliquando tenuis efficiatur, non eadem omnium eſt ſententia. Alij enim à defectu concoctionis tenuitatem urinæ deducunt. alij ex obſtructione in venis facta; unde ob illas anguſtias percolatam ita extenuari. alii à renū debilitate, qui nequeant niſi quod tenue ineſt, ad ſe trahere, relictâ parte craſſiori, vel licet attrahant urinam quoquè craſſam, non tamen emittere à ſe talem propterea quòd partes craſſæ expulſioni contumaces ibidē hæreant, partibus tenuibus motui obſequentibus. Alij ad aquæ potum: alij ad frigiditatem ſe recipiunt, tanquam proprias cauſas talis affectus. Verùm

nemo ex illis omnibus videtur explicare quâ ratione unumquodque ex his urinam crassam vel tenuem efficiat, an per se, an verò per accidens. neque enim connexio per se nota esse videtur tenuitatis cum imbecilla concoctione, vel cum rerum debilitate, vel frigiditate, aquæ potu & obstructione. nam quod attinet concoctionem, tametsi plura per ipsam fiant crassiora, non tamen hoc in omnibus similiter contingit, aqua enim pura sine admixtione alicujus substantiæ, nequè magis crassa, neque magis tenuis efficitur, tametsi ad ultimam consumptionem decoquatur. Quòd si itaque urina sit aquosum excrementum, prout ipsi ponunt, non efficietur excessu illius concoctionis magis crassum. Qui verò dicunt ex aliqua obstructione urinam magis tenuem fluere, neque hi expediunt difficultatem: oportet enim declarare an alicubi in venis, priusquam ingrediatur angustias viæ illius fuerit crassa, & tum demum illa percolatione attenuatam, relicto strigmento in illis angustiis talem effluere, an protinus ganita talis extitit: & si ita, non dicetur tenuis ex illa obstructione, etenim talis flueret nulla existente in venis obstructione: si prius dicent, possibile quidem crassum à tenui eo modo separari, quemadmodum Nili aqua turbida cum sit ex limo admixto, per figlina transcolata, pura atque tenuis efficitur, relictâ materiâ limosâ in Angustiis osculororum. An verò ita se res habeat cum urina, ipsi haud probant. oporteret enim partes urinæ facilè ab ea separabiles esse. monstrent igitur nobis, urinam ita foris colantes, partes illius grassas à tenuibus separari & in colatorio hærere. quòd si nequeunt ex omni urina facilè ejusmodi partes segregare solà colatione, ratio reddenda cur hæ facilè, illæ minus queant separari. Qui verò ad imbecillitatem renum cõfugiunt, ex eo refelluntur, quod, esto demus quandoque evenire ex debilitate renum vel non attrahi, vel non excerni urinam nisi tenuẽ: non tamen hoc dici potest de omni urina. cum enim alternatim, modo crassa, modo tenuis fluat, idque brevissimo temporis spatio, quis credat toties mutari renum affectus? idem de frigore & aquæ potu facile erit probare. *Alia opinio est Argentorij* qui dicit omnem urinam suâpte naturâ esse tenuem; & cùm sit aquosa, non posse solâ concoctione crassescere, verum talem fieri ex admixtione humorum.

Itaque

Itaque in principio morbi, eo adhuc crudo exiſtente, urinas tenues reddi idcirco affirmat, quod expurgationes humorum & excrementi non fiunt, niſi peractis concoctionibus. Eſt igitur concoctio quaſi mediata cauſa ſpiſſitudinis & craſsiciei urinæ. Verùm neque hæc opinio planè conſonat veritati. nam cùm dicit urinam per ſe tenuem incraſſari ab excrementis; non explicat in quibus locis fiat permixtio talis excrementi cum urina, & cùm per excrementa intelligat bilem, pituitam, & melancholiam, quæ in hepate dicuntur generari, vel protinus unius pluriumve humorum pars miſcetur urinæ, unde craſſa vel mediocris efficiatur. vel non hic ſed alibi ſive in vena cava, ſive aliis ultra hepar ſitis locis, poſteaquam tenuis eò acceſsit, recipiet aliquē ex prædictis humoribus, unde craſsiciem acquirat, & hoc vel ſemper ita fit, vel ſolum in morbis. Si dicas nec dum in hepate eſſe permixtam, verùm ad huc tenuem, erit neceſſe pituitam aut bilem ſive pallidam ſive atram in venis naturaliter, conſiſtere, unde urina adipiſcitur ſoliditatem: aut certè urinæ ſanorum erunt aquoſæ & tenues non exiſtente in venis tali humore, à quo illi craſsities accedere ſolet. ipſa verò ponitur eouſque tenuis appellare neque per ſolam concoctionem poſſe incraſſari. quod ſi dicas, quando in hepate fit ſeparatio humorum, melancholiam quidem ad lienem, bilem verò citrinam ad folliculum cholodochum notis itineribus deferri, nihilominus tenuiores utriusq́ue partes in urina ſolvi, & ipſi tum colorem tum chymoſim conciliare, ſequitur, ſi morbus ſit in parte aliqua ultra hepatis regionem, ſive in vena cava, aut alijs minoribus, ſive in aliquo viſcere, urinam etiam morbo, crudo exiſtentem non tenuem, ſed corpulentam & tinctam eſſe debere. licet enim materia illius morbi nec dum ſit concocta, ac proinde nihil de ea miſceri poſsit urinæ, quia tamen craſsitiem in hepate à genitis in eo humoribus dicitur accepiſſe, non poterit eſſe tenuis vel aquoſa. quod ſi dicas aliā eſſe rationem in ſanis, aliam verò in ægris: nam in illis quidem urinam accipere conſtitutionem ex humoribus in hepate ſeparatis: at in morbo non ſeparari à ſanguine humores: unde urina tenuis perſeverat, donec concocta morbi materia incipiat ſecerni atq́ue urinæ miſceri; unde ex tali urina apparente, certiſsima concoctionis ſigna habentur. at ſi ita, neceſſe ſanguinem qui tum venit ab hepate non

differre à chylo, nam sanguinis generatio non fit per mutationem substantiæ, sed per separationem partium heterogenearum, quemadmodum in caseo se res habet, constat enim ratio lactis quousque non separetur à sero caseus: ita quoque natura chyli manet quousque humores inter se cohærent. præterea si materia cruda rapitur in venas quæ postea concoqui dicatur, admittenda erit concoctio in venis, ob quam Argent. Actuarium repræhendebat. quid autem hic sit dicendum, patet ex superius à nobis facto discursu, cum de ortu urinæ ageremus. nam cum urina in se habeat, præter aqueam humiditatem, sales quoque & materias tartareas, atque sulphureas exhalationes, & quicquid inutile erat in venis ad nutritionem: ex his quoque tenuitatem & crassitiem deduci par est. Et cum urina tenuissima sit illa, quæ ad naturam aquæ proximè accedit, talis erit quæ nihil aut parũ accepit illius excrementi. videmus enim aquam cui parum inest salis aut alterius substantia in ea solubilis, tenuem esse: aquam verò marinam, aut muriam ob copiam salis admixti grassam. Differt autem hæc nostra sententia ab opinione Argenterij, quia ille ex solis humoribus deducit crassitiem urinæ, videlicet à bile, pituita, & melancholia. nos verò quia in examine, urinæ & illius artificiosa anatomia nullam bilem neque pituitam introspeximus, neque ipsi tale quid in ea contineri nobis demonstrarunt. ab his crassitiem urinæ deducere figmento simile reputamus. licet enim demus in sanguinis generatione illud, quod tanquam spuma innatat bilem rectè dici, & fœculentam limosamque substantiam, melancholiam appellari, illam denique sanguinis portionem, quæ nec dum perfecte sit elaborata, pituitam: non tamen sequitur in ulteriore sanguinis elaboratione si quid secernitur, continuò ad aliquem ex recensitis humoribus esse revocandum. Exemplum enim vini, quod ipsi afferunt, ad demonstrandam humorum generationem, si modo cognoscere ipsam, quam potare malint hanc veritatem luculenter ipsos docebit. Cum enim vinum depositâ spumâ deferbuit, fæculentiamque omnem deposuit, & ad fundum depressit, tametsi jam purum & defæcatum, ab insito tamen calore ulterius, elaboretur, atque temporis progressu ad latera vasis à se reijcit aliud excrementum, quod ibi concrescens tartarum dicitur. quis vero dicet tartarum idem esse cum fæce turbulenta aut

florida

florida ſpuma ? pari modo in ſanguine jam defæcato , tametſi fæcem melancholiæ & biloſam ſpumam à ſe rejecit : habet nihilo , minus in ſe alias naturas quæ quod arctius ipſi cohærent non ita facile queunt ſeparari: ex qua poſtea ortum habent morbi tartarei & ſalini vocati. Etenim cum ſanguis extra ſuum locum putreſcit, neque ſemper idem morbi genus afferre , neque eadem ſymptomata inſeparabiliter connexa habere ſolet : quia nimirum ſubſtantia ſalina & tartarea , quæ in tali ſanguine continetur , magnam differentiam & varietatem ſubit , pro diverſa earum rerum , ex quibus coaluit natura. quæ in illa ſanguinis diſſolutione ſuas demum vires exerunt. itaque neque ipſi ſufficere arbitrantur, ſi tum dicant ex putreſcente ſanguine ortum habere talem morbum : verum inſuper addunt hunc quidem ex pura putredine , illum malignitati aut venenatæ qualitati coniuncta proficiſci. ſed quid nam ſit illa malignitas aut qualitas venenata dicere nequeunt: Satis enim habent ſi dicant occultum quid eſſe & inexplicabile , vel ab indicibili & inſolita quadam temperie derivari. At ſi ad cognoſcendas ſalium naturas& varias proprietates animum appuliſſent, nequaquam neceſſe fuiſſet ad occultas aut malignas indicibilesq; cõfugere qualitates. quia enim ſales alij dulces & fatui , alij acres & cauſtici , alij ſaudara cales ochrales , napellini , helloborini &c. in ſanguine occultantur : hinc varia ſymptomata in morbi procreatione ab illis explicantur. atque interdum ex ſanguine putreſcente ob ſales mites & innoxios lenis & exigua oritur noxa. interdum ulcera phagæ denica & çacoethea ob ſales arſenicales corporis ſubſtantiam latè populantur. nihil autem refert ſive dicamus eandem ſpeciem participare cum illis rebus,quarum nominibus inſigniuntur , ita ut in arſenico & ulcere cancroſo eadem eſſentia ſalis corroſivi ineſſe dicatur, ſive ob analogiam ita dici malis quemadmodum urticam marinam ob ſimilitudinem ita dictam , quod ex utriusque attactu ſimilis uredo manibus inferatur. ita cum eadem ſymptomata inquibusdam morbis adeſſe conſpicimus , qualia inferre ſolet ſandaraca , ochra, arſenicum &c. materiam illam quæ talem morbum concitavit , arſenicalem vel de natura ochræ dicere haud dubitamus, per hæc enim nomina exprimitur tum natura talis morbi, tum habitudo ad curationem & remedia curativa, atqui bilem aut pituitam aut melancholiam

dicit, nihil certi deſignat. etenim divapis illa quæ eſt in bile per ſuam tincturam, neque ſufficit propterea bilioſum dici, quod in eo effervescentia caloris percipitur, pituitoſum, in quo frigiditas dominatur, erit enim neceſſe ea ratione omnes res mundi ſublunaris ad aliquem ex dictis humoribus revocare, atque ita ſinapi, mel, piper, naſturtium, cardamomum, pyretrum, omniaque exceſſu calida dicentur bilis. pituita verò, nymphæa violæ, lactuca, papaver, lenticula, ſolanum, nix inſuper, pruina, & aquæ genus omne: quibus quid magis abſurdum cogitari poteſt? Etſi verò impuritates inter ſe confuſæ ſpeciem exhibent alicujus humoris albi, pallidi, flavi, lutei, viridis, praſini, æruginoſi, atri, ut propter illam externam ſpeciem comune nomen attribui poſſit: non tamen in arte curativa talium nominum uſus eſſe debet: cum non illi externæ ſpeciei verum ipſis rebus in ea occultatis occurrere & mederi debemus. non itaquè ſatis ita dicere, morbum effeciſſe humorem album aut pituitoſum propterea quod ſub illa ſpecie humoris infinitæ impuritates deliteſcant à ſe plurimum & natura & agendi poteſtate differentes. quemadmodum res minerales metalla, gemmæ, lapides omnia vegetabilia, radices, folia, flores, cortices, gummi, reſinæ, in pulverem teri poſſunt: neque tamen ſatis feciſſe videtur ſi quis dicat hunc illumve ab aſſumpto pulvere confeſtim interiiſſe: alium ad inſaniam redactum, vel aliquo gravi ſymptomate periculosè affectum. Continuò enim quæret ex eo qui mederi volet, de natura illius pulveris, non cujus fuerit coloris, albi an viridis, ſed ex quibus rebus concinnatus, an ex familia plantarum, mineraliumve &c. an animalium, nequè hoc ſatis: verùm an napellus, aconitum, ſcamarea, helleborum, colocintis, an potius ſandaraca arſenicum, mercurius, antimonium. an verò cantarides, bupreſtis, cerebrum felis, pulmo vel lepus marinus, an ſanguis tauri, aut mulieris menſtruatæ &c. multum enim refert ad medicationem hoc an illud fuerit morbi cauſa exploratum habere. Pari modo cum dicunt pituitam intuliſſe hunc illumve affectum, addere oportet, qualis naturæ ſit illa pituita, an videlicet in ſe habeat tincturas acres, ponticas, acerbas, ſtipticas, ſalſuginoſas, acidas, amaras, ſulphureas, bituminoſas &c. quæ plurimum à ſe differunt, non illo figmento ex primarum qualitatum combinatione, quod jam pridem exploſit Hipp. in lib. de

veteri

veteri medicina, non est, inquit ille, calidum nec frigidum, nec humidum nec siccum, quod hominem lædit: sed illud quod humana natura est potentius, quod multis argumentis ibidem probat. Ipsi verò quia illæ qualitates comites sunt rebus in quibus occulta radix hæc omnia operatur, omissa radice caliditati & frigiditati omnes effectus à natura illarũ qualitatum tantopere abhorrentes turpi errore attribuerunt. Vident nihilominus rem interdum minus calidam mediocrem afferre noxam, quam aliam multo calidiorem. propterea nimirum quod tinctura radicalis, in hac magis, in illa minus pollet. Calor enim febrilis sæpe levior percipitur, quam qui labore, æstu, balneo contrahitur. non ergo febris malum quia calor sed quia impuritas adest humanâ naturâ potentior, à qua non modo calor sed & frigus & alia symptomata longè magis pernitiosa ortum habent. Et verò si contingit actiones lædi ob solam intemperiem, remedium erit ex eo, quod contraria temperie sit affectum, quid igitur otiosè specificas sectantur vires, & inter res simili modo temperatas hanc quidem seligunt tanquam ad curationem idoneam alijs improbatis. non minus enim ab his curatio erat expectanda, si verum habent illorum suppositiones, quod cum minimè fiat, vanitas opinionis ex eo demonstratur, quia sæpe illa remedia quæ prorsus abhorrent ab indicationibus & quæ perniciem allatura videbantur, saluti fuére ægro. Itaque ab Empyricis felicitate curationis non raro superantur vano illo metu ab usu medicamenti perniciosi, ut illis videtur, ne contra suas hypotheses agere videantur, abstinentes potius, quam morbum non ex arte curantes. Hic tamen aliquæ obiectiones quæ videntur non nullam afferre difficultatem, expediendæ.

Imprimis verò obijci potest, cum tot dicantur impuritates specie à se differentes latitare sub illa externa signatura humoris albi, lutei, atri &c. non posse uno aliquo medicamento excerni simul omnes impuritates in tali mixto contentas, sed illud tantum quod cum aganico v. g. aut rhabarbaro habet similitudinem & conspirationem ab alijs vi medicamenti secretum, amores suos sequi debere; quemadmodum si quis scobem ferri, argenti, auri, plumbi commisceat, admoto magnete, non plumbum, neque argentum vel aurum loco moveri: sed solum particulas ferri ad magnetem assilire videbit: at cum

univer-

universa pituita quotcunque tales dicas habere impuritates ab uno aliquo medicamento, quod vim habeat ducendi pituitam attrahi soleat morbi verò ex ea orti curari, inutilis erit ad medicationem speculatio talium impuritatum, si non etiam imposibilis. quis enim erit tam Lynceus qui in illa confusione tot impuritatum singulas dispicere & dijudicare norit ? & cum medicamentum phlegmagogum non nisi pituitam alliciat alijs humoribus prætermissis, si tot specie differentes naturæ latent in uno pituita, cur non etiam alios humores ad se trahit ? non enim verisimile omnes pituitæ impuritates cum agarico similitudinem habere, quod si ergo in hac dissimile trahit, cur non idem in alijs humoribus facit ? vana est ergo illa distinctio impuritatum, siquidem omnes continentur in aliqua specie humorum à Galeno traditorum, humores verò à certis & sibi dicatis pharmacis expurgentur.

Ad hæc respondemus, excrementa atque impuritates utpote à natura partium dissentaneas à corpore expelli. non enim potest inquit Hipp. lib. 1. de diæta, id quod non similis habet mores in discordibus locis, permanere. oberrant enim velut ignota: permixta verò inter se, cognoscuntur. concors enim concordi adhæret, & asidet, discordia autem rebellant & pugnant atque inter se diffident. Cum itaque tot impuritatum semina conveniunt uno aliquo loco, inter se miscentur, atque illa confusione speciem exhibent alicujus humoris hoc illove modo constituti; alias quidem colore pituitæ, alias bilis aut melancholiæ. neque tamen ob externam illam signaturam afficitur idoneus salis humor certo aliquo genere medicamenti expugnari; verùm ob interius reconditam naturam, quæ cum certo aliquo medicamento habet conspirationem, attrahi contingit; quod si enim humor, quicunque refert speciem pituitæ à medicamento phlegmagogo duci potest, quid est quod tot Pamlyses Apoplexiæ, Epilepsiæ Cachexiæ incurabiles deplorantur ? quænam hic accusabitur pituita adeò refractaria, quam neque Agaricus, neque formidolosa Turbith, neque Euphorbius ignis, liquare atque educere potest ? an non genus omne febrium tertianarum soboles est humoris bilosi ? cur igitur in his curandis Galenici tam sunt plumbei ? quid ægros juvat quod ipsi vates quàm medici esse malunt hanc quidem febrim quartum, illam septimum

mum aut decimum quartum circuitum attingere debere prædicentes, atque ita gloriam præpostera curatione amissam recuperare sperantes. At cur ipsi hostem impunè grassari patiuntur neque protinus jugulant. Quod si enim bilis exæstuat oportet tot syrupis & refrigerijs ipsam mitigari, & si nihil confert rhabarbarum, at certè scamoneæ turbulentia ipsius proterviam cohiberi. Taceo quartanas atque hydropes, quæ si quando curantur, inter portenta curationum solent referri. Præterea si externa humoris signatura facit ad purgationem, quid est quod non unus, sed plures quandoque humores ab uno medicamento purgantur? nam rhabarbarum v. g. non modo bilem sed etiam pituitam dicitur vacuare, & idem in agarico & alijs medicamentis licet experiri: neque tamen bilis cum pituita convenit externa specie. Igitur in bile & in pituita inesse oportet aliquid commune quod convenientiam habeat cum rhabarbaro vel agarico. Et cui plus inest talis naturæ continget ipsum prius educi à medicamendo, non verò, prout absurdè aliqui opinantur, dicentes r primo quidem sui generis humorem attrahere medicamnntū, inde eum qui magis sit idoneus & fluxilis; nam si ita, cur in hydrope, neque rhabarbarum neque agaricus neque senna allicit serosam humiditatem? quod verò dicunt in nostra sententia non oportere totum humorem trahi, sed illius tantum portiones, quæ convenientiam habent cum tali medicamento, exemplo Magnetis, qui neque plumbum neque argentum trahat sed solum particulas ferri: dicimus accidere propter fortem mixtionem ut aliæ quoq; impuritates consequenter trahantur, unde nihil huc facit similitudo magnetis. non enim particulæ plumbi aut argenti cum ferro habent colligationem, sicuti illæ impuritates cum aliqua tali natura, quæ per se trahitur à medicamento, uniuntur atq; ob illam unionem à se nequeunt tam facilè divelli. nam & rubigo & sordes ferro adhærescentes pariter cum ferro moventur ad magnetē. quid quod neq; ferrum ratione totius substantiæ ita moveatur, sed vi alicujus in eo delitescentis naturæ, quam periti norunt quoque separare, eaque vires magnetis mirum in modum augere. Eadem ratione neque magnes tota sua natura ferri est tractivus, sed vi unius naturæ à corpore magnetico separabilis, qua vitrum, gemmæ, metalla dicuntur posse animari, ut non minus quàm ipse magnes ferrum attrahere

valeant. Igitur optimè nos, ipsi verò nequaquam tueri possunt de humoribus doctrinam, quibus experientia refragatur, neque enim omnem pituitam à quolibet illius generis medicamento duci constat: quia nimirum in tali pituita non continetur talis natura quæ ab illo medicamento appetatur. Si verò juxta nostram opinionem ejusmodi exhibeamus medicamentum quod cum aliqua impuritate à nobis cognita convenientiam habet protinus & illam, & alias ipsi unitas vi connexionis à corpore exturbari videbimus. Neque objiciant nobis, qua ipsi laborant, ignorantiam, non enim necesse omnes impuritates in aliquo mixto confusas nosse & distinguere, sed aliquas tantum: quarum signaturæ & proprietates minimè latent peritos. quia verò talis natura quæ confluentiam habet cum agarico aut rhabarbaro potest inesse & bili & pituita, quid mirum utramque vacuari communi medicamento. magis autem trahitur ille humor in quo plurimum inest talis naturæ. Opinionem nostram confirmant ea quæ affert Hipp. in libro de natura humana, medicamentum inquit, cum corpus fuerit ingressum, primum sane id quod omnium maximè sibi natura respondet atque simile est, deducit, deinde alia quoque trahit & purgat, quemadmodum semina & stirpes terram ubi subierint, id quod interra secundum ipsorum naturā est, sibi attrahunt, sive acidum sive dulce sive amarum sive salsum, sive aliud quidpiam diversum. Primum igitur ejus, quod sibi naturali similitudine conjunctum est plurimum arripiunt, tum cætera deinceps attrahunt. Talem quoque modum in corpore servant medicamenta. Etenim quæ bilem movent, primùm hanc meracissimam purgant, deinde mixtam. quia videlicet in bile exquisita multum inest convenientiæ cum eo medicamento, minus in altera: quæ tamen, ut & ipsa trahi possit, oportet medicamentum illa digestione exaltari. Dices si mora in corpore auget vires medicamenti, sequitur ipsum nunquam desistere, ubi semel cepit purgare, quod est absurdum. Resp. medicamenta habere certos gradus virtutis, neque illud quod est summum, posse transilire. deinde cum attrahitur talis humor ad ipsum medicamentum, miscentur invicem atque ex illa mistione utroque alterato novum oritur mixtum. Adverte hic proportionem esse debere inter medicamenta & humores evacuandos; itaque si ponamus in corpore adesse humoris biliosi lib. 1. pi-

tuitæ

tuitæ lib. 5. huic vero rhabarba. ʒ. ʒ. iij. exhibeant. ſuppoſito ʒ. I. ad ʒ vi. poſſe vacuare. cum itaque a tribus ʒ una libra bilis fuerit evacuata, quia necdum virtus illa tractiva eſt exaratura, reſtat enim l. 5. de pituita reliquum attrahet, donec illius affluxu fracta nullas jam habeat vires. quod ſi nullus eſſet in corpore humor excrementitius, vel minor illius copia quam quæ expleat ſamem talis medicamenti neceſſario corpus liquaret, indeq; cũ non levi illius ruinaexurgeret pabulũ conveniens. Dictũ enim eſt ab extra venire cũ alimento tales ſubſtantias, quarũ aliæ cum bile & rhab. aliæ cũ pituita & agarico, aliæ cũ aliis humoribus atque medicamentis habent conſpirationem. & dum vi à corpore avelluntur, contingit alias quoque naturas vinculo aſſociatas divelli & ſeparari. Videant igitur humoriſtæ quid agant, cum omne morbi genus in quibus ſæpe nihil minus quàm humor adeſt purgantibus medicamentis aggrediuntur. Et licet quandoque ejusmodi ſentina corpus gravet, non tamen quidquam proficiunt in ſtabulo Augiæ purgando, tametſi non deſinunt aſſiduè inteſtina fatigare, innoxiumq; ventriculum intempeſtivis potionibus inundare. Hæret incluibile malum, & velut Marpeſia cautes invictum tantiſper, donec periodum naturæ legibus debitam abſolvens, ſponte tum deſinat. At miſeri ægri hunc fructum referunt infelicis curæ, quod violentia tot pharmacorum vitalis & balſamici liquoris jacturam faciant, magisque ſpatio tridui lædantur ab aſſumptis veneni, squàm ſi triennali morbo fuiſſent infeſtati. unde pro roſeo & juvenili colore pallidum, pro facie plena Hippocraticã, veſani erroris triſte monumentũ, in alienã ſervant cautelã. Quæres, unde tanta colorũ varietas proveniat? Reſpondeo interdum in quibusdam locis diu hærere tales humores & eiusmodi colores recipere non quidem à partium natura, ſed ab interno & ſeminali humorum principio, partem verò corporis eſſe veluti forum ſive vas chymicum, in quo vitalia humorum principia temperato calore adiuta ſuas divitias & occultas explicant tincturas non ſola colorum varietate diſtinctas: ſed etiam amaritudinis, aciditatis, ſtipticitatis, acrimoniæ, ſalſedinis, aliarumque ſenſibilium qualitatum numeroſa propagine inſignitas. vaniſsium enim exiſtimare à certis gradibus vel exceſsibus primarum qualitatum ſive ſalſedinem, prout à nobis fuit oſtenſum, ſive aciditatem poſſe oriri. quod ſi enim deeſt princi-

pium radicale salsedinis vel aciditatis, frustra salem elicere, frustra acetum inde habere molieris, quocunque adhibito caloris aut frigoris adiumento. Non tamen inficias imus certos calori gradus velut conditionem se habere ad principiorum effectus. videmus enim mel & alia complura amarescere longa coctura & effervescentia caloris. propterea ut agant principia non idem caloris gradus omnibus potest convenire. Alio modo efflorescit color ex diversa humorum mixtione, quemadmodum si auripigmento indicum permisceres, ex flavi enim & cærulei miscela grata viriditas exurgit. tertia causa esse videtur ipsum medicamentum, quod varijs coloribus solet inficere humores à se evacuatos, quod si enim crocus & rhabarbarum citrino colore urinas tingunt; quid ni major portio illius tincturæ in intestinis excrementa colorare queat? huius quoque sententiæ esse videtur Fernel. lib. 5. meth. c. 4. cum dicit onicum & agaricum tota substantia esse pituitosa, atque in pituitam degenerare. Ex quo sequitur sæpe falli stercorum inspectores, qui solos colores in judicium vocant. si enim quod viride aut cæruleum deijci vident, protinus bilem esse clamitant, & omnium ream prædicant damnantque. At verò hanc amaram esse oportet, quod non oculis sed lingua licet explorare. quod illis demum expertis libenter assensum dabimus, ne idem experimentum sequi cogamur. Interea verò cum experientia neutri faveat, pro nobis verò ratio stare videatur, illi, donec contrarium probent, adhærebimus. sed hæc sufficiant adversus eos qui omnia ex humoribus effingunt, ex occasione huc attulisse. nunc eo redeamus unde nostra oratio est digressa, quando nihil obstare dicebamus eandem speciem subijcere illis naturis quæ morborum causæ efficiuntur, & rebus quarum nominibus exprimi solent. quod inde erit manifestum. homo enim vescitur animalibus indifferenter atque etiam vegetabilibus animalia autem herbas & terræ nascentia. depascuntur. at vegetabilia è terræ visceribus succos minerales alliciunt & exugunt indeque corporis habent augmentum.

Alibi verò à nobis est ostensum non interire omnes substantias in alimento contentas, cum vel in chylum vel inde in sanguinem mutantur. quin etiam in corpore ex ijs nutrito asservari multis exemplis planum effecimus. quod verò in vegetabilibus natura mineralium & succo-

ſuccorum, quibus nutriuntur, proprietas inſit, mille exemplis oſtendi poteſt, ex quibus ſolam vitem pro exemplo deligimus. Igitur cum una tantum ſpecies vitis & ea quidem ſilveſtris à Deo ſit creata, artificioſa plantatione, tot genera & differentias ex ſe protulit, ut numerum inire non ſit poſsibile. in alium enim agrum translata, non jam idem ſed longe diverſum vinum promit, ut non immerito dicat Plinius tot genera eſſe vini quot agros. quæ varietas nulla ratione ſuſtineri poteſt, niſi ad diverſas ſubſtantias illarum rerum, quibus vites nutriuntur, recurramus, quæ cum eſſentia vini ex ſe immutabili initâ ſocietate aliud atque aliud mixtum, pro diverſa habitudine conſtituunt. Quod ſi enim quis negat à peregrinis illis tincturis vinum tranſplantari, atque ea ratione diverſa operari: neceſſe habet explicare quibus viribus apud Heracliam in Arcadia mulieres infæcundas, viros efficit rabioſos, aut vinum Trazenium potum utriſq; ſterilitatem adducit. In Achaja circa Coryniam abortum facit. præterea in Thaſo duo genera eſſe dicuntur quorum alterum ſomnum abigit, alterum verò accerſit. in Lycia vites alvum cohibent, eandem Aegyptiacum ſolvit. quin & medicatæ & theriacales eſſe dicuntur vites. quæ certè omnia nequeunt proficiſci ab una aliqua ſpecie, neque à diverſa illius temperatura. Etenim cum tantopere differant actiones, habeantq; contrarios effectus neceſſe illa principia, à quibus oriuntur differre, differunt itaq; temperamenta, & cū ſint contraria nō poſſunt uni ſpeciei convenire. erit igitur vel utrumque vel alterum ex illis præter naturam, atque ita violentum neque durabile, atque vites in eodem agro ſatæ per multas ætates iisdem viribus præditæ perennant. durat igitur idem temperamentum, & cum neque à ſe neque ab illa ſubſtantia, cui adeſt præter naturam, conſervetur, conſervabitur ab alia ſubſtantia illi permiſta. Sed & ars quæ naturam imitatur, opinionem confirmat Eadem enim quæ ſponte ſuâ è terræ ſinu inuſitatis, modis proveniunt ars æmulatur infallibili ſucceſſu, & non modo vites, verùm alias quoq; plantas novis viribus exornat, & quaſi in novas leges moresque peregrinos cogit. At verò hoc non facit mutando temperamenta, quæ ſæpe ignoramus, ſed tales ſubſtantias aſſociando & permiſcendo à quibus ſperatos effectus tum experientia, tum analogiſmo ſcimus proficiſci. Itaque vinum phtericum ſive partum

tum enecans efficitur, teste Joanne Porta, succo hellebori, aut scamoneæ aut e laterio vite potata. eadem ratione nō modo vites sed etiam ficus & cucurbitas & aliarum arborum fructus viribus medicatis imbuimus per commixtionem cum alimento arboreo talis naturæ, cujus vires in eo fructu volumus imitari, de quibus vide Plinium, Baptistam Portam, & alios agriculturæ scriptores. Efficacissimum profectò argumentum, quod, positâ hac hypothesi, nimirum per commixtionem plurium specierum & novas plantas, & peregrinas atque medicatos fructus oriri: analogismos omnes experientia infallibilis sequatur. at si temperamentum in causa esse dicatur, nequicquam, mutatis temperamentis effectus præstolaberis. Cum itaque substantia sive crassities urinæ oriatur ex admixtione illarum rerum quæ ex chylo & sanguine à natura separantur tanquam inutiles & non idoneæ ad corpus alendum: crassa erit urina quæ multum accepit talis substantiæ. hoc autem dupliciter potest intelligi, vel quia protinus accepit illam materiæ copiam, vel quod mediocris existens, fervore caloris absumptâ humiditate, crassa evasit, sive enim multum salis, aquâ diluas, sive exiguam tantùm illius portionem semper efficitur crassa tam hæc quàm illa, cum jam major adsit proportio salis ad aquam, in illa quidem protinus, in hac verò, ubi sustuleris illum excessum, evaporatione. quia verò illa substantia, unde corpulentiam deducimꝰ urinæ, differt inæquali partium crassitie & tenuitate, quod non omnis æqualiter atteri & in partes minimas dissolvi queat: different illius ratione urinæ, ut ea crassior dicatur, quæ substantiam accepit minus solubilem & partes magis grassas habentem. Cur verò urina inæqualiter, modo crassa, modo tenuis excernatur, hujus rei causam nunc inquiramus. Opinio est Argenterij, in principio quidem morbi omnia esse cruda, neque quidquam à natura expelli, quod crassitiem dare possit urinæ, ac proinde tenuissimam tunc esse. & licet aliquando eveniat, ut talis materia vigente concoctione tum generetur, quia tamen aliò quàm ad vias urinæ illa avertitur, urinas destitui crassamento, quemadmodū in pleuritide, podagra aliisque morbis qui vim habent attrahendi tales materias ad partem corporis affectam. Quod si quandoq; etiam tum crassæ apparent, indicare magnam copiam subesse humorum, quam neq; retinere potest natura, neque elaborare. Interdum idem evenire cum

facile

facile humores à natura separantur: quemadmodum in principio febrium tertianarum urinæ crassæ & rubicundæ apparent ex assumpta bilis crassescentis portione: & in morbis pituitosis crassissimæ ob admixtam pituitam. Præterea dicit idē urinas crassas quæ morbo increscente tales perseverant, ortū habere ex humorū mutatione nō illorū tamē qui oriuntur ex cōcoctione materiæ morbificæ, propterea quod in principio morbi nulla talis concoctio esse possit. Verū illud expelli cū urinæ ab aggravata natura: & si diu tales persistant, oppressionem naturæ significare. Alias urinas primò tenues, inde crassas, postea iterū tenues mingi docet, quia primò nihil excernitur ob cruditatē, deinde cum jam incipit concoctio, adest quoque excrementum, atq; urinæ miscetur, quo absumpto, illius defectu urinæ rursum attenuantur. Econtra fieri, ut urinæ primò crassæ postea tenues atque iterum crassæ, ad extremum tenues fiant. cuius rationem assignat, quia, inquit, natura ab initio non potest materiam universam sibi subijcere unde excretio contingit ante concoctionem, vacuatâ autem portione quæ oneri erat naturæ, aggreditur reliqui humoris concoctionē, unde tenues reddi accidit, donec humoribus concoctis crassescant & illis demum absumptis extenuentur. Aliquando tamen non quia natura à multitudine humorum gravetur, sed quia facilè concocti urinæ misceantur, ubi à principio crassæ reddi ceptæ, tales usqne ad crisim vel morbi solutionem permanent: quemadmodum in febribus sanguineis & biliosis licet videre. Interdum etiam contingere in prædictis morbis, primis quidem diebus rubras & crassiusculas emitti, in augmento attenuari. propterea quod bilis non tantum ea portio quæ concoquitur, sed alia quoque urinæ miscetur, donec absumptâ illius copiâ, non, nisi ea quæ concoquitur, supersit.

Hæc quidem Argenterius, inquibus & si majorem quam alij diligentiam videtur impendisse in reddenda causa tenuitatis & spissitudinis urinæ, quia tamen ad incertas hypotheses reducit observationes circa urinæ crasim factas: & præterea multa dubia & à veritate aliena involuit, mens avida veritatis talibus figmentis minimè acquiescit. neque enim in re tanti momenti, unde vita & mors hominis dependet, incertis conjecturis convenit uti, sed principijs minimè dubijs, atque experientia non fallaci stabilitis, doctrinam inniti. At il-

le ſupponit, tanquam minimè dubium, omnem craſsitiem urinæ proficiſci ex aliquo humore ſive bili ſive pituita, aut melancholia. quod, quam ſit certum vel inde apparet, quod ob hanc poſitionem tanquam planè abſurdam humoriſtæ illi dicantur. & profectò ſi veritas eſſet ſive per ſe nota, ſive per evidentem demonſtrationem oſtenſa: nequaquam tot viros doctiſsimos illa lateret. quæ igitur veſania, profundamento adſtruere, quod neque per ſe notum, neque ex alijs ſufficienter innotuit. Quid quod neque ipſi conveniunt in aſsignanda cuiusque humoris natura & proprietate, in quo differat bilis à pituita, & ab utraque melancholia. Deinde quis in emiſſa urina aliquando bilem aut melancholiam aſpexit, vel inde quacunque ratione ſeparavit. quemadmodum nos evidenter, teſte ſenſu demonſtramus in urina ſubſtantias tartareas & ſalinas contineri, indeque ſeparari. quæ dicere ex humoribus uno vel pluribus genita eſſe, dementiæ ſimile videtur, quid ni enim res omnes ex quatuor humoribus pari modo conſtare dicendæ? ſed demus ita rem habere nihil eſſe præter vulgatos humores, & ex his craſsitiem urinæ conflari: non tamen cum hac ſuppoſitione cohærent illa quæ ab Argenterio dicuntur, neque ſufficienter inde cauſas eorum, quæ circa urinam apparent, reddere videtur. nam cum dicit urinam propterea eſſe tenuem quia nihil ipſi miſceatur, non miſceri verò ob cruditatem, at in principio morbi omnia eſſe cruda, multa hic dubia & parum perſpicua involvit. oportet enim declarare ubi nam conſiſtat illa bilis aut pituita, à quibus dilutis urina recipit craſsitiem, aut mediocritatem, vel enim in toto venarum tractu, vel in certa aliqua illius parte? deinde an ſingulis diebus urina eluat omnes humores ibi contentos, an ſolum aliquam portionem? quod ſi omnes, unde novi ſuboriuntur atque eò inferuntur, non enim ipſa urina ſecum illos defert, alioquin jam craſſa eſſet ex illorum, permixtione, contra ſuppoſitionem, cum ibi primum ponatur craſſeſcere ab aſſumptis humoribus. neque cum ſanguine feruntur ad huc permixti, nam cum ſanguis ſero ſit dilutus & permixtus, idem eveniret humoribus à ſanguine necdum ſecretis.

Dices in venis primum ſeparari ſanguinem à ſero & per conſequens ſanguini confuſos, inde humores à ſanguine paulatim ſecretos urinæ miſceri. Sed contra, quia humores illi vel ſunt ſolubiles à ſero,

ſero, vel non; quid ſi ita, neque à ſanguine ſecreti dilui atque urinæ craſsitiem dare poterunt: ſi prius, nihil obſtabit illa confuſio quo minus cum ſero miſceantur, priusquam ſanguis inde ſeparetur. quemadmodum ſi arenam, terram, & cinerem commiſceamus, non eſt neceſſe ſingula ſeparari, aqua enim omnibus illis affuſa materiam ſalis & quicquid ſolubile ineſt, liquabit,& inde proliciet. deinde ſi dicas humores in venis conſiſtentes non confeſtim ſed paulatim & per partes evacuari: quæro dum morbus aliquem prehendit,cur urina in principio talis morbi tenuis eſſe debeat? cùm enim ante acceſſum morbi non tota materia fuerit evacuata, non poteſt deeſſe illud ex quo urinæ craſſeſcunt. Quod ſi dicas deficere concoctionem, nihil obſtabit: licet enim non generetur de novo, præextitit tamen ante genitum excrementum,ex ſuppoſitione. Dices tantum ejici humoris, quantum concoquitur accedente autem morbo non amplius coqui,proinde humores deſinere expurgari. Sed quæro ille humor, qui dicitur concoqui debere, qua ratione ſit crudus? ponamus enim hunc eſſe pituitam: vel itaque idem erit eſſe crudum, quod non dum habere perfectionem pituitæ, vel quia jam ſit corrupta, quemadmodum vappa aut vinum aceſcens. Si primum, dicant nobis cujus ſit naturæ priusquam fiat pituita: deinde quomodo generetur. ſi enim calore, ad eam, ſi quæ eſt perfectionem promovetur, non eſt ratio cur in morbis, in quibus inſigniter viget calor non etiam ultra promoveatur,atque ita deſinat eſſe cruda. Si poſterius, igitur fuit pituita,& quidem concocta, priusquam corrumperetur,cur igitur non eſt expurgata,ſiquidem dictum, illud, quod accepit concoctionem, expurgari. Et quomodo ſapiens erit natura, quæ, quod magis eſt corruptum, retinere,& ſibi aſsimilare velit:pituitam verò minus diſſimilem ejiciat? quin experientia hoc ipſum refellit. conſtat enim tum bilem tum pituitam eo modo corruptam ad inteſtina dejici in quibus colicas paſsiones & diſsenterias periculoſas ſolet excitare. quod ſi enim ſecundum naturam haberent humores, nequaquam ab illis ea loca afficerentur, quæ natura ad illos deducendos fabricavit. Jam verò ſingula, quæ affert Argent. diſpiciamus. dicit itaque in pleuritide & padagra urinam minus tenuem, non quia careat concoctione illa materia, ſed quia ad partes affectas abripiatur. Sed dicat nobis qui

illi hoc dixit in his quidem non etiam aliis acutis morbis vigere concoctionem? deinde quid attrahit humores ad partem affectam, an ipsa pars illa delirat, ut plures hostes, à quibus juguletur, advocet, quæ omni vi præsentes ejicere contendit: an humor, qui insidet parti, alios confratres in subsidium vocat? sed quibus internuntiis hoc peragitur, vel quomodo novas vires acquirit humor, ut tum primum, non aliàs vim habeat trahendi ad se alios humores. Præterea cur non etiam in aliis morbis dicendum vigere quidem concoctionem, verùm ob præreptam materiam urinas destitui chymosi. Quod verò dicit urinas quandoque crassas apparere, vel quia humor facile vincitur vel quia tanta adest copia, ut neque retineri, neque separari queat à natura: quæro quid prohibeat ipsum retineri, an quia humores suopte impetu exitum moliuntur, an quia urina secum illos abripit reluctante etiam natura? an quia humores, neque sponte, neque impulsi ab aliquo moventur, sed eo loci quiescunt? natura verò illis tanquam immorigeris irata illos expellat? at si humores suo impetu vel alicujus impulsu ferantur per vias adeo patentes, frustra natura illos cupiens retinere, obluctatur. videmus enim sectâ venâ arteriâve non posse sistere sanguinem & spiritum sibi magis amica, etiam per exiguam rimam profluentem, neque igitur humores dissentaneos suæ naturæ, tametsi minore mole sistet ad motum ita concitatos. sin posterius sit verum non propterea excernitur, quia nequeat retineri, à natura, humor, sed ideò expellitur vi, quia neque sponte alienâ ditione decedere, neq; obsequi velit naturæ. Ulterius, cum dicit etiam progressu morbi excerni urinas crassas non ex eo humore, qui extitit illius morbi causa, qui nequeat in principio concoqui, sed longe alio, cui nihil repugnat talis concoctio. ad hoc dicimus, neq; in aliis morbis aliquid prohibere, tametsi materia morbifica sit cruda, alios humores concoqui, & ex illis urinam crassescere, neque enim verisimile videtur omnes humores, qui in corpore existunt, concurrere ad illius morbi productionem, etenim cum morbus est bilosus, quid prohibet pituitam concoqui & urinæ misceri. Præterea si natura in principio morbi potest cōcoquere humores, qui absq; illius molestia quiescunt, quid ni etiam alimentum? ex cujus excrementis crassescit urina. quomodo verò dicuntur ejusmodi urinæ, si diu persistant, naturæ oppresionem vel ruinam indicare? nam si à

natu-

natura concoquitur talis materia minus erit gravis ſe ipſa cruda, parteque oneris tot excretionibus depoſita levius reliquum feret, quàm cum univerſam ſentinam & quidem humoris crudi ſufferebat, neque tamen oppreſſa.

Deinde, cum dicit urinas, quæ primum craſſæ, inde tenues, atq; iterum craſſæ ad extremum extenuantur inde ortum habere, quod primò quidem natura nequeat ſuperare omnem copiam humoris, atq; ita cogi ad illius portionem, absque concoctione emittendam. depoſito autem exceſſu reliqua aggredi concoctionem; & tum urinam effici tenuem, quod nihil ante abſolutam coctionem excerni & ipſi miſceri ſoleat. Concoctâ verò materiâ craſſeſcere, abſumptâ rurſum extenuari. Verùm ſi humores exiſtunt ſeperati, nulla neceſsitas eſſe videtur concoctionis, idcirco enim concoctio adhibetur, non quia humor debeat præparari, atque ita ornatus expelli: ſed quia utili ſubſtantiæ confuſus nequeat citra illius jacturam priusquam concoctio heterogeneas partes ſegregarit, evacuari. at cum non parvam illius portionem natura dicatur expuliſſe, ſequitur per ſe & absque confuſione extitiſſe, nihil ergo prohibet reliquam illius portionem ſimili modo evacuare. abſurdum enim aliquid naturam retinere, quod ab illius moribus ſit prorſus alienum, aſsimilatum verò expellere. Eteoim facultas expulſiva â diſſentaneis dicitur incitari ad motum, non verò à ſimilibus. humor verò corruptus magis quàm jam mediocris affectus naturæ eſt gravis. quod ſi verò quandoq; natura aggreditur concoctionem corrupti humoris, non certe ſuâ ſponte quaſi obductis foribus hoſtem intra muros detinet ipſum cicurando, veluti in cavea feram quandam agreſtem: ſed quia nequeat reluctantem aliâ ratione exturbare, cogitur ad illam victoriam quandoque ſibi cruentam. Cum verò urina primo tenuis, inde craſſa, ultimò tenuis mingitur cauſam aſsignat Argenterius, primæ quidem cruditatem, alterius concoctionem, poſtremæ materiæ defectum. Verùm dicat nobis, fiatne urina tenuis eo modo, quo prima videlicet in principio morbi, an illa quidem dicitur tenuis non quia nihil, ſed quia parum habeat craſſamenti? & illud quidem haud poteſt dici, eſt enim urina talis ſignũ cruditatis, & mala. quòd ſi verò dicatur habere aliquam corpulentiam, quæro unde illam accepit? humor enim ponitur evacuatus, ſiquidem perpe-

tuo durare haud potest. sive ergo ab alimento, sive aliunde accedere dicatur, oportet causam assignare, cur non idem eveniat in principio morbi, & cum neque materia morbifica, evicto jam morbo, ad vias urinæ perpetuò feratur, sed aliquando per alvum aut abscessum viã sibi molitur: sequitur in illis morbis in quibus bonæ fiunt crises, non tamen per vias urinæ tenuem & crudam fore, utpote illa materia quæ solet urinam incrassare, destitutam. quod omnino est absurdum. postremò urinas crassas à principio morbi usque ad crisim sive declinationem perseverare, non quod superetur natura, sed quod facile illi coquantur, atque ita nunquam desit materia crassamenti. Alias verò à principio crassas, extenuari in augmento, quia nimirũ in primis diebus materia bilosa non tantùm illa quæ recipit concoctionem sed alia quoq; absq; concoctione separatur, quâ absumptâ nõ nisi ea quæ dicebatur concoqui expurgatur: atq; ita urinæ tenues evadunt. Verùm cum facilius coctum quam crudum expurgetur, si in principio tantùm humoris simul cocti & crudi vacuatur; cur non etiam in vigore solius concocti humoris excernitur quantum satis ad incrassandam urinam? neque enim deesse potest materia vigente morbo, neque dici non nisi perfectè coctum excerni, semicoctum verò perfectionem expectare: etenim cum planè crudum dicatur fuisse evacuatum, quid ni & ex parte coctum! & cum concoctio ponatur omnia incrassare, deberet hâc ratione urina etiã minore assumptâ portione effici crassa. Hæc quidem pauca ex multis sufficiat attulisse ad dissipandum illa Argenterii figmenta speciosa. vanitas enim hominis ad fingendum proni sufficienter per jam dicta elucescit. licet enim interdum phænomena cum hypothesibus videntur cohærere. non tamen sequitur has veras esse debere: quis enim dubitat de falsitate hypothesium Copernici? tametsi ex eo quod solem in medio mundi stare, terram in Epycyclo magni orbis variis motibus præditam circumduci ponat, omnium cœlestium motuum, causas atque rationes assignare, omnesq; apparentias utcunque conservare videatur. nihil enim prohibet teste Aristotele, ex falso interdum verum sequi. Nos itaque servatis phænomenis experientiâ stabilitis alias hypotheses è veritate & experientia fundatas ex doctrina Hipp. & ex parte Galeni eruere conabimus. Sit itaque nostra conclusio.

Vrinam

Urinam esse tenuem 1. quia non ipsi miscetur excrementum, vel prius quam à vesica reddatur, ab illa secernitur. prior pars prob. nam cum illa urinæ portio, quam nihil differre ab aqua elementari dicebamus, ex se tenuis fit, neque sine alicuius additione queat incrassari, necessariò talis emingitur, si nihil ipsi misceatur. Cur autem non immisceatur, causa est imminuta vel depravata concoctio, non quidem alicuius excrementi, sed nutrimenti, ex quo jam concocto separentur excrementa. sicuti enim in auro per antimonium fulminato non nisi, quod purum est, ex illo ignis fervore in regulum se recolligit, quidquid extraneum est, in scorias facessit atque antimonio inviscatur: ita, dum excoquitur chylus, in illum sanguinis rubinum, non, nisi quod naturæ est consentaneum spiritibus unitur, quicquid dissentaneum, defæcatur seroque permiscetur. neque ad tres quatuorve species illa reduxeris, cum innumeræ sint pro alimentorum varietate. Cum itaque natura rectè se habet vigetque, separatio absque errore procedit ijs solum, quæ convenientiam habent, naturæque legibus parere norunt, reservatis ad sanguinis massam conflandam, inqua vitæ spiritus suas infert signaturas moribusque patrijs exornat. Quod si natura sit oppressa vel opere magis arduo detenta, ut nequeat dictæ functioni interesse, non interea feriantur naturæ peregrinæ in chylo delitescentes, sed quemadmodum fieri solet absente hero, vel graviter sopito, ut servi in petulantiam sese effundant, atque inter se turbulentis motibus incipiant altercari seque injurijs exagitare: ita quoque in chylo & sanguine naturæ exleges fiunt, atque una quæque dominium sibi arrogare aliasque jugo premere adlaborant. itaque suas propere explicant signaturas & evidentius quidem & magis conspicuè quæ cæteris agendi efficacia præcellunt, aliæ obscurius, aliæ verò jugo pressæ parere, moresque & habitum peregrinũ assumere coguntur. Dum itaque eo modo inter se disiident, & velut civili bello decertant, urina tenuis profluit, sive à renibus illa alliciatur, sive sponte eo feratur. nihil enim excernitur, dum, quod excerni solet, sceptra tyrannicè occupat. Verissimum itaque urinam à principio morbi tenuem, indicare cruditatem: natura enim, morbo imminente negligit alimenti elaborationem, dum universas vires hosti, à quo magis premitur majusque imminet discrimen, opprimit.

Ubi verò superior esse cepit, victo paulatim morbo, ad has functiones reversa omnia turbata videt, neque tamen rebelles & publicæ quietis turbatores protinus eijcit. nam cum & illud quod domesticum & familiare fuit naturæ ex hostili conversatione desciverit à suis moribus legesque & habitum peregrinum induerit: necesse prius à natura indicium institui, si quid ad priorem statum reduci queat, præsertim cum violenter externis legibus quædam pareant. quod verò nimium descivit à naturæ probitate, illud à se, collectis viribus, velut hostem exturbat. Concoctio igitur præcedit quâ familiares naturæ vestem peregrinam deponant, & insignibus naturæ rursum ornentur. hostiles verò substantiæ suo ornatu spoliantur, & acceptis plagis ita demum inanes & inhonoræ dimittuntur. Quod autem urina tenuis efficiatur defectu concoctionis, inde patet, si enim concoctio tum vigeret, oporteret excrementa provenire atque urinam incrassare. deinde videmus nondum concocto cibo urinas tenues & crudas emitti, crassescere verò accedente concoctione. Itaque dicit Hipp. prog. 33. pueris aquosas urinas esse pessimas, quia, ut inquit, Gal. 3. de caus. sympt. pueri alteratricis facultatis robore juvenes superant: Facultas enim alteratrix in his sufficit non tantùm refectioni, sed etiam magno augmento. robustior igitur aliarum ætatum alteratrice, quæ aut non sufficit ad augmentum, aut parum. Et quia quod validum est atque robustum, non, nisi à valida impresione lædi potest: urina tenuis à pueris emissa ostendit vehementiam morbi quæ robustissimam facultatem superavit aut debilitavit. Cum itaque morbus acutus adest ex impactis alicubi humoribus v. g. pleuritis, duplex tunc est cruditas, urinæ, & materiæ morbificæ: ipsi verò cōfundentes tanquam de una loquntur. At longè aliter se res habet, materiæ enim, quæ morbum facit, cruditas nihil per se facit ad tenuitatem urinæ, sed quemadmodum causa per accidens & mediata: quia videlicet naturam detinet, quo minus interea mutare valeat alimentum, ex eoque genitas impuritates segregare; urina suo privatur crassamento. Quod si verò illa materia, quæ pleuritidem facit suâ cruditate, vel coctione urinam per se mutaret, ex ea pleuritidis signa desumere oporteret, quod nullibi docet Hipp. verùm à sputo judicia desumi affirmat, aph. n. 12. quemadmodum, inquit, in morbo

bo laterali, si circa initia statim sputum appareat, morbum breviat; si verò postea appareat, producit, & lib. 2. prog. à 51. per plura sequentia ex solo sputo, non verò ex urina, de morbis pectoris decernit. Neque verò necesse materiam concoctam per vias expurgari, sed vel per sputa foras, vel ad pectoris cava, unde suppurati postea efficiuntur. Cum autem rursum apparent signa concoctionis in urina, non ex eo præcisè licet inferre materiam morbi esse concoctam, sed arguitivè & propter mutuam colligationem utriusque effectus ad causam unam. quia videlicet natura, non, nisi morbo evicto, accedit ad has functiones, morbum autem non alia evincit ratione quam materiam concoquendo & sibi subijciendo. unde ex concocta urina victoriam naturæ & materiæ concoctionem colligimus. Porro crassa tamen excernitur urina quia plurium retentione succrevit copia excrementi; præsertim cum etiam domesticum quid desciverit ad naturam excrementi. quibus jam evacuatis, naturalis constitutio redit urinæ solius alimenti evacuatis recrementis. Quod si illa quoque materia, quæ morbi extitit causa ad vias urinæ feratur suo accessu crassitiem non parum augebit. Ex his facile erit rationem accommodare ad eam, quæ circa emissionem urinæ diversis morbi temporibus accidit, varietatem. Etenim in principio morbi rectè dicunt ob cruditatem, urinam esse tenuem, non tamen ob cruditatem humoris per se, sed alimenti, vel humoris alimento permixti. inde verò concoctione alimenti & separatione excrementi urinas incrassari. Quod verò in quibusdam morbis contingit in principio urinam crassam emingi, dupliciter hoc potest evenire, vel quia illi morbi sunt acuti, ac proinde non tantum facultas concoctiva, sed illa etiam quæ retinet alimentum, laborat, atque ita bonum cum malo finit effluere. estque effectus similis illi passioni, qua chylus non alteratus è ventriculo solet effluere; & sine dubio indicat oppressionem naturæ. Quod si autem morbus levior sit, neque periculosus, urina crassa existente, dicimus lædi quidem tum concoctionem, non tamen in totum aboleri, nam & coquitur alimentum, & excrementum ab eo segregatur; verùm ob defectum perfectæ concoctionis illud quidem quod remanet, esse semicoctum, quod verò secernitur, minus attenuatum & fusum, proptereaque urinam crassam apparere. nam quod concoctio

ctio excrementa fundit & attenuat, apparet in pueris, qui licet crassam meiunt urinam, non tamen obnoxij sunt calculo renum, propterea quod per ipsos renes ob partes attenuatas facilè percolentur, neque materias tartareas in poris & renum substantia ad generationem calculi deponant. Quod si verò in principio morbi urina crassa, in vigore attenuetur, ex eo erit, quia in principio minorem vim exercet morbus, minusque naturam gravat, ut in totis viribus illi obsistat, sed unaquæque in opus concoctionis incumbat. At in vigore morbi omnes illius vires occupantur in eo duello, atque ita negligitur concoctio. Monetque Hipp. in eo statu tenuisse esse alendum, frustra enim adhibetur, cum non mutetur, alimentum, neque inde emolumentum capiat natura vel etiam crassa efficitur urina in principio, cum impeditur illius concoctio, in vigore autem attenuatur, ex cōcoctis & fusis humoribus, propterea quod natura incipit morbo jam dominari. Hæc de illa differentia quæ desumitur à substantia urinæ, quatenus crassa vel tenuis consideratur. quia verò urinas componi dicebamus ex diversa salium & tartari natura, variasque habere ad mixtas sulphureas & mercuriales tincturas: juxta horum varietatem, differentiæ quoque erunt desumendæ, quod enim varietates & naturæ salium urinæ permiscibilium esse possunt, totidem differentiæ erunt ex natura salis desumptæ, & idem de sulphure & Mercurio dicendum. Et ex hac salium proprietate ortum habent morbi renum & vesicæ, quodque in iis viis per quas urina decurrit, excitantur. quæ homines otiosi & inexperti frustra ad intemperiem trahunt violenter; de quibus proprio loco, erit agendum. In qualitatibus urinæ numerantur color, odor, sapor, densitas, raritas, perspicuitas, opacitas: de singulorum ortu & causis hic erit agendum. oportet verò ad accuratā rei notitiam causas per se proprias, & immediatas distinguere à causis per accidens remotis & communibus. Et quod attinet colorem, existimat Montanus à præsentia & absentia humoris, nequaquam verò ab alteratione proficisci omnem colorem urinæ. Cui tamen Argent. se se opponit, quia inquit ille, color, qui est in contentis non alia fit ratione quam per contactum & à partibus factam alterationem, quomodo sanguis in hepate rubicundus, & pus in abscessibus album efficitur ex partium attactu tali colore

lore præditarum. Secundo obijcit Galenum qui dicit urinas effici nigras tum permixtione humoris atri tum ex frigiditate & calore, existimans ipsum quoque Gal. esse deceptum. Itaque aliam affert rationem, quia non apparet quid aliud rubram potionem in albam mutare & serosum excrementum suis qualitatibus insigntū generare queat, excepto ventriculo. hic enim, quia albus, facile potest ea quæ attingit, in sibi similem colorem mutare. Fiunt igitur colores aliqui ex sola alteratione. Verùm immeritò Montanum reprehendit, nisi & ipse coargui velit: nam cùm dicat urinam ex eo, quod naturâ suâ sit liquor aquosus, non posse per se ipsam incrassari, cum nullam à concoctione recipiat corpulentiam: idem de colore videtur dicendum. quis enim unquam aquam puram, calore aut frigore coegit recipere aliquem ex coloribus? omnes enim per admixtionem substantiæ coloratæ videmus ipsi aquæ communicari. Rationes quas ipse affert, nullius sunt momenti. absurdum enim imprimis esse videtur, alicujus authoritate certare, & eundem erroris insimulare: non minus Hercle, quàm se testem veritatis allegatum mendacissimè esse dicam; neque prior ratio ab altera differre videtur, utraque enim ex eo procedit, quod assimulatio in coloribus haud alio queat fieri modo, quàm per contactum rei similiter coloratæ. ita enim ventriculi tunicas quia albo sint præditæ colore, chylum dealbare. & eundem hepar suâ purpurâ cruentare. Verum hoc est, quod est, quod dicit Aristoteles ad pauca respicientem facilè pronunciare. vellem ecquidem scire, dum ventriculus ex semine formaretur, quænam substantia similiter alba existens suâ contagione ipsum colorarit, siquidem necesse omnia per contactum colorari. Sed fortè respondebit ex semine albo non mirū talem extitisse. at verò cum bilis prasina vel æruginosa in ventriculo elaboratur, quam partem ventriculi similiter, coloratam, unde bilis tingatur, nobis demonstrabunt? & cum aqua pluvia aliquandiu in vase æreo asservata, cur non rubeum æri similem, sed viridem inde colorem trahit? cur eadem tegulas cruentas musco viridi obducit? deinde cum germinatione seminis pulpa in prima duo folia se dividit, quidnam illam, cum alba esset colore viridi suo attactu pingit. quid tot mille colores in plantis, in gemmis, mineralibus, in pilis est plumis animalium, in squammis piscium, exprimet, aut ubi natura inte-

rea illos abdit, qui existens à sensu haud percipiantur? Præterea unde probant, ad hoc ut color noviter efflorescat, necessarium esse alicujus alterantis simili colore affecti, attactum? an quia, qua ratione ad lapidem Lydium particulæ auri affricatæ ipsum inaurant ita ex alteratione atomos rei coloratæ, vel ipsum colorem in rem colorandam immigrare & subjectum permutare putant, an, ut color sibi similem in passo producat, an color quidem ex se nihil agit, cum ex primis qualitatibus dicatur oriri, & quasi auctarium quoddam ex necessitate sequi unam aliquam temperaturam. Itaque cum ventriculi tunicæ eo modo sint temperatæ, ut propterea color albus necessariò efflorescat, ubi chylum alterando similem in eo temperiem resultat, dedisse erunt dicendæ. At si ratione temperamenti colorum differentiæ exoriuntur: necesse erit profectò si quid colore simile evasit, idem quoq; temperamentum accepisse. Et cùm accidentia determinent subjectum ad formam recipiendam cujus esse dicuntur dispositiones, erit in chylo natura & essentia ventriculi, in sanguine, hepatis, quo quid absurdius dici potest. quòd si verò tali contagione existimant colorari passum, quomodo partem sanam à leprosa affici videmus, necesse in rem colorandam aliquid recipi ex quo veluti semine color efflorescat. Sicuti enim fermentum, quo sanguis inficitur attacti, non est ipsa lepra sed illius semen, ita illud myasma rei colorantis non erit color, sed coloris quoddam semen, quod non ubique idoneam matricem assequitur ad faciendam germinationem, quemadmodum aliarum rerum semina non omnibus locis sata germinant, nõ enim in horreo & in aëre, neq; in aquis. itaque cum tale coloris semen incidit in terram sterilem, nullus quidem inde color ob indispositionem enascitur. at ubi tale subjectũ contrario se habet modo, protinus suas vires exercet, occultasq; in lucem protrahit signaturas. Itaq; si spiritus vini aut vitrioli in aquã effundatur, nullo ipsã colore afficiet, atsi pallentes rosæ aut purpurei hyacinthi, violæve eo tingantur, protinus flagranti cocco suffundi, & quasi cruentari videre licebit. Et hac quidẽ ratione nõ erit necesse similitudinẽ coloris enasci: semen enim à re illa emissum in alio producet colorẽ, quem nequaquã in re tangente producere potuit. Cũ verò eo modo color contrahitur, quo à minera aquam pluviam virescere aut in cæruleam tingi videtur, nequaquam res illa quæ coloratur, pa-

ti,

ti, ſed agere tamen videtur: partes enim ſubtiles aqua illa reſolvit & diluit, ex illisque ita permiſtis apparet colorata, non per alterationem ſui ſubjecti, ſed per juxta poſitionem atomorum, quæ ob exiguitatem ſenſus effugiunt, atque continuum quid apparent. non mutari autem tale ſubjectum, apparet ex mutua ſeparatione; aqua enim qualis præextitit, inde diſtillat, tinctura verò in cryſtallos aut corpus aliud coagulatur. Ut igitur aliquid certi de coloribus urinæ afferamus, neceſſe, quid color ſit, & quomodo, & à quibus cauſis generetur, notum habere, quod quidem tanquam jam notum & in naturali Philoſophia definitum hic ſupponere oportebat, nè, aliena tractantes, extra terminos inſtitutæ materiæ evagari & alienas ingredi poſſeſsiones videremur, verùm quia opinionum varietas omnia in certa & dubia effecit, oportet prius indicare quam opinionem ſequi velimus, nè incertis fundamentis, ea, quæ poſteadicentur, niti videantur. Qui itaque de coloribus aliquid dixerunt, ad tres opiniones videntur reduci, duas extremas, & unam inter has mediam. Alij enim negant colorem actu eſſe in rebus, ſed ipſum ex lumine advenire, & ſolam ſuperficiem, & illud quod luci eſt pervium, colorari: partes verò internas, ſicuti luce ita colore eſſe deſtitutas. Alij ex oppoſito putant colorem tota natura differre à luce, eſſeque actu in rebus, absque omni lucis præſentia, quæ ſolummodo ut conditio requiritur ad eliciendum viſionem. Media ſententia colorem quidem à luce non diſtinguit, non tamen negat eſſe permanentem, & non ſolam ſuperficiem ſed etiam partes internas colorari.

Primam opinionem tuentur Plato in Timæo, Auer. pace Alpharabius, Aver. Rois commento 65. Avicenna lib. 6. p. 3. c. 1. qui dicunt abſente lumine nullum ineſſe rebus colorem, unde Virgilius:

Nox abſtulit atra colorem

Idem videtur ſentire Albertus in lib. de ſenſu & ſenſibili tract. 2. c. 1. qui tamen aſſerit abſente lumine qualitatem ex primis ortam, veluti materiam coloris in corpore ſupereſſe. Probatur hæc ſententia, quia ſi color à lumine differret, non poſſet ab illo intendi, at intenditur, non igitur differt. Sequela majoris inde conſtat, quia intenſio fit per additionem novi gradus ſub eadem ſpecie contenti. Si ergo alia natura ſit coloris, alia lucis, non hæc cauſabit illius intenſionem. Minor

est evidens experientia enim constat aliter res ad solem, aliter ad lumē candelæ coloratas apparere: in hoc enim colores picturæ alios difficulter & malignè, alios nullo modo distinguere licet: & gemmam turchesiam interdiu cæruleam, in nocte viridem ad lucernas esse constat.

Secundò si color differt à luce, poterit sine hac videri, consequentia patet, quia ut color videatur, sufficit illius speciem ad sensum perduci, sed lumen nihil confert ad speciei delationem poterit ergo videri absq; luce. Major est certa, minor probatur: quia si quid conferret, id vel esset ex parte medij, vel ex parte producentis, at neutro modo esse potest. nam quod ex parte medij lumen non sit necessarium inde patet, quod in locis obscuratis, ubi nihil omnino est lucis, res clarè intuemur, quæ foris luce illustrantur: & cum unius sit naturæ illa species quæ per aërem loci obscurati ad sensum fertur, cū ea quæ aërem externum & illustrem pertransit sequitur nihil repugnare etiam in obscuro loco speciem produci ab objecto non illustrato, siquidem lux nullam vim ipsi ad speciem producendam sed solùm medio ad recipiendam tanquam dispositionem dicitur conferre, ostensum verò ipsam recipi in aëre obscurato, cum nihil videri possit absque specie. Cum itaque ad productionem speciei requiratur sola virtus productiva, formæ receptibilitas & subjecti approximatio: color autem ex se ponitur sufficiens ad talem speciem producendam, sicuti aër obscurus ad illam recipiendam, recipitur enim, sive species per aërem continuata dicatur tota immediatè produci à solo objecto, sive partes posteriores à prioribus ortum habere, sequitur speciem in aëre objectum ambiente atque tenebricoso facilius quàm in remoto produci virtus enim spatij tractu elanguescit. Quod si ergo producitur species coloris in aere remoto neque illustri, producetur etiam in eodem aëre vicino similiter obtenebrato.

EPILOGUS.
AD LECTOREM.

SEd ecce hic repente Apelles noster manum de Tabula! Cur ita? *Æternitati pingebat* Operi posthumo incumbens, cùm

repente abrumpere *Vitæ Lineam*, & *Æternitatis Punctum* figere jussit *Supremus Vitæ Arbiter*. Cadit artifex è Tabula Manus, cadunt vitales ex Vultu Colores, cadit non uno seculo dignus Apelles! Cadunt Oculi, cadit vox, cadit Vita! sola remanet *Imago Vitæ*, quam ultimâ voluntate, & ultimâ voce, verè Christianus noster *Seneca*, Amicis *reliquit*. O Parcite crudeles Parcæ! Non unus in hoc Viro Vir cadit! Cadit Medicis Æsculapius Cadit Philosophis Aristoteles. Cadit Mathematicis Archimedes. Cadit Chimicis Hermes! Actum est! cecidit *Joannes* noster, & cum *Joanne* tota Bohemiæ Gratia, totus Honor, tota Gloria!

Miseranda profectò humanæ Naturæ conditio! *Est Deus in nobis*, quo *agitante calescimus*; *Fax Promethei*, quâ ardemus; *Divinæ Auræ Particula*, quâ respiramus; & tamen brevi & calor extinguitur, & fax consumitur, & post triste respirium in auras abitur! Si *Philosophorum* placita meditaris; manet te vel invitum, ultima illa, & omnibus communis *Philosophia* hoc est: *Mortis* jam jam imminentis *Meditatio*. Si cum *Galenicis* Herbarum Virtutes attendis: Attende: Tu ipse *herba* es. de qua dicetur: Ecce *aruit Herb*, *defecit germen*, *omnis viror interiit!* Isa, 15 Si cum *Hermeticis* Chimicorum Secreta scrutaris: *Memento quia Pulvis es*. *Sublima* ut libet tui juvandi causâ subtiles Animi tui *Spiritus*, remanebit denique ex *Corpore* tuo *Caput mortuum*. Si cum Jurisperitis Leges pervolvis: Lege Legem nulli violabilem *Statutum est omnibus Hominibus semel mori*. Si inter *Mathematicos* Geometrarum theoremata specularis; Ecce *Mors ultima linea rerum est!* Quatuor lineis Vita constat: Infantili, Juvenili, Virili, Senili. Quidquid de Tetragonismo scias, hoc *Quadratum* cum Æternitatis *Circulo* nunquam combinabis. Si cum Arithmeticis Numeros expendis: Expende, quod pauci sunt *Integri* plures *Fracti*, plurimæ *Nullæ*. In *Summa Summarum*: *Breves dies Hominis sunt*, &


 nume-

numerus mensium eius apud DEUM est. Job. 14. Si cum Astronomis Cœlum intueris, videbis, quod *Sol oritur & occidit*, *& ad Occasum suum revertitur, ibique renascens, gyrat per meridiem*. Eccl. 1. sed, *soles occidere & redire possunt, nobis cum semel occidit brevis sol, Nox est perpetuò una dormienda*. Si cum Opticis Oculum inspicis: Ecce *Oculi Domini multò plus lucidiores, sunt super solem, circumspicientes omnes vias*, & terminos *homiuum*. Eccl. 23. Si Gnomonicæ Umbras consideras: Ecce *dies Hominis sicut Umbra prætereunt*. Ps. 143. Si Agri mensoriam exerces: Ecce *omnia quæ de terra sunt, in terram revertentur* Eccl. 40. Si Hydraulicam: Ecce *omnes morimur, & quasi Aquæ dilabimur iu terram, quæ non revertuntur* 2. Reg. 14. Si Architectonicam: *Scias, quia Morti tradet te, ubi constituta est Domus omni Viventi*. Job. 30. Si Staticam: Tu ipse *appensus es in statera* Dan. 5. Si denique Mechanicam seu Inventricem, cuius ope *Motum Perpetuum* invenire tentas, frustra tentas. Brevi dicetur: *Requiescat in Pace!* Ita ita nimirum *Supremus Naturæ Author* voluit, ut pateat, quantum Humani *Corporis Vas luteum*. & corruptibile, (quantumvis sit *Vas in honorem*, si cum cæteris brutorum corporibus, seu *Vasis in Contumeliam*, comparetur) *distet ab Immortali Spiritu*; *& Spiritus*, quantumvis perfectus, si tamen creatus est, ut intelligat, quantum, distet à *Spiritu Illo Increato*, cui si quod cum Natura Creata commune genus esset differentia hæc esset: *non esse unquam indifferentem ad ESSE*; adeoque *Necessariè ESSE*. Cætera omnia, aut omnino *non Esse*, *aut potuisse Non Esse*. Verùm non disputo. nec ulterius tristem illam & communem humanæ naturæ necessitatem deploro. Virum deploro, vitâ longâ, inter paucos felicem; vitâ longiore, inter pauciores, dignum. Non sumus Boëmi Virorum Doctrinâ Illustrium contemptores, (nisi fortè domesticorum) integrâ proinde cæterorum omnium famâ dixerim:

Vi-

Virum habuit Patria nostra, sed Virum talem, quales hinc inde per Orbem, non mensibus, sed seculis, subinde parturire solet Natura. Virum non vagum, & tamen toti Orbi notum. non venalem, & tamen amicè socialem. non frequentem, & tamen omnium conversatione expetitum. non ambitiosum, & tamen in omni Vita honoratum. non garrulum, & tamen linguarum etiam abstrusiorum, peritum: non tristem, & tamen profundissimè theoricum. non DEO sacrum, & tamen Theologum. non rixosum, & tamen per omnia Philosophum. non mirabilem & tamen Mathematicum. non privatum, & tamen Chimicum. non communem, & tamen celeberrimum Medicum. Virum denique Artium & Scientiarum omnium peritissimum, omnibus æquâ lance, & æstimatum, & amatum. Hic tamen Vir, cecidit eheu! Non prostratus morbo, quia semper abstemius; non casu, quia semper felix; non fato, quia semper Cœlo charus. Sed lege universali, debito Originali, & sententiâ Mortis inevitabili, ante paucula Annorum millia, omnibus Adæ posteris latâ & lectâ, citatus, se stitit, plenus dierum, plenus meritorum, plenus encomiorum *Non obijt, sed abijt.* Quo? quo citamur, quo imus, quo trudimus vicissim, & trudimur omnes, Doleo super te, Vir Doctissime & Optime! Doleo! Doleo! Dolete & vos, *Pijsque Manibus beneprecamini*, quot quot per Orbem degitis Viri Eruditi? seu Sacri, seu Profani, seu Aristotelici, seu Hermetici, seu Galenici, seu Historici, Virtuosi, Curiosi, & quolibet nomine Animi Cultores Studiosi. Ego, qui Appendicem hanc posthumo tanti Viri Operi mæstissimus adscribo, Venerandam Viri Caniciem sæpius à longe puer aspexi. Sepulchro viciniorem, subinde interius adultior inspexi. Morientis *Actum Ultimum, Æternitate felici dignum*, super omnia reliqua suspexi. Qualem illum? Scio ego, & inter paucos scio, Valete viri Docti! & ut *Joannem Marcum Marci* in Beata Æternitate conveniatis, ita vivite!

FINIS.





LITURGIÆ MENTIS SYNOPSIS.

mores in corpore exiſtentes diverſos edere effectus.

X. Fundamenta pro genuina causa Epilepſiæ jaciuntur. Inveſtigando modum quo ſpecies ſenſibus externis & ab his interno communicentur.

XI. Quomodo anima ſpecies viſibiles recipiat expenditur.

XII. Quid ſit imaginatio & quomodo fiat inquiritur.

XIII. Memoriæ ſedes luſtratur.

XIV. Quomodo ſpecies in memoria ſerventur exploratur.

XV. Progreſſus ſpecierũ è loco memoriæ narratur


XVI. Quidditas, eſſentia & differentia ſpecierum viſibilium indagatur.

XVII. Super ſpecies ſenſuum diverſorum fit reflexio.

XVIII. Subjectum ſeu locus ſpeciebus ſtabilitur.

XIX. De actionibus tum quæ brutis ſunt communes tum homini propriæ tractatur.

IN-



INDEX
Quæstionum, Sententiarum, & Observationum super opus posthumum de natura Epilepsiæ, Joann: Marci Phil: & Med. Doctoris,
Perficiente Prænobili & Excellentissimo D. Daniele Globicz de Buezina Philosophiæ & Medicinæ Doctore Boemo Pragensi.

A

Cer-

INDEX.

D.

INDEX.

Epi-

F.

G.

H.

INDEX.

I.

L.

M.

Me

INDEX.

N.

O.

INDEX.

R.

S.

Sen-

INDEX.

Spe-

INDEX.

Spi-

INDEX.

V.

Vi-

INDEX.

FINIS.

ERRA-

ERRATA.	CORRECTA.
Pag. 7. Lin. 24. intelrligi	intelligi
- - 32. tam	eam
8. - 7. item	idem
- - 14. diverſe	differre
10. - 13. colore	calore
11. - 9. mirari	rimari
13. - 10 nequerunt	nequeunt
15. - 16 efficere	officere
16. - 26 vehemus	vehemens
21. - 5 compreſſio	compreſſo
26 - 4 imperfecta	in perfecta
27. - 1 & impeditam	ob impeditam
- 5 totam ſubſtantiam	totâ ſubſtantiâ
28. - 31 propriam	proximam
35. - 27 alicuuſi	alicujus
38. - 19 compleant	compleat
- - 30 pure &,	pure eſt.
39. - 18 aut	ut
- - 19 vivendo	videndo
40 - 4 diverſo	everſo
45. - 2 in terra	interna
- - 3 interna	externa
51. - 8 maginati	imaginati
57. - 28 promatur	promantur.
- 32 ercondi	recondi
61 - 6 perfectionem	ſuperficiem explicari.
63. - 10. non fecit	nos fecit
70. - 35 remotis	remoratis
84. - 20 nomeu	nomen
85. lin. ult. determinat	determinatur.

ER

149

ERRATA		CORRECTA.
Pag. 86. lin. 16	posteris	posterius
- 26	nove	nova
88. - 29	ite	ita
89. - 18	aliousque	aliquousque
92 - 23	unum	in unum
- - 24	in radios	radios.
95. - 5	unoquoque	in unoquoque
- 26	at	ut
- - 27	sceptrum	spectrum
96 - 29	memori	memoriæ
100. 3	faculum	faculam.



